

BONG.
1599







PETRI BONGI BERGOMATIS

Numerorum mysteria

OPVS MAXIMARVM RERVM DOCTRINA, ET COPIA REFERTVM.

In quo mirus in primis idemque perpetuus arithmeticæ Pythagoricæ cum Diuinæ paginæ numeris consensus, multiplici ratione probatur.

Post editionem alteram ab Auctore ipso copiosis locis, & ingenti

APPENDICE AVCTVM.



Cum Superiorum approbatione.

Bergomi, Typis Comini Venturæ, [illegible] Typographi.

CIↃ IↃ XCIX.

PETRI BONGI BERGOMATIS

Numerorum mysteria.

OPVS MAXIMARVM RERVM DOCTRINA, ET COPIA REFERTVM,

In quo mirus in primis, idemq́; perpetuus Arithmeticæ Pythagoricæ cum Diuinæ Paginæ NVMERIS *consensus, multiplici ratione probatur.*

Postrema hac editione ab Auctore ipso copioso INDICE, & ingenti

APPENDICE AVCTVM.



Cum Superiorum approbatione.

BERGOMI, Typis Comini Venturæ, eiusdem vrbis Typographi.

∞ IϽ XCIX.

NOs Frater Benedictus de Vrgnanis, Lector Theologus, & Vicarius Sancti Officij Bergomi summa diligentia inspeximus, maximaque attentione perlegimus librum ab admodum R. D. Petro Bongo Canonico de Mysterijs omnium Numerorum, cum ex sacrorum Scriptorum auctoritate, tum ex Philosophorum, atque in primis Aristotelis, Platonis, & Pythagoræ sententia confectum, in quo quidem nihil non comperimus, quod sanæ & incorruptæ doctrinæ non sit conueniens, & consonũ, atque omni exquisita eruditione & præclarissimis argumentis ex purissimis tum Græcorum, tum Latinorum auctorum fontibus deprõptis elucubratum Quod opus, nostra quidem sententia, dignissimum est, quamobrẽ ab omnibus Lectoribus, & Concionatoribus præ manibus habeatur, & plurimi æstimetur. Præter cætera enim pene innumerabilia, quæ hic noster Auctor egregie præstitit, illa nobis summe obseruanda, atque adeo admiranda visa sunt: quod primum is omnes Sacræ scripturæ locos, quibus vtitur, sic interpretatus est, vt eorum sententiã ei Numero quo de agitur, recte ac apposite accõmodarit. deinde scientiam Pythagoræ, Poetarum, ac reliquorum item prophanorum Scriptorum; & doctrinam sacræ paginæ connectit; vt inter vtranque, quod ad veritatis sensum attinet, nihil prorsus videatur interesse. Itaque vt is Liber prœlo mandetur, & typis imprimatur, non modo libere concedimns: verum etiam magnopere optamus; cum multiplex omnibus studiosis vtilitas promanatura sit, ex eo, quòd innumeris Doctorum sententijs plenum; varijs exemplis locupletatum; multis Philosophorum placitis insignitum; non contemnendis historijs decoratum; & denique preciosissima selectissimarum materiarum supellectile cumulatum esse videatur. Dat. Bergomi prid. Kalen. Nouembris. Anno salutis per Christum restitutæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo.

Nos Fr. Benedictus de Vrgn. qui supra.

Locus Sigilli.



R.^MO IN CHRISTO
Patri, ac Domino
D. LVDOVICO MADRVTIO
S. R. E. CARDINALI,
ac Principi Tridenti Illust.^mo

PETRVS BVNGVS S. P. D.

EST hoc generi hominum prope natura datum, vt quo artium & institutorum genere Patres et maiores aliquorum præstiterint, hoc qui sunt eorum stirpis, quod natura ipsa duce, quæ plurimum valet, & aßiduis domesticorum sermonibus excitentur, cupidißime persequantur. Ego his parentibus ortus sum, qui non modo se in his locis, quæ ditionis tuæ sunt, natos commemorabant, sed etiam qui se in fidem clientelamq. maiorum tuorum contulerunt, eosq. mirifice coluerunt. id illi summo consilio fecisse existimati sunt. summam .n. sapientiam &

spectatam Gaudentij aui tui grauitatem admirabantur, eumque non solum reliquis Germanis, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendum ducebant. Ne hæc quidem Ferdinandum Imperatorem summũ illum virum latuere, qui ad sanctiora consilia Gaudentium semper adhibuit, cuiq; cum nihil esset antiquius, quam vt liberi sui optimis disciplinis, & maximarum rerum scientia instruerentur, Maximilianum & Ferdinandum Gaudentio potissimum regendos et educandos cõmisit. Nicolaum patrem tuum, gloria belli et militaribus factis insignem, omnibus sermonibus celebrabant. Hunc Germanico bello Germanorũ copijs Carolus V. Imperator præfecit, eiusq; opera forti & fideli vsus est. idem Tribunus celeberrimi nominis Parmensi bello exstitit; & Senensi Iacobus Medices, penes quem summa rerũ erat, omnem victoriæ spem in eius virtute collocarat. sed ibi, dum omnia sua consilia ad gloriã & dignitatem refert, dum non minus eius virtus ab hostibus timetur, quam ab amicis bonitas diligitur, exstinctus est. Aliprandus patruus tuus vir consilij magni & virtutis habitus est, honestissimumque locum in Caroli V. Imperatoris exercitu obtinuit. is eo prælio, quod Cerisolæ commissum est, & non tam adhortando, quam pugnando militum animos, quibus præerat, accendit, suoque corpore dimicans, conserta cum Heluetiorum duce manu, miscuit certamen, obtruncatoque hoste, ipse pugna sine vllo vulnere excessit. idem in his bellis, quæ in Germania, & apud Belgas a Carolo Imperatore gesta sunt, magnos honoris militaris

gradus

gradus assecutus est, nec alius vir fuit, cuius strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent. Verum cum magnam de se exspectationem adhuc iuuenis concitasset, Vlmæ immaturo interitu hinc ereptus est. Christophorus summus et amplissimus Cardinalis, & ad homines iuuandos tutandosq. natus Carolo V. Imperatori, & Philippo Regi eius filio, carus & iucundus fuit. huic illi regendarum ciuitatum scientissimo rerum Mediolanensium summam imperiumq. permiserunt. hanc ille prouinciam tanta ratione, tanto consilio administrauit, vt illius auctoritate, iustitia, abstinentia, et temperantia reuixisse putarentur; magnoq. esset apud Imperatorem & Regem nomine & gloria, et collatus in eum honos ei, qui contulisset, magnam iudicij laudem afferret. Multas præterea legationes obire a Summis Pontificibus coactus est; delatosq. nouos honores meritorum magnitudine anteibat. In summos hos viros maiores mei omnia sua studia, & officia contulerunt. hæc vero eorum pulcherrima instituta non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum mihi proposita sunt: & quamquam exigua vis ingenij data sit, tamen vt eorum vestigijs in te colendo insistam, quædam neceßitas mihi imposita est: præsertim, quod eos honores adeptus es, vt auitum & paternum splendorem æquaris: nam cum adhuc ætate iuuenis esses, sed senili prudentia in magna clarorum virorum copia ipse potißimum a Ferdinando Imperatore & conuentu Augustano delectus es, qui ad Franciscum secundũ Gallorum regem legatus mitterere, et de grauissimis

rebus ageres. A Pio IIII. ita in Cardinalium collegium es cooptatus, vt non beneficium tibi dedisse, sed vt meritum debitumq. honorem tibi persoluisse videretur. Concilio Tridentino tanta cum laude affuisti, vt nullius sententia grauior haberetur. Cum te Romam contulisti prope vna totius Germaniæ voce eius prouinciæ patrocinium suscipere coactus es. Quare quod non modo tot tantaq. ornamenta, quot et quanta vel ab honoris cupidißimo viro possunt optari, in te congesta sunt, sed etiam meum studium fidemq. amplexus es, res postulare visa est, vt quidquid sum, & quantus quantus esse possum, totum me tibi addicerem. quæ cum ita sint, me omnia studia, atq; obsequia tibi præstaturũ polliceor; idq. effectu rum confirmo, vt neq; a meis maioribus, neq; a me ipso degenerasse videar; veterumque beneficiorum magnitudinem memoria colam sempiterna, & nouæ gratiæ a te initæ munus omnibus meis viribus tuendum et illustrandum curabo. Interim cum aliquod perpetuæ meæ in te obseruantiæ testimonium exstare cuperem, hunc de Numerorum Mysterijs librum, in quo plurimum temporis contriui (vtinam cum laude aliqua) in tuo nomine diuulgandum esse duxi. etenim numerus nihil aliud est, quam ordo: ordo verò diuino beneficio nobis datus est. quare eo libentius hoc feci duas item ob caussas. quarum altera est, quod hæc, quæ in recondita & arcana numerorum scientia versabantur, meaq. interpretatione illustrata erant, cum tuis studijs congruebant. etenim illud satis constat, ordinem, si vsquam, in vita & moribus

ribus

ribus tuis elucere, teque omnia mysteria, quæ penitus in media Theologia & Philosophia abdita sunt, & retrusa, tui ingenij acie penetrasse. quare hinc futurum intelligebam, vt quæ de summis & diuinis rebus traderentur, ea summi & diuini hominis titulo cohonestarentur. altera, quod hoc opus, positum in amplissimi & illustrissimi hominis auctoritate, plus nescio quo pacto videbatur habere grauitatis. Omnia vero, vt spero, prosperè procedent, si operis mei tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo subleuabit, meq. dignum iudicabis, a quo donum animo ac voluntate eius, qui libens dat, quam re maius ampliusq. accipias. Id autem si consequar, vt industria mea tibi probetur, & operam hoc in libro bene a me positam ducas, meos labores satis magno fructu compensatos existimabo, & meis consilijs beneuolentiæ tuæ spem quasi numen aliquod propitium affuisse arbitrabor.

AVCTOR
ad Librum.

QVam Germania, & Itali, Tridentum
Certatim celebrant, colunt, frequentant:
Circum quamque Athesis fluit sonorus,
Vade vrbem numero, & sacra Mathesi
Plenus misterijs liber profundis,
Quæ Graij, & Latij docent magistri
Dextro sydere, passibusq; lætis:
Romam seu potius petas beatam,
Dignum Principis atrium Madruti,
Inter Cardineos Patres micat qui
Ceu sydus Veneris, Iouisq; faustum:
Te non aspera saxa, iterq; longum,
Montes, flumina, non lacus, lacunæ,
Surgentis furor æquoris, Pyratæ,
Non pestis peregrini & acra lamo
Tardent: vel salebrosa senticeta:
Commentaria nostra sarcinæ, quæ
Tanti ponderis, vt grauare possint,
Non sunt: nauiter, i, liber Madruti
Te sistas sacra ad ora Cardinalis:

Quo

Quo nil cultius eruditiusue:
Quo nil munificum, magisq; prudens.
Is te comiter obuijs fouebit
Vlnis, deposita seueritate,
Vnguento exotico statim refectum;
Auro, & purpurea toga, vmbelicis
Cultus, cum reliquis eris Sophorum
Libris, delitiæ tui patroni
Dignantis legere hos Petri labores
Publicis studiis minus grauatum
Dum pasces, titulum ingeras clientis
Bungi perpetuo suum fidelis
Erga Madrutium, & bene ominare
Vt magnum videas herum gerentem
Gemmatos apices, & ipse honore
Donatus, recolas Patrum supremum.
I fælix liber optimi patroni
Et ter magnanimi cliens futurus.
Romam & si dominam videre gestis
Neptuni aut titulo tridentis vrbem.

CAMILLI CAMILLII CARMEN ELEGIACVM.

SAcra Prophetarũ, dum BONGE, volumina paßim
Voluis, & hinc promis viribus apta tuis.
Alte quid poßit NVMERORVM Mysticus ordo
Vestigas mentis lumine valde nouo.
Tu siquid factum fuerit bis, terque, quaterque,
Colligis euentum, iudiciumque doces.
Vt Deus immensam NVMERIS, & pondere iusto
Firmauit molem, composuitque manu,
Sic tu nunc mentes NVMERORVM pondere firmas,
Quas PETRE ingenio iuuas, & arte pari.
His te luminibus, quæ nam generosa Dearum
Edidit in lucem, collis amica tui?
Collis amica tui, surgens vbi BERGOMON alta
Reddere iam Numeris mœnia clara potest.
BONGOS in cœlis quo nunc hæc cernere vultu,
Quo vultu & patrios credis amare lares?
Tu quod gens campos olim dominata per amplos
Perdidit, instauras, tollis & ingenio.
Gens olim fœcunda viris, nunc nacta nepotem
Vnum, multorum suppleat ille vicem.
Suppleat ille vicem generosos lætus auosq;
Vincat, quem tollit durus ad astra labor.
Vnum te præsens nostra hæc mirabitur ætas,
PETRE decus gentis, PETRE decus patriæ.

D. PANCRATII
FLORENTINI
Monachi Vallis Vmbrosæ.

Pondere, Mensura, Nume:o, Sapientia cuncta
Librat, metitur, distribuitque Dei.
His seruat, regit, inq; dies augetq; fouetq;
Innouat, & reficit; pellit & inde nocens.
Mystica sanctorum hæc tradunt oracula vatum;
Numine repleti, qui cecinere sacro.
Miranda hæc oculis adeo mortalibus extant;
Vt varijs dederint dogmata mille viris.
Attamen his melior nulli stat opinio veri;
Quam Sophiæ Patri, Pythagoræ Samio.
Omnia qui NVMERIS *docuit conflata, probatq;*
Quod res protulerit denique sola Monas.
Inditur huic rerum vis: ac suprema potestas;
Vt reliqua, hac sola deficiente, cadant.
Conson a diuorum hæc quantum sit opinio dictis;
Qu isque ve lignarus noscere quippe valet.
Hic Monadem Mentem statuit; Deus unus habetur.
Qui Mens, Trina Monas, creditur; Vna Trias.
Omnia, nil mirum ex NVMERO *constare creata;*
Cum Deus, & NVMERI *dicitur esse logos.*
Hæc, exculte tuum dum signat BONGE *volumen.*
Pythagoram sacris vatibus ipse refers.

APOLLONII PAINII.

NOn Sophron, Samiusue Sophos, doctissime BONGE,
Maiori studio Numerorum Sacra potentum
Pandere quiuissent mysteria lumine claro
Abdita fatidicum lustrando oracula vatum,
Quàm Tu opere insigni præstas grauitate referto.
Nunc decori adde decus, res miras necteq; miris
Rebus, vt innumeris te laudibus efferat orbis.

IVLIVS SIGNIVS.

AD APOLLONIVM PAINIVM,

Virum celeberrimum.


NOmine, Apolloni, qui nomen Apollinis altum,
Illius atq; refers numina numinibus,
Tu numeris BONGI *Numeros extollere, laudes*
Vnus & innumeras dinumerare vales.

IOSEPHI VNICORNI

DVm Numeri in Sacris numeras MYSTERIA *verbis,*
Enumeras laudes, optime BONGE, *tuas:*
Fallor, non numeras, Numerus numerare videtur,
Attamen innumeras qui numerare potest?

IOHANNIS ANDREAE
AVEROLDI
Brixiani.

NOSCIS opes, NVMERVM Samius quas clausit abyssis?
Nosce modo e NVMERIS, quas PETRVS haurit opes:
Compone has illis; ambarum respice malem;
Aequa, si gutta est æquiparanda mari:
Compone his illas; ambarum respice formam:
Assimila, æs auro si similare vales:
MYSTICA iure canum claudebat ab auribus ille,
Cuius erat, terras nube tegente, labor:
Grandia iure piјs MYSTERIA mentibus haurit,
Qui perfecit opus, Sole micante, suum:
Gutta mari, æs auro, cedunt & nubila Soli,
Pythagoram BONGO cedere posse negas?
Cedit: siq; Stygis rediuiuus surgeret vndis,
Βογγᾶιος, dici vellet vbique, Σοφὸς;
Ἰταλικῆς σοφίας, renuens vocitarier, Ἄρχων,
Italico quando vincitur ecce Sophe.


INSIGNE
PATERNVM BONGĘ FAMILIĘ
VIM

BONGORVM

INSIGNIA GENTILITIA A IOSEPHO BANNOTIO

paucis explicata.

Quæ terris Bona sunt, nullum quæ terminet æuum,
Nullaq; non seruent numina, digna puta.
His sua bellipotens det ferre insignia Mauors,
Claraq; pugnaci parta Trophæa manu;
His sua Mercurius Talaria cedat, & Ora;
Quaq; potens Virga Tartara, & Astra mouet:
Iam BONITATE *diu claret* GENS BONGA, *beauit*
Nomine quam BONITAS, *stemmate vterque Deus.*
Floruit hæc armis, populos domitauit, & Vrbes,
Prudentum nituit, Pontificumq; toga.
En vtrumque notat color hoc discrimine iunctus,
Mente notat claros Luteus, Ense Ruber.

Indicat

Indicat hæc eadem, crinito quæ eminet ore
Virgo vtroq; potens squamea colla gerens:
Monstrat vtrumq; vomens violentas vndiq; flammas
Quas cohibere nequit multo Adamante globus.
Hisce BONIS *auctam seruent o sæcula* GENTEM
Cesserit vt BONGIS *Nomen Honosq;* BONI.

M. PVBLII
FONTANAE

VIrgineo quisquis sublimi in casside vultu
Stare vides Colubrem, suspensum pectore toto,
Egregiæ gentis referentem insigne decorum;
Inuentum ne crede nouum: nec vana mouentem
Artificem finxisse putes: nam conscia cœli
Virtus, se magno terrarum corpore miscens,
Ipsa hac vitali voluit me uescier aura,
Humanumq; efferre caput, tum cætera campo
Serpere, & innocuo sinuare volumina tractu.
Talis eram, cum me gelidi ripa aspera Rheni
Gramineo in campo bibula protrudit arena;
Et cum Belga ferox, atq; ipso hoc nomine tanto
Debaccata iugis, stupuit Germania monstrum.
Quid vero portendam homini, dum nescia turba
Scitatur, certumq; foret me fata profari,
Fatidicam dixere, & adhuc mihi fama superstes.
At nunc mira mei, galeæ quæ fulget, imago,
Desuper incumbens apice cristisq; decoris,
Emeritum proauum atq; atauum testatur honorem;
Atq; ipsum profert sublustri in luce videndum.
Ergo vbi iam lætoq; solo, cœloq; salubri,
Consedere duces, Germano è sanguine BONGI,
Remq; simul patriam, & fortunæ aduecta prioris,

Compo-

Composuere loco, sibi qua gens aspera bello
Finibus Italiæ extremis molimine multo
Imposuit claram summis in collibus vrbem,
Vrbem, quam dexter montano vortice Brembus
Personat, & læuo præcingit Serrius amne;
Explicor ante fores, clypeo sublata corusco,
Extructæ domus; hinc seni discriminis vmbo
Alterne effulget, dissectus purpura & auro.
  Nec Deus huic signo nec tantis defuit orsis:
Sedulitas, virtusq; virum, quos ipsa sub auras
Mascula progenies longo tulit ordine, ad altas
Euexit sortes atauos magnosq; nepotes.
Nam tum Marte graui, tum docta Palladis arte,
Et fructu ingenij pariter, pulchroq; labore,
Aeternum peperere sibi patriæq; decorem.
  Publica mansuris testantur nomina fastis,
Quos ignes BONGI, patrijs quæ incendia muris
Depulerint, toto fureret cum Insubria bello.
Quin, vbi iucundo fulsit Pax aurea cœlo,
Hæc opibus gens vna suis ad mœnia ciues
Attollenda vocat: sulco tum protinus acto
Murorum erigitur moles; turritaq; cingunt
Pergama septenis eductam in collibus arcem.
  Dicite prærupta, veterum vestigia, turres,
Vos etiam stantesq; minæ, & decorata vetustis
Saxa notis (modo si vobis Tritonia Pallas
Aequa est, nec iam sola fouens noua mœnia curat)
Dicite nam quoties armato milite BONGI
Decurrere iugis primi; quotiesq; subactis
Hostibus ad portas parto rediere triumpho.
  Ipsa situ longo suspensa insignia monstrant,
Vt proceres inter primos moderamine multo
Prospicerent vrbi, & certa ditione tenerent.
Hæc non insidijs rerum sibi summa potestas,
Per tot ducta viros, tantos seruata per annos,
Aduenit; sed sola animi virtute pararunt;
Dum

Dum patriam curare manu, blandoq; fouere
Consilio certant; dum nec prudentia metas
Vllo vsu recipit, patrum dum facta nepotes
Egregiosq; actus generosis actibus implent.
Hæc nos, tum vultu Virgo, tum cætera Serpens,
Et clypei fuluis illucens purpura Zonis,
Innuimus, signo hæc eadem pretendimus vno.
Felices Serri ripæ, collesq; beati,
Luce quibus tanta magnum spectaße Robertum
Contigit, & charos tam sancti patris honores,
Cum sacrum illius tegeret pura infula crinem.
Quæ pietas? quæ tanta fuit solertia menti,
Sacrorum vt leges starent? vt debitus aris
Cultus iret? cura vt nullus teneretur inani?
Ille quidem summasq; ædes, augustaq; templa,
Erexit; cœtusq; itidem sacrosq; ministros
Addixit templis, & magnis censibus auxit.
Saluete, Heroes, meritis ingentibus aucti.
Vos non vlla patrum summorum gloria flexit;
Maiestas non vlla potens, non ora tyranni,
Terruit inuictos animi, mandata ferentes,
Seu pacis belli'ue forent ea munia. non te
Antoni, pulchro non te, Federice, volatu
Fama vnquam sileat, duo fortia pectora. longe
Lactanti vox clara sonat, qui fulmina belli,
Qui Venetum tormenta vnus, terraq; mariq;
Et premere & tonitru poterat displosa ciere.
Te vero, decus Italidum, quæ sæua pudicam
Euicit pietas? Vt sancti iura pudoris
Serues, immeritum violasti vulnere pectus.
Quæ tibi vis animi? tantum ne ante ora Tyranni
Ausa nefas Virgo? collapsam ipse horruit hostis,
Abstinuitq; manu, & greßu suspensus inhæsit.
Sed non te hostili mucrone, Antonia, dextra
In-

Induis: ast species manibus se se altior ipsis
Numinis insinuans, ardorq; arrectus honesti,
Dedecorisq; timor pudibundo in corde volutus
Hausit virgineum crudeli funere corpus.
Vos, quibus integri mores, & candida mens est;
Dum simul in melius referunt ea facta nepotes;
Et bustum palma, & multa decorate cupressu;
Liliaq;, violasq; date. Ecquæ nam immemor ætas
Famæ istius erit? siquidem pro nomine tanto,
Et sobolis castæ, atq; ipso virtutis amore,
Stat pietatis opus, mediæq; attollitur vrbi;
Namq; huius si qua est generis quæ fœdera lecti
Virgo ineat, dulces adytis seu destinet annos,
Intemerata colens diuos, hanc optima Petrus,
Et meritis ingens, & veri sanguinis hæres,
Munera iußit habere, argenti pondus & auri;
Hoc tabulæ, hoc memori testantur Stemmata saxo.
Sed Iouis imperijs, quæ iam mihi reddita uox est,
Phœbigenæ studio, atq; ipsius numine Phœbi,
Subtrahitur sensim: mittam quæ plurima fando
Enumeranda forent. Tu, cui mens conscia rerum,
Diuitijsq; animosa suis opera omnia lustrat,
Et datur immensum cœlum affectare potestas,
Illa feras Petre, attexens & facta Parentis
Magna tui: vt penitus terris Orator ad Arcton
Dißita regna adijt, Romani iussa faceßens
Imperij; vtq; acies campo direxit aperto
Dux belli toties; vtq; ille vno ore sonaret
Tot voces hominum, tot mores mente teneret,
Quin etiam prudens iam tot per tempora clausos,
Thesauros retine, vt, quæ animo se condidit vno,
Nobilitas, virtusq; tuorum, & gloria patrum,
Fortius eniteant; velut inter nubila cœli
Erumpunt radij, lætusq; aperitur Apollo.
Sic quæ Panthoides, Samiæ telluris alumnus,
Arcana inuoluit numeris, docuitq; tacendo,
Conticeant secum, proprijs damnata tenebris;
Teq; vnum noscant, teq; vnum secula discant.

ANTONII MARIAE AVGVSTI BERGOMATIS
AD PETRVM BVNGVM
Ecclesiæ Bergom. Seniorem Canonicum & Cantorem.

PLurima si quis erit caræ qui debeat Vrbi;
Tu debes patrio plurima BVNGE solo.
Si cuius proauos vocet armis Patria claros;
PETRE, tuos solum Patria Bunge vocat.
Si quis, quem clarum gestis Vrbs reddat auorũ;
Solus, quem decoret Bergomon alter eris.
Si quis, nobilitate, suæ. quod clareat: Vrbi
Debeat; ingenuus debita Bungus habet.
Si quemquam ingenuis selectum Patria ciuem,
Artibus excoluit; tu Petre solus ades.
Bergomon, insignis toto vt colereris in Orbe
Fecit; vt alta petas Bergomon astra facit.
Te tua demeruit tantum sibi Patria Bunge:
Quantum Arpinatem martia Roma sibi.
Nobilis illa negat superari, Bunge, voluntas,
A Patria meritis, officijsq; tua.
Acceptasq; vices adeo officiosa rependit:
Vt sibi eam fuerit demeruisse parum.
Laudibus attollis, diademate Bunge perenni,
Cingis; & egregio nomine ad astra leuas.
Bergomon infandi manibus gens prisca Tyranni,
Stirpis origo tuæ: texerat ense ferox.
Vendicat ereptum priscam madefacta cruore,
In libertatem; municipesque fouet.
Alta suo haud tantum Sicyonia debet Arato;
Annibali Peni: Priamidæq; Phryges.

Bergomon Vrbs quantum Bungęo debet amori,
Quo viguit, creuit, denique tuta fuit.
Tu modo priscorum qui facta imitaris Auorum:
Aeterno Patriam munere Bunge reples.
Nomine si qua fuit reliquas quæ intermicet Vrbes:
Nomine sola tuo Bergomon alta micat.
Inclyta si qua fuit reliquis virtute superstes:
Vrbs; tua nunc per te Bunge superstes erit.
Sordida cum populos misere detorquet egestas;
Vndique collectis dextera præstat opem.
Cum fecunda Cæres fructus mortalibus aufert;
Qui tua non adeat limina nullus adest.
Grandia virtutum si stemmata dantur Athenis;
Per te Bergomeis nobile stemma datur.
Vnica Musarum laus, exstas, gloria, splendor,
Immortale decus, præsidiumq; salus.
Quicquid docta tenet, cognoscis, turba Sophorum;
Cognoscis quicquid Bunge Mathema docet.
Solus Thespiadum sacro modulaminis haustu:
Pectora replesti, vate docente Deo.
Munera pro patria hæc pretiosa expendis honore;
Vt decet ingenuos, ò Petre Bunge, viros.
Serta ferant omnes; Bungi redimite capillos.
Lætus, is, populus voce, triumphe, canat.
Compita carminibus repleant, & tympana pulsent;
Suspendantq; cauis pendula dona tholis.
Indomiti silices Bungorum gesta recensent;
Et Petrus eximium nomen ab Orbe ferat.

PETRVS POSTEKALSKI.

Quis neget en iterum, post secula longa, dolorem
Immensum cerebri sustinuisse Iouem?

Quo

Quo rursum, vt liber fieret, ceu Pallada quondam,
Nunc Heroa PETRVM in lumina dia tulit,
Ornatum studijs, virtute, & rebus honestis,
Palladis vt fratrem noscere iure queas.
Palladis ingenium nam toto vt fertur in Orbe,
Sic Petri ingenium maximus Orbis amat:
Pallas Pieridum genitrix ceu dicta sororum est,
Pieridum genitor dicitur esse Petrus.
Cęlibe ceu vita Pallas, sic cęlibe Petrus
Gaudet: fit studio tutus vterque pio.
At cum tale decus Petro, cum gloria tanta,
Tantus & immensi surgat honoris apex.
Aut summi Petrus Iouis est generosa propago,
Aut Iouis alma Petro filia mater erit.
Nam licet hæc crebro cęlestia munera promsit,
Ille dedit rari sæpe laboris opus.
Tale tamen numquam lucis prodiuit in auras,
Palladium cerebrum quod peperisse putes.
Quales Petrus, soboles non inficianda tonantis,
De Numeris profert nobile dogma pijs.
Nobile dogma, prius non vllo tempore visum,
Non prius in Phæbi lumina clara datum.
Fœlix sorte tua, fœlix qui dignus haberis
BVNGE Iouis dici filius atque nepos.
Fœlix magnorum mysteria sacra Deorum
Qui pandis, Superum concilijque praes.
Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt,
Dum current vndæ, dum vehet astra polus.
Seraque posteritas quoties tua scripta videbit,
Incendet sobolem talibus ipsa suam;
Laudetur, vigeat Bungus, relegatur, ametur,
Bungus diuinas qui patefecit opes.

HIERONYMI MONETAE
MEDIOLANENSIS.
Hexasticon.

Si quæ Pantho̱ides numeris mysteria clausit
Voluas, nil numeris tetrius esse potest:
At si quæ Bungus numeris arcana reclusit
Spectes, nil numeris clarius esse potest.
Vincere quid ni igitur samios dicaris honores?
Tu lux Bunge nitens, nox magis ille fuit.

ALEXANDRI MONETAE
Mediolanensis.
HEXASTICON.

Pythagoram merito quondam est venerata vetustas,
Miram quod numeri vim prior aperuit.
Ast en Pythagoram ista nouum nunc protulit ætas,
Cui mage quam veteri iure ligata manet.
Tu Bunge ille es, qui numerum mysteria pandis
Claudunt quos grauido Biblia sacra sinu.

IOANNES BONVS
NOVARIENSIS.

Si, dum sensa aperit numerorum mystica Bungus,
Te a Bungo victum dixero Pythagora.
Quid responsurus sis per tua dogmata, noui;
Quæ nunc in Bungo est, ipsa mea est anima.

Idem in Zoilum.

Zoile ne assuetis clamoribus obstrepe: tradit
Hic sua, si nescis, dogmata Pythagoras.

IO. BAPTISTAE MAGENI BERGOMATIS.

Carmen.

PHœbe nouos plectro lætus qui pandis honores,
Orbique profers lumina.
Aonidum cœtus deno qui perficis orbe,
Ornas & tua præsentia,
Pelle procul turbam, vulgusq. hinc pelle profanum,
Veterno putri deditum.
At si quem doctas iuuat exercere per artes
Mentis vires Palladiæ,
Te Duce iucundo numerosa volumina nostri
Doctoris legens perlegat.
Inuide quid rabido laceras hæc munera dente,
Magnis oblata Patribus?
Cur frustra natum dicas, aut viuere frustra,
Cunctis bonum quem noueris?
Quem sæuus durum nullus fregit labor, aut quem
Nunquam vicit inertia.
Insomnes nunquam spreuit qui ducere noctes,
Curis qui nunquam vacuus?
Quales astra super maiorum rettulit ætas
Virtute cinctos inclyta.
Quod patriæ, quod amicis, quodq. sodalibus ortos,
Sibi non solis noscerent.
Vnde triumphales currus, ac vnde trophæa,
Parta prius victoria,
Pyramides, ludos, turres, sublimia templa,
Fumantia iisq; altaria,
Insignes statuas erexit marmore, & ære
Regina Roma Gentium.

Heroas

Heroas sic visa sibi, sic tollere Martes,
Sic atque magnos Principes.
Emeriti dignos Petri nunc esse labores
Bongi neget quis laurea?
Abdita qui numeri reserans arcana, recessus
Ostendit nobis mysticos?
Vnde haurire queat verum sibi quiuis honorem,
Quamuis artem præ se ferat,
Cuius fama vigens totum cum sparserit orbem,
Suis adaucta laudibus,
Quid mirum cælo noua si qua refulserit & lux
Miro, nouoq. lumine?

DE MYSTERIIS NVMERORVM.

POstquam stelligeras arces, terrasq; fretumq;,
Condidit Altitonans, pecudesq;, hominesq; creauit
Tantum opus æterno placuit fecisse parenti,
Sed placuit fecisse hominem, magis omnibus vnum,
Qui formæ speciem diæ vultumq; referret,
Cuiq; ipse æternus Cœli in regione parasset
Sedes, atq; iterum vitam post fata dedisset
Hunc vt diuinum melius monstraret amorem
Cunctis præposuit rebus, terræq;, mariq;,
Aerijsq; plagis, magnasq; vt ad æthera mentes
Erigeret, solum fecit ratione vigere:
Promptius hoc vt perficeret, quid celsa polorum
Tecta tenent, quid terra sinu, quidq; æquora claudunt
Omnia nosse dedit numeris, tellure relicta
Quorum præsidio totum percurrere Olympum,
Infixasq; polo stellas, ignesq; vagantes
Corporis obtutu posset, mentisq; tueri.

B

His

His fretus Samij atq; Itali doctissimus orbis
Naturas rerum denso caligine tectas,
Humanosq; animi penetrauit acumine mores:
Quin etiam aerias oras, animoq; rotundum
Percurrit cœlum, & stellas numerare nitentes
Sciuit, quidq; ferat verso temone Bootes,
Quidue Arcti, quidue ense ferat metuendus Orion.
Cætera quid memorem, stellatum acuerat agmen
Per numeros, & quid cœlo quæq; astra notarent:
Hinc illum imparibus numeris aptasse videmus
Naturæ formas varias, alijq; vicissim
Materiam sophiamq; omnem statuisse sub illis.
An quæcumq; petunt sensus, fugiuntue, nec vlla
Vi, nisi cælesti capiuntur mente Sophorum
Ille Deus non sub numeris mysteria duxit?
Sed moror innumeros numerans ex ordine fructus
Quos numeri pariunt solus queis optimus auctor
Esse Deus voluit, sacrataq; verba repleri
Quæ veteres quondam diuino lumine vates
Afflati varias sparserunt voce per oras.
Quare quò præstant fluxis cælestia rebus,
Hoc etiam numeri, queis pagina sacra coruscat
Præ numeris, qui se naturæ in mole recundunt
Nam quęcumq; globo terræ clauduntur in amplo
Formata ad solam numerorum dicere formam
Haud dubitem, tua post monimenta Augusta, Boeti.
Quatuor hinc elementa sui primordia sumunt
Principij, tellusq;, aerq;, ignisq;, fretumque.
Hinc & ver cinctum viridanti tempora serto,
Frugifera hinc æstas flauos decorata capillos,
Hinc Autumne gerens fructus mortalibus ægris
Omnigenos, & Hyems brumalibus horrida villis

Prin-

Principium trahis, hinc vasti conuersio Cœli.
Deniq; syderei summus moderator Olympi
Innumeris terras fluctusq́;, inclusit & astra:
Quos semel humanæ ferret pro munere genti.

PETRI RONCALLI
IOHAN. MARTINI FIL.
Octasticon.

Quamuis mortali claudaris carcere Bunge
Audes per superas attamen ire domos:
Stelliferos axes animo speculare profundo,
Et quid portendant sydera cuncta, tenes:
Quicquid & antiqui quondam cecinere prophetæ,
Non latet ingenium, maxime Bunge, tuum.
Sic cœli potius quàm diceris incola terræ,
Corpus habet terras, spiritus astra colit.

D. GVLIELMI DE FRANCHIS
ROMANI
Monachi Vallis Vmbrosæ.

דעך הזהיר נגהות   כי אשר חפש תהלות
הספירות הגדולות   כל ברוב חכמה ובינה:
את תבקש השחקים   עם אשר תחתיו נגידים
את תלמד לנערים   לעשות טוב עם אמונה:
ספרך מלא פלאות   יש בך כל־מין לשונות
כל־אשר טובות בחכמות   גם ספירות גם נגינה:
ואני לא טוב לספר   כל־יקר לכן תכפר
לי אשר את־זאת אדבר   כי חכמים את מכונה:

AD BENEVOLVM Lectorem.

QVod nil fere iucundius plerisque videatur, quam aliena loqui, & aliena curare, (sunt enim vitia maxime communia inuidia, maleuolentia, obtrectatio) diu multumq. dubitaui, num meas has qualescunq; lucubrationes naufrago aliorum iudicio committerem. Nam præterquam quod improba quorundam censorum impudentia eousque processerit, vt Pythagoricam disciplinam, Mathematicasq; scientias, & ipsam etiam Theologiam ludibrio habeat; vt Philosophiam omnem ex malo existimet se in hominum concilia insinuasse, sapientiaq. studia, ingenij iactantioris somnia & meras nugas esse dictitet; me etiam deterrebat ingenij mei mihi perspecta tenuitas, & nulla in scribendo exercitatio. Quamquam is mihi iamdiu susceptus labor de Mysterijs, quæ latent in ratione Numerorum, orationis elegantiam haud requirere videatur. Verum nõnulli

amici, quibuscum hæc communicaui, animos mihi addiderunt, quidquid id esset, quantulumcunque esset, laudabile esse dicentes, aliquid in commune laborasse. Commemorabant illud Platonis, qui sic ad Architam scribit: Illud te considerare oportet, quia vnusquisque nostrum non sibi soli natus est; sed partem ortus nostri patria vendicat sibi, partem parentes, partem reliqui nobis amici. Et (vt placet Stoicis) quæ gignuntur in terris ad vsum hominum creantur omnia; Homines autem hominum caussa sunt generati, vt ipsi inter se alij alijs prodesse possent. Me etiam interrogabant; num meminerim illius Euangelici serui, qui iram commouit aduersus se Domini, propterea quod talentum sibi creditum suffodisset, & nihil ex eo lucri Dominicis thesauris intulisset. Ita illi mecum. quare humanitatis esse visum est, in re propria alienum potius subsequi iudicium, quam suum. cessi igitur, & quæ per ocium construxi, in lucem emitto. Nec vero mihi quisquam improbe dentatus impingat, quod aliena crebrius hic interseram, quasi aliorum opibus ipse locupletari non erubescam. Cum enim duplex sit probandi modus, vnus videlicet ratione, alter auctoritate constans; atque in reliquis disciplinis primum locum teneat ratio, postremum auctoritas; in hoc non tam rationis, et garruli Syllogismi vis, quam auctoritatis sibi locum vendicat. Triumphant in natura, & humanis inuentionibus, atque figmentis, si fas est, Syllogismorum artificia; sed in Pythagorica disciplina, quæ Diuina scrutatur

myste-

mysteria, locum sibi minimum sperent ac tenuem. Gregorius ille Theologus, qui eminet inter nostrates in omni theologicæ facultatis genere, omnique verborum, ac sententiarum venustate, simul & grauitate, Oratione prima in Iulianum, disciplinam Christianam testatur esse Pythagoricam. Atqui apud Pythagoricos tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Illis etenim ΑΥΤΟΣ Ε̈ΦΑ, *IPSE DIXIT, primum & maximum erat e dogmatibus, & aureis verbis, aut etiam plumbeis præstantius. Post primam enim & initiandis decantatam taciturnitatis Philosophiã, quo sermonis mensuram silentio exercerent, præscriptum ipsis erat, vt si quis eos de dogmatibus suis interrogaret, aut de eorum scientia aliquam exigeret rationem, nil aliud responderent, quam quod ita visum fuisset Pythagoræ, essetque aßertio illa dogmatis ratio inculpabilis, & irreprehensibilis, more profecto Cabalistarum, qui ferme non aliter cognoscendarum rerum rationes citant, quam* א"חאמרו חכמים *DIXERVNT SAPIENTES, a quibus illam doctrinæ præstantiam acceperunt. Et iure optimo quidem ipsequoq; Cabalista nominandus erat, quamuis vt post diuturnam e longinquo peregrinationem aliquid admiratione dignum referret in patriam, quod facilius vulgo crederetur, ipse nomen Cabalæ suis incognitum, primus in nomen Philosophiæ Græcum mutauerit. Ita veterem disciplinam noui nominis conatus est ornamento vestire. Atque hinc animaduertere licet, om-*

nem fere Pythagoræ Philosophiam ab Hebræis ortam esse. Præclarißimorum autem virorum, quorum sententijs, atque sermonibus tanquam opimis apparatibus, & bellarijs symposium hoc nostrum instructum est, nomina, vt ipsi nostræ, si qua erit, & nos eorum laudis participes essemus, apposuimus. Quod si quibusdam in locis aliquid non citato Auctoris nomine, ascripserimus, Lectorem existimare volumus, id nos non agere, vt tamquam nostrum vsurpemus (sicut temere quidam sunt arbitrati) sed quod res ita per se sit facilis, clara, & dilucida; vt illam auctoritate comprobare nobis non necesse videatur. In hoc autem opere construendo vsi sumus characteribus Chaldæorum, vtpote Additioni, Subductioni, Multiplicationi, & Progreßioni quam aptißimis. in titulo vero cuiuslibet numeri, de quo disserimus, varietatis gratia, quæ maxime Lectorum fallit tædium, maluimus Romanis litteris vti, quas ex pluribus auctoribus collegimus; & præcipue ex ijs, qui de Romanis rebus scriptitarunt. Quo circa etiam fere omnes huius numeri notas, quas legendo obseruauimus, in calce huius nostri operis instar appendicis & corollarij cuiusdam apposuimus, nonnullarum earum simul rationes afferentes; vt eorum quoque, qui talem cognitionem aliunde haurire minus potuerunt, inscitiæ aliquo modo hoc labore nostro consulatur.

ROMANORVM
Numeratio
QVINQVE CONSTAT REGVLIS.

HArum prima est uariari Numerorum figuras: primum quinto loco, mox decimo, deinde quinquagesimo, tum centesimo, eodē in reliquis ordine seruato.

I notat vnum. Quid enim magis conueniens, quam quod ea littera, cuius minimus est character, significaret etiam illum numerum, qui minimus est, nempe vnum? Repetitur autem hæc nota vsque ad tria, vel etiam quattuor.

V accipitur pro quinque. est enim apud Romanos vocalium quinta, talis exsistens in ordine, qualis est in numero. Hæc vero minime duplicatur, nisi inuerso modo, vt patet hoc charactere.

X, a quo significantur vnitates decem. nam bis quinque, tot conficiunt. Potest autem et hic quattuor vicibus repeti.

L significat quinquaginta, quia, vt ait Beda, numerus principalis in lege Domini est quinquagenarius. Est enim rationi consentaneum, vt numerus Iubilæi, qui principatum in lege obtinet, per litteram L. quæ prima est in Legis nomine, significaretur. nec ipsa repeti potest. licet Beda vsus sit hoc charactere L X L. pro numero 90.

C *notat centum. nam prima littera est in nomine centum. Vsus enim obtinuit apud Veteres, vt per primam litteram nomina significarentur. Ter autem, vel ad summum quater iterari potest. Non me fugit interpretem Philonis Iudæi lib. Biblicarum antiquitatum hanc notam decies iterasse hoc numeri calculo: Tribum Leui perspexit; & factus est omnis numerus eorum* CXXCCXDDCXXCCDCCCC. *Sed mihi & obscurus admodum, & de menda vehementer suspectus.*

D *significat quingenta, quod conueniens esset in numero prioris litteræ, hoc est,* C *finito, illam litteram, quæ sequitur in ordine litterarum, nempe* D, *tenere numerum sequentem. Atque hinc nata consuetudo a similitudine formæ characterum Romanorum pro* D *clauso scribere* IↃ *apertum. Cum vero a dextra parte alium semicirculum addidissent hoc modo* IↃↃ, *notari volebant quinque millia, eadem ratione per quincuplum ascendendo.*

M *notat mille, nam prima littera in hoc nomine. Eiusdem formæ similitudine pro* ↀ *notabant* CIↃ. *quod si binos alios semicirculos prædictis collaterales, vt hic* CCIↃↃ, *adiecissent, significabant decem millia. idem in cæteris augendo per decuplum. nam* CCCIↃↃↃ, *significat centum millia. quod si quater fuerant repetiti hoc inquam modo* CCCCIↃↃↃↃ, *decies centena millia significari volebant. nec vltra processerunt Romani; sed cum plura significare voluissent, notas duplicabāt. Nos attamen vltra progredi posse docuit Gulielmus Xylander Plutarchi interpres hoc charactere* IↃↃↃↃↃ, *notās exercitū Xerxs. i*

Secunda regula eſt augeri numerum repetendo litteras illas, quas iterari poſſe diximus.

Tertia eſt minorem numerum ante proxime maiorem collocatum, ſemper tantum detrahere maiori, quantum ipſe minor ſignificat. Fit autem hæc numerorum variatio cum detractione quarto loco, deinde octauo, et nono, eodem modo ſemper obſeruato.

Quarta eſt poſiti characteres ante M *vel* CIↃ, *ideſt a ſiniſtra parte locati, tot millenarios præſignant, quot ipſe numerus præ ſe fert vnitates.*

Quinta, qualibet numerorum figura, ſi ſuperponatur ei C *vel* M, *tot reſpectiue centenarios vel millenarios ſignificat, quot per ſe ea notat vnitates. Illud quoque obſeruandum quod monet Valerius Probus, haud raro Romanos vnam notam numeri alicuius poſuiſſe, & lineam ſeu virgulam proſtratam ſuperaddidiſſe, eaq; tot millia præſignabat, quot ipſa numeri nota præ ſe ferebat (tametſi hæc regula in ſepulchrorum lapide non legatur perpetuo ſeruata, cum reperiatur non raro in his linea ſuperextenſa in lungum, licet numerus minime augeatur) Duplatis pariter lineis ſuperextenſis fiunt totidem millies millia.*

Hæc autem vt melius intelligantur, ſubijciemus præcipuas numerorum antiquas notas, & earum valorem.

I	1	IIII	
II	2	IV	4
III	3	Iv	

Nota	Valor
V	5
VI	6
VII	7
VIII IIX	8
IX	9
X	10
XI	11
XII	12
XIII	13
XIV	14
XV	15
XVI	16
XVII	17
XVIII XIIX	18
XIX	19
XX	20
XXIIX	28
XXX	30
XXXIIII	34
XL	40
L	50
LX	60
LXX	70
LXXX XXC	80
XC	90

Nota	Valor
Ͼ	100
IXX	120
CXXC	180
CC $\overset{I}{C}$C S	200
CCC	300
CD ϾD	400
D IϽ Ͽ	500
DC IϽC	600
DCC IϽCC	700
CC∞ DCCC	800
C∞ CM	900

CIϽ
CLϽ
∞
M
MS 1000.
MIL
Ĩ
CXϽ
IXI
8

M.L. 1050.
ML

$\overline{\text{I}}$ I
CIϽ CIϽ 2000.
∞ ∞

IICC 2200.

CIↃ CIↃ CIↃ ∞ ∞ ∞ I I I (with overline) IIIM	3000.
CIↃ IↃↃ ∞ IↃↃ	4000.
V (with overline) V (with M above) I,ↃↃ IↃↃ ICC V CIↃ V M	5000.
IↃↃ CIↃ IↃↃ ∞	6000.
VII CIↃ IↃↃ CIↃ CIↃ IↃↃ ∞ ∞	7000.
CIↃ CIↃ CCIↃↃ ∞ ∞ CCIↃↃ	8000.

CIↃ ccIↃↃ ∞ ccIↃↃ	*9000.*
CC·I·ↃↃ C·C·I·Ↄ·Ↄ $\overline{\text{X}}$ $\overline{\text{X}}$ CC·I·CC ↃMC ↃMↃ IMI	*10000.*
CCIↃↃ CIↃ CC·I·ↃↃ ∞	*11000.*
CCIↃↃ CIↃ CIↃ CC·I·ↃↃ ∞ ∞	*12000.*
CC·IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ CCIↃↃ ∞ ∞ ∞	*13000.*
CCIↃↃ CIↃ IↃↃ CCIↃↃ ∞ IↃↃ	*14000.*
CCIↃↃ IↃↃ	*15000.*

CCIↃↃ IↃↃ CIↃ ccIↄↄ IↃↃ ∞	*16000.*
CCIↃↃ .IↃↃ CIↃ CIↃ ccIↄↄ IↃↃ ∞ ∞	*17000.*
CCIↃↃ CIↃ CIↃ CCIↃↃ ccIↄↄ ∞ ∞ CCIↃↃ	*18000.*
CCIↃↃ CIↃ CCIↃↃ ccIↄↄ ∞ CCIↃↃ	*19000.*
CCIↃↃ CCIↃↃ XXM	*20000.*
C·C·I·Ↄ·Ↄ CCIↃↃ CIↃ cc.I.ↄↄ CCIↃↃ ∞	*21000.*
CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ ccIↄↄ CCIↃↃ ∞ ∞	*22000.*
CCIↃↃ ccIↄↄ CIↃ CIↃ CIↃ ccIↄↄ CCIↃↃ ∞ ∞ ∞	*23000.*

CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ IↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ IↃↃ	24000.
CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ XXV M	25000.
CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ ∞	26000.
CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ ∞ ∞	27000.
CCIↃↃ CCIↃↃ CIC CIↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ ∞ CCIↃↃ	28000.
CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CCIↃↃ	29000.
CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ XXX ↀ	30000.
CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ	35000.
CCIↃↃ IↃↃↃ XL ↀ	40000.

CCIↃↃ .IↃↃↃ .IↃↃ	*45000.*
DMIↃↃↃ IↃↃↃ D. DↃↃ L̅ L.M.	*50000.*
IↃↃↃ IↃↃ	*55000.*
IↃↃↃ CCIↃↃ LX. M	*60000.*
IↃↃↃ CCIↃↃ IↃↃ	*65000.*
IↃↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ. LXX. M	*70000.*
IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ	*75000.*
CCIↃↃ CCIↃↃ CCCIↃↃↃ X̅X̅C̅	*80000.*
CCIↃↃ CCIↃↃ CCCIↃↃↃ IↃↃ	*85000.*

CCIↃↃ ccciↃↃↃ *90000.*

$\overline{\text{XC}}$

CCIↃↃ ccciↃↃↃ iↃↃ *95000.*

$\overline{\text{C}}$

CM.

C.ML.

$\overline{\text{CI}}$

$\overline{\text{CM}}$.

C.

.C.



100000.

cccIↃↃↃ

$\overline{C\,C}$

C C. M M. 200000.

$\overline{S}$

D.

IↃↃↃↃ

D M. 500000.

q M D

q Ↄ

CMↃ

Cq Ↄ

$\overline{M\,S}$

CqↃ 1000000.

$\overline{M}$ M

CCCCIↃↃↃↃ

NOMENCLATVRA ALPHABETICA AVCTORVM QVI IN HOC OPERE appellantur.

Aydimon.
Aben Ezra.
Abraham Astronomus.
Aegesippus historicus.
Adamantius Sardianus.
Aegyptij sacerdotes.
Aelianus sophista.
Aelius Lampridius.
Aelius Spartianus.
Aemilianus.
Aeschylus Atheniensis.
Aetius Amidenus medicus.
Afranius comicus.
Agnellus Archiep. Rauenn.
Albertus Crantius.
Albertus Magnus.
Albinus Flaccus cognomento Alcuinus.
Albricus philosophus.
Albumasar astrologus.
Alcabitius astrologus.
Alcander.
Alcęus poeta antiquus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Aphrodiseus.
Alexander Polyhistor.
Aloysius Lilius.
Aloysius Luisinus Vtinensis.
Aloysius Regius.
Almansor astrologus.
Alphonsus Castrensis.
Aluarus Pelagius.
Ambrosius Mediolanensis.
Ambrosius Catarinus.
Ambrosius Pareus.
Ammianus Marcellinus.
Ammonius Hermeas.
Amphilochius Epis. Iconij.
Anastasius Synaita.
Andreas Baccius Elpidianus.
Andreas Cęsarien.
Andreas Tiraquellus. I.C.
Angelomus monachus Luxouiensis.
Annales Constantinop.
Annius grammaticus.
Anselmus Cantuariensis.
Anselmus Laudiniensis qui scripsit Glos. interl.
Antigonus scholiastes Nicandri.
Antoninus Archiep. Florent.
Antiphon.
Antonius Panormitanus.
Antonius Sabellicus.
Apollinis oracula.
Apollonius Tyaneus.
Appianus Alexandrinus.
Apuleius Madaurensis.
Aquila sacrorum codicum interpres.
Architas Tarentinus.
Aratus Solensis.
Arethas Cęsareæ Cappadociæ Ep.
Aristeas philadelphi cubicularius.

Aristides Adrianensis.
Aristobolus historicus.
Aristophanes poeta comicus.
Aristoteles.
Arnobius Theologus.
Artapanus.
Asconius Pedianus.
Asrael seu Alphonsus Rex.
Athanasius Alexandrinus.
Athenęus Naucratita.
Auerroes.
Augustinus Hipponensis.
Augustinus Steuchus.
Aul. Gellius.
Auicenna.
Auctor libri Altercat. Synagogæ, & Ecclesiæ.
Auctor virorum illustrium.

BArtholomęus Cassanęus.
Baptista Fulgosius.
Bartholomęus Cepola.
Bartholus de Saxo Ferrato. I. C.
Basilius Magnus.
Bernardus Abbas.
Bernon Augiensis.
Beda presbyter.
Boetius Seuerinus.
Cabalistæ.
Carolus Borromeus Card.
Carolus Bouillus.
Cassiodorus.
Catena græca in Iob.
Catullus.
Censorinus.
Cerealis Episc. African.
Chromatius Ep. Romanus.
Chrysippus.
Cicero.
Claudius Claudianus.
Claudius Quadrigarius.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Pontifex.
Columella.
Concilia multa.
Conradus a Liechthenauu abbas Vrspergen.
Constantius felix.
Cornelius Iansenius.
Cyprianus.
Cyrillus Alexand.
Cyreneus.

DAmascius Platonicus.
Dauid de Pomis.
Dauid Kimhi.
Demetrius scholiastes Nicandri.
Dicęarchus.
Diogenes Laertius.
Dion Cassius.
Dionysius Areopagita.
Dionysius Carthusianus.
Dionysius historicus.
Diodorus Tarsens., Episc.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnaseus.
Didymus Alexandr.
Dominicus de S. Gem. I. C.
Donatus grammaticus.
Drogon.

EPicharmus comicus.
Epiphanius Cyprius.
Erasmus Reinholdus Saluendensis.
Ericius theologus.
Euclides Megarensis.
Eupolemus.
Euripides.
Eusebius Cęsariensis.
Eusebius Emissenus.
Eutropius historicus.
Euthymius monachus Zigadenus.

FAbius Paulinus.
Festus Pompeius.
Flauius Vopiscus.

Fran-

Iosephus historicus.
Ioseph Moletius.
Iouianus Pontanus.
Ireneus theologus.
Rab. Isaac.
Isidorus Hispalensis.
Iulius Africanus.
Iulius Hyginus.
Iulius Hilarion.
Iulius Maternus.
Iulius Pollux.
Iulius Camillus.
Iustinus philosophus & martyr.
Iustus Ep. Orgelitanus.
Iuuenalis.

LAbeo.
Lactantius Firmianus.
Lambertus Hortensius.
Laurentius Surius Carthusianus.
Laurentius a Villa Vincentio.
Leander Milesius.
Leo Baptista Albertus.
Leo pontifex.
Leontius Aduocatus Byzantinus.
Liuius historicus.
Lodouicus Viues.
Ludouicus Cęlius Rhodiginus.
Ludouicus Fidelis.
Ludouicus Viualdus de monte regali.
Lucanus.
Lucas a S. Sepulcro.
Lucretius.
Lucianus.
Lucius Florus.

MAcrobius.
Manfredus.
Manethon Sebennita.
M. Manilius.
Marsilius Ficinus.
Martialis.
Martianus Capella.
Martinus Cromerus.
Maximus philosophus & martyr.
Maximus Tyrius platonicus.
Meletius.
Melito Sardensis.
Menander.
Michael Stiphelius.
Michael Neander.
Michael Psellus.
Micrologus.
Minar Sisennius.
Rab. Moses Gerundensis.
Rab. Moses Aegyptius.
Musæus poeta vetustissimus.

NEantes Cyzicenus.
Nicander Colophonius.
Nicandri scholiastes.
Nicephoras Calistus.
Nicetas Setronius.
Nicolaus Cusa.
Lyrensis theologus.
Nicomachus.
Nonius Marcellus.
Numenius Apamensis.

OEcumenius.
Olaus Magnus.
Olympiodorus monachus.
Onomacrites Atheniensis. seu
Orpheus.
Origenes Adamantius.
Ouidius.

PAlladas poeta epigrammatarius.
Papinius Statius.
Paulus Comitolus Perusinus.
Paulus Germanus Forosemproniensis.
Paulus Iouius.
Paulus Orosius.
Paulus Patauinus. I. C.
Paulus Diaconus.
Pandectæ iuris.

Tibullus.
Tichonius Affer.
Timęus Locrensis.
Trebellius Pollio.
Trogus Pompeius.

Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Valerius Probus.
Varro.
Vectius Prætextatus.
Verrius Flaccus.
Victorinus Pictauiensis.
Victorinus Rhetor.
Virgilius.
Vitruuius.

Xenocrates Chalcedonius philosophus.
Xenophon.
Xenophanes.
Xistus Pythagoricus.

Zenodotus Ephes.
Zoroaster.

VET. ET NOVI
TESTAMENTI
LOCA
PER ORDINEM LIBRORVM
sparsim in hoc opere declarata.

GEN. 1.

IN principio creauit Deus cœlum et terrã. pag. 24. & 224.
Fiat lux, & facta est lux. 24. 131 275.
Vidit Deus lucẽ quod esset bona. 131
Factum est vespere, & mane dies vnus. 27. 131.
Vocauit Deus firmamentum cœlum, et factum est vespere, & mane dies secundus. 69
Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum. 104
Vidit Deus quod esset bonum. 69. 131
Fiant luminaria in firmamento cœli. 24 131.
Fecit Deus duo luminaria. 25. 195
Factum est vespere, & mane dies quartus. 195
Factum est vespere, & mane dies quintus. 254
Fecit Deus bestias terræ &c. 25. 254
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 29. 273. & seq.
Creauit Deus hominem ad imaginẽ, &c. 29. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 147. 148. 149. 150. 153. 156. 157. 159. 160.
Ad imaginem Dei creauit illum, masculũ & fœminam creauit eos. 27. 29. 364
Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 39. 69. 76. 131. 220 269
Factum est vespere, & mane dies sextus. 23. 264 & seq. 285. 630.

Gen. 2.

Perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. 769. 284
Compleuit Deus die septimo opus suum. pag. 284. 630
Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. 283. 284
Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum. 283. 285. 369 630
Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram. 25. 26. 27
Fons ascendebat e terra irrigans vniuersam superficiem terræ. 60
Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. 240
Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formauerat. 125

In

Hac

Vene-

Quin-

Addam

Priora

Behemot

Fun-

In

Vnus-

Et

Quar-

2. Co-

Phi-

Cha-

**** nua

Loca Scripturæ in Appendice explicata.

1. Ma-

Loca vet. & noui Test. in App. finis.

Index Generalis
RERVM AC VERBORVM
MEMORABILIVM.
His, quæ in Appendice continentur, adiecimus litteram a.

aurea

Agnus

An-

Animæ

An-

Athe-

B

Bea-

C

Christo

de-

e nu-

Di-

in

E.

Exe-

G

H.

Har-

Ho-

Hy-

I

In-

K

L

quam

M

Ma-

Moyses

N

Nu-

in

Sena-

Num.

Græci

P

per

eribus

Q

R

Roma-

Saga

Sa-

Sesqui-

agen-

para

T

Tectam

V

X

Z

PRAEFATIO.

NUMERUS est rationalis fabricæ naturale quoddam pullulans principium. mente siquidem carentes, vti bruta, non numerant. adeoque Numerus, principium eorum, quæ ratione attinguntur, esse probatur, quod illo sublato, nihil omnium remansisse, ratione conuincitur. Nec est aliud, ratione Numerum explicare, quam rationem seipsa vti, atq; in sui naturali suprema similitudine cuncta figere. Quare Auenzoar Babylonij verbum fuisse scribit Albumasar, Omnia scire eum, qui nouerit Numerare. quod etiam diuinum Platonem respondisse refert Aristoteles, quærenti Neocli, quare homo sit animal sapientissimum, ac prope diuinum, & quare eidem potius quam cuiquam ex ceteris animantibus credendum sit; quia videlicet Numeros nouerit, quos, inquit, a natura hominis si remoueris, etiam ratio perpetuo perierit. Hinc Samius ille Pythagoras primus, & nomine, & re Philosophus, omnem veritatis inquisitionem in Numeris ponens, & Deũ, & animas nostras, ac cuncta quæ sunt in Mundo, e Numeris constare profitebatur, ex quibus Arithmeticam sibi constituit omnium scientiarum matrem, sine qua nihil propemodum sciri dicebat. quam postmodum Plato ab Italicis Philosophis, qui Pythagoricorum præceptorum sectatores erant, edoctus, & clariorem reddidit, & apertiorem; tametsi, tam obscure Numerorum mysteria tradidit, vt

Nic. Cus. exc. li. x. q me inueniet. & de coniecturis. lib. 1. c. 4.

Nic. Cus. de docta ignorant. lib. 1. c. 11.

etiam initiatos ipsos videatur voluisse cęlare, nedum profanum vulgus: ita visus est Dominicum præceptum haud quaquam asperna-ri, dicens: Non oportere sanctum iactari canibus, nec margaritas mitti ante porcos. occulta enim (dicebat ille) non debent communicari omnibus. Quare a maxima illorum parte lectorem excludit: vnde natum adagium, Platonicis obscurius esse numeris. quo vtitur Tullius ad Atticum scribens, dum rem obscurißimam eße, breuiter intendit significare. Nec a Platone dumtaxat excultam accepimus Arithmeticam istam; sed eandem probauerunt Aglaophemus, Philolaus, Iamblichus, omnesque Philosophi, quotquot ad hęc vsq; tempora numerantur, probabitque Doctorum omnium posteritas usque ad fines seculorum. quandoquidem sine illa, nec rite quidquam dici potest, nec agnosci. econtra, quod ab ea verum probatur, nullo potest redargui pacto. De hac re longo sermone scribit in Epinom. Plato, cum asserit inter omnes liberales artes, ac scientias contemplatrices, præcipuam maximeque diuinam esse Numerandi scientiam; nec artem, nec regimen, vllamve doctrinam posse sine Numeris stare. Quem Iamblichus uolumine de Secta Pythagoræorum prosequitur. Nam Mundus uterq; Numeris est dispositus, ut Timęus Locrensis, & Plato, ostendunt, circa quos Mundos tota naturalis uersatur Philosophia. Quomodo enim Aristoteles (qui singularis uideri uoluit, priores confutando) aliter nobis in mathematicis specierum differentiam tradere potuit, quam quod ipsas Numeris comparat? quos ex nostris etiam primi, intantum secuti sunt, vt Aur. Augustinus, & post ipsum Boetius ille Romanorum litteratissimus, affirmarent indubie Numerum creandarum rerum in animo Conditoris principale exemplar fuiße. atq; in Numeris exempla indagandarum rerum per intellectum solerter Sapientes ipsi quęsierunt; & nemo antiquorum, qui magnus habitus sit, res difficiles, alia similitudine, quam mathematica, aggressus est: ita vt Carolus Bouillus astruat, Iacobum Fabrum per introductiones Numerorum, per Arithmeticæ præludia, Pytha-

Matth. 7
Mar. 7.

gorico

gorico more, totius sui Philosophici profectus, ac litterarij studij exstitisse caußam; & Boetius asserere non dubitauerit, neminem diuinorum scientiam, qui penitus in mathematicis exercitio careret, attingere posse. sic enim scribit quodam loco: Qui spernit Mathematicas scientias, ei denuntio, haud recte philosophandum. Constat autem sub mathematico genere, etiam Arithmeticam istam contineri. Caueas etenim, ne diuinam hanc, quam tractamus, mercatoriam esse censeas Arithmeticam: non mercatoriam quidem; sed illam cogites, de qua in Epinomide dicitur: Opus est Numeris, non his, qui corpus habent; sed qui omnem paris imparisve generationem, atque uirtutem ad perficiendam, cognoscendamque rerum naturam conferunt. hi enim maxime omnium ingenium acuunt, memoriam confirmant, animum ad omnem speculationem actionemque promtissimum efficiunt, eorumque consideratio fert in contemplationem diuini exemplaris, ac multorum reddit elegantissimas caußas. velut cur sint quatuor elementa, & septem planetæ, quid dicant qui Numerorum ratione carent? Illi uero dicunt, quaternarium corporibus ortum & interitum habentibus atq; genitis & generantibus; septenarium uero accommodatissimum numerum esse corporibus ingenerantibus, neq; similia sibi generantibus, cuiusmodi sunt cęlestia; quia quaternarius primus numerus est qui generetur ab alio, & alium generet. fit enim a duobus bis, & generat octo acceptus bis. septenarius solus est intra decem (hi autem sunt omnes numeri) qui neque generatur ab alio, neque alium generat. atqui quoniam linearis est, fitque ex vnitatibus, illis maxime congruit corporibus incorruptibilibus, quæ singula, suo quodque orbe vnum, consisterent. Sed his missis, Arithmeticæ perscrutemur originem. Sunt inter Ecclesiasticos scriptores, qui Pythagoram, Platonem, omnesque Græcos, qui habiti sunt diuiniores, omnem suam Philosophiam ab Hebręis acceptam, Græcis asserunt tradidiße. De Pythagora Philosophorum primo, & ceteris Græcis, scribit Numenius Apamensis Syrus, Philosophus

Orig. li. cont. Celsum. Augustin. in Ciuitate Dei. lib 8.

Pythagoræus, volumine de Bono, quod quæcumque Brachmanes Magi, Aegyptij, Iudæique inuenerunt, ea Græce ipsi exposuerunt. Immo, si vera dicere licet, non est vsquam repertus Pythagoras quidquam rerum, aut diuinarum, aut humanarum vel a Græcis didicisse, vel a Romanis: sed (vt Antiphon edidit in lib. de Vita illorum, qui virtute præstiterunt) accessit discendi gratia Pythagoras ad Aegyptios, & Arabas, et ad Chaldęos, postquam e Syria, quæ et est, & nominatur Iudæa, discessit. vnde Syrius ipse quoque tum appellabatur, quem alij Tyrium dixere, alij Tyrenum; vt Barbarum, non Grecum fuisse predicarent hunc omnium Philosophorum primum. Quare D. Ambrosius Pythagoram genere fuisse Hebræum non obscure tradidit. Cui suum addidit calculum Alexander lib. de Symbolis Pythagoricis, scribens Pythagoram fuisse discipulum Iudæi cuiusdam Nazareti. Narratur quoque apud Clementem Alexand. discipulus fuisse Sonchedis Archiprophetę Aegyptij, propter quem etiam fuit circumcisus, vt adyta ingrediens Aegyptiorum mysticam disceret Philosophiam. Plato autem discipulus fuisse dicitur Sechnuphidis Heliopolitani. quare in eius scriptis aperte testatur, illa, quæ sunt in Philosophia præstantissima, se a Barbaris esse mercatum; quos semper magnifacit, vt qui meminisset se, & Pythagoram, plurima, illaque nobilissima dogmata a Barbaris didicisse. & in Dialogo de Anima videtur Plato agnoscere prophetiam, introducens Prophetam, Lachesis orationem enuntiantem apud eas, quę sortiuntur animas; & in Timæo sapientissimum introducit discentem à Barbaro. Cuias autem fuerit hic Barbarus edocent Iustinus Martyr in Paraclesi ad Gentes, Theodoretus de Curatione Græcarum affectionum, Eusebius Cesarien. de Præparatione euangel. Aristobolus Iudæus ad Philomatrem lib. primo, & Hermippus in primo de Legislatoribus, ex Hebræorum libris multa eum in suos transtulisse testantes. quod quidem fieri potuisse temporum ratione monstratur: quandoquidem Mosaica volumina ante Alexandrum, & ante Per-

sarum

sarum imperium traducta fuerunt. Audias Origenem, cuius hæc sunt verba lib. 6. contra Celsum, græce quidem, sed in hunc sensum: Illud, inquit, nolim inficiari, sententias illas, quæ in Phædro leguntur, Platonem hausisse ab aliquibus Hebræis, aut vt quidam scripserunt, etiam lectis Prophetarum libris, inseruisse disputationibus suis quædam de supercœlestibus, ut illud: Supercœlestia loca e nostris Poetis cecinit nemo, neque in posterum pro eorum dignitate decantaturus est; & quæ deinceps sequuntur. in quibus & illud: Substantiua enim quæ nec calorem, nec figuram admittit, nec tangibilis est, animæ haud dubia gubernatrix, sola mente conspicitur, circa quam veræ scientiæ genus hunc obtinet locum. Hactenus ille. Iam vero etiam apud Petrum Crinitum lib. de Honesta disciplina hunc in modum de Pythagora, & Platone disserit Io. Picus vir vndecunque doctissimus; Pythagoræ diuina illa Philosophia, quam Magicen nuncuparunt, magna ex parte ad Moysis disciplinas pertinebat, vt qui ad Hebræos quoq;, eorumq; doctrinas in Aegyptum vsque perrexerit, pluraq; illorū sacra, atque mysteria intellexerit. Nam Platonis etiam eruditio, vt constat, ad Hebraicam fere accedit veritatem, ex quo permulti eum germanum Moysen duxerunt, sed græce loquentem. Hæc ibi. Liquet profecto Platonem quoq; ipsum in Aegypto peregrinatum, ibiq. non magis Aegyptiorum, quam Iudæorum scientias audisse. quod astruens Clemens Alexand. Stromatū lib. 1. Platonem vocat Hebræum Philosophum. Notū sane Numenij Philosophi verbum: Quid est Plato, nisi Moyses atticissans? Nec alicui ignotum esse dixerim illud de Philone Iudæo Platonis discipulo: Aut Platonis Philonissat, aut Philon Platonissat. tanta est similitudo & ingenij, & dictionis cum Platonica. Exstat apud Hebræos, vt idē Picus in Heptaplo testatur, Salomonis illius, cognomento Sapientissimi, liber, cui Sapientia titulus, non qui nunc in manibus est Philonis Alexandrini opus, sed alter Hierosolyma, quam vocant, secretiore compositus lingua, in qua vir naturæ rerum, sicuti puta-

tur, interpres, omnem se illiusmodi disciplinam fatetur de Mosaicæ legis penetralibus accepisse. Quod si rudis ac popularis in suis libris apparet Moyses potius, quam Philosophus, uel Theologus, aut magnæ alicuius scientiæ artifex; reuocemus eo mentem, fuisse veterum Sapientum celebre institutum, vt res diuinas dissimulãter scriberent; hinc appellata mysteria, nec mysteria, quæ non occulta. arcana enim sermonibus proponuntur obscuris; tum quia (vt admonet Mercurius Trism. in Asclep.) religiosus sermo, & Diuinitate plenus multorum publico interuentu violatur; tum quod Diuina nequaquam percipi possunt, nisi ab his, vt docet magister noster Christus, qui habent aures audiendi, quos videlicet Deus elegit ad intelligenda sanctissima mysteria. nam vulgarium animarum oculi Diuinitatis radios sufferre minime possunt. quod Moysis etiam ostenditur exemplo, in cuius cornutam faciem aspicere non poterat populus, nisi prius obuelata fuisset. Quare tam Plato, quam Dionysius ille Areopagita, prohibuerunt hæc mystica his, qui eleuationes intellectuales ignorant, propalari, quia his nil magis risu dignum, quam hæc alta, videtur. Animalis enim Homo, vt audisti, Diuina non percipit; sed exercitatum in his habentib. intellectum, nihil occurret desiderabilius. Verum quam eruditus fuerit Moyses in vniuersa Aegyptiorum doctrina, testantur Clemens Alexandrinus, & Philon Iudæus, his ferme verbis: Moyses ætate grandior cum esset, Arithmeticam, & Geometriã, Rithmicam, & Harmonicam, & præterea Medicinã simul, & Musicã doctus est ab his, qui erant insignes inter Aegyptios; & præterea eam, quæ traditur per symbola, seu signa, Philosophiam, quam in litteris ostendunt Hieroglyphicis. Alium aũt doctrinæ orbem, tamquam puerum regium, Græci eum docuere in Aegypto. Didicit autem litteras Aegyptiorum, & rerum scientiam a Chaldæis, & ab Aegyptijs. In Apostolorum quoq; Actis Stephanus testatur Moysen ornatum fuisse cognitione multarum disciplinarũ, & artium, e priscorum monumentis petitarum; quas nõ attingat

littera-

litteratorum quilibet: ait enim: Et eruditus erat Moyses in omni Aegyptiorum sapientia. Eupolemus autem in libro de Iudææ Regibus dicit, Moysen primum fuisse Sapientem, & Grammaticam primum tradidisse Iudæis; & Phœnices accepisse à Iudæis; Græcos autem, a Phœnicibus. Ad eorum autem deductus naturam, auxit prudentiam eam, quæ erat sui generis; & maiorum suorum æmulatus est doctrinam, adeo vt etiam Aegyptium, qui Hebræum inuaserat, percutiens interfecerit. Aiunt autem Mystæ eum solo verbo occidisse Aegyptum: sicuti certe postea Petrus in Actibus Apostolicis fertur, eos, qui pretium agri sibi vsurpauerant, & erant mentiti, verbo interfecisse. Artapanus quoque, in opere de Iudæis, Moysen refert in custodia inclusum a Nechefre Rege Aegyptiorum, eo quod peteret, vt populus liberaretur ex Aegypto, noctu aperto carcere Diuina voluntate egressum, cum in regiam accessisset, dormienti Regi adstitisse, ac eum excitasse; illum autem eo, quod factum fuerat, stupefactum, iussisse Moysi, vt diceret nomen eius qui miserat; & illum quidem cum ad aurem se inclinasset, dixisse; Regem autem, cum audisset, mortuum cecidisse; cum autem eum Moyses tenuisset, rursus reuixisse. Patet igitur, qualis, quantusque fuerit Moyses in omni doctrinæ genere. Quoniam vero haud me fugit, quod ab aliquibus imperite tumultuantibus iactatur, oportere videlicet in his dumtaxat hominem versari, quæ necessaria sunt, & quæ fidem contineant; externa vero, superuacaneaque transilire, quæ nos frustra conterunt, & detinent in his, quæ nihil conferunt veritati: operæ pretium facturum me existimaui, si notum fecero, quam sit vtile, quamq. Theologo necessarium, Numerorum cognitam habere naturam. Possem ego quidem non paucos locupletissimos auctores in medium adferre, qui hoc ipsum sensere; sed mihi nunc sit instar omnium auctoritas sancti & magni viri Augustini, qui in libro 11. Ciuitatis Diuinæ hæc scripsit: Numeri ratio contemnenda nequaquam est, quæ in multis sacrarum Scripturarum locis,

Exo. 2.

Cap. 5.

quam magni sit æstimanda elucet diligenter intuentibus. nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in Mensura, & Numero, & Pondere disposuisti. Et de doctrina Christiana lib. 2. Numerorum imperitia multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in Scripturis. Ingenium quippe, vt ita dixerim, non potest non moueri, quid sibi velit, quod & Moyses, & Helias, & ipse Dominus noster quadraginta diebus ieiunauerunt. cuius actionis figuratus quidam nodus, nisi huius Numeri cognitione, & consideratione, non soluitur. Et infra: Multis; atque alijs Numerorum formis, quædam similitudinem in Libris sanctis secreta promuntur, quæ propter Numerorum imperitiam legentibus sunt clausa. In libro denique Quæstionum super Genesim, dum loquitur de Israelitico populo ingrediente Aegyptum, hæc in medium affert: Videndum est, quid sibi velit, quod cum Ioseph, & filij eius non amplius, quam octo commemorentur; Beniamin vero, & eius filij simul vndecim reperiantur, non decem & nouem omnes, sicut sunt octo & vndecim, sed decem & octo referantur in summam; & postea Ioseph cum filijs suis non animæ octo, sed nouem fuisse dicantur, cum nouem inueniantur. Hæc, quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem: sed nescio vtrum possint cuncta ad litteram conuenire, præcipue in Numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos, & mysteriorum plenissimos, ex quibusdam, quos inde noscepotuimus, dignissime & firmissime credimus. Ex his etenim signantur mysteria, reconditamque continent doctrinam de Christo, & Ecclesia, de Euangelio, & rebus similibus alibi in Scriptura proditis, & comprobatis. Qua quidem ratione Christus, apud Matth. cap. 12. tres dies, quibus Ionas fuit in ventre Ceti, docet præsignasse mysterium mortis, ac sepulturæ suæ ad triduum, & gloriosæ deinde resurrectionis. Et in veteri Testamento, Propitiatorium longitudine duorum cubitorum & semis fieri demandatum, quo Christum Hominem demonstraret. Quod & apud Apostolum Epist. ad Rom. habetur:

Exo. 25.
Cap. 3.

Qui quidem licet verus esset Homo, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine eius; aliquid tamen habuit, quod humanam naturam excederet, tria tamen non exæquaret. nam Pater eo maior est. Idem Paulus epist. ad Hebræos interpretatur, in eo quod Pontifex semel tantum in anno ingreditur in Sancta Sanctorum, latuisse mysterium, quod Christus semel esset moriturus, seq; ad expiandum peccatum humani generis oblaturum victimam. Iohannes capite 5. prioris epist. tria recenset, quæ testimonium de Deo dant in terra, Spiritum, dico, Aquam, & Sanguinem, subindicans in illis mysterium Triadis esse in Diuinitate repositum. Neque tamen quouis loco, aut quolibet Numero sunt vestiganda mysteria; sed sunt diuinæ quædam Numerorum virtutes religione, ac rerum ipsarum ordine celebratæ, quas qui intelligit, ad arcana secretiora penetrare vel facile poterit. Nos quidē quæ potuimus apud multos eosq; probatos Auctores obseruare, his collecta commentariis digessimus, et studioso Lectori vno quasi obtutu intuenda proposuimus, describentes mysteria

Ioan. 14. cap. 2.

XIIX	276.421.& seq. 614.
XIX	423.424.
XX	256.424.481.382.& seq.596.
XXI	434.435.
XXII	436.& seq.
XXIII	441.& seq.
XXIV	38.443. & seq. 602.
XXV	345.449.& seq. 583.
XXVII	247.458.& seq.
XXIIX	464.& seq. 645.
XXX	473.& seq.
XXXII	486.487.
XXXIII	487.488.
XXXIV	488.& seq.
XXXV	492.& seq. 583.
XXXVI	345.496.& seq.
XXXVIII	499.& seq.
XL	499.500.501.& seq.
XLII	512.& seq.
XLV	516.& seq. 583.
XLVI	277.527.& seq.
XLIX	69.345.567.
L	66.69.531.& seq. 579. 619.
LIV	462.
LX	216.540.& seq.
LXIII	345.567.
LXIV	345.462.
LXX	547.& seq.
LXXII	554.& seq.
LXXV	557.& seq.
LXXVII	232.558.& seq.
XXC	216.247.562.& seq.
XXCI	245.345.566.567.
XXCVI	568.
XC	568.& seq.
XCIIX	in Append.

XCIX 571.
C 197.260.367.572. & seq.
CXII 580.581.
CXX 262.581. & seq.
CXL 405.
CXLIV 601.
CL 589.& seq.
CLIII 592.& seq.
CC 595.& seq.
CCXV 601.602.
CCXVI 463.
CCLXXIII 436.
CCLXXVI 527.
CCC 481.602.& seq.
CCCXIIX 609.& seq.
CCCL 621.612.
CCCLX 276.612.613.
CCCLXV 613.& seq. Append.
CCCXC 569.
CIↃ· 614.& seq.
CIↃ· XXX. 616.
CIↃ XC. 617.618.
IↃ· 619.620.
IↃ C. 621.& seq.
IↃCLXVI. 275.623.& seq.
IↃↃCC. 633.& seq.
IↃCCXXIX. 462. Append.
CC ∞ .636.637.
C ∞ . 569.
CIↃ· 197.367.637.& seq.
CIↃXCV. 641
∞ CC. 642.
CIↃCC. 642. Append.

DE VNITATE.

VNITAS numerorum fons, & origo, Diuinæ creaturarum origini, æternoq; principio similis esse videtur. per ipsam enim humana mens in Dei contemplationem congruenter tolli potest. Deum autem dicentes Vnum, non numero, sed simplici vniuersitate intelligi volumus. Si quis enim dicat Vnum hominem, aut Vnum equum, hic Vnum pro numero posuit, quia possit & alter homo, vel equus esse, & tertius: vbi autem secundus, vel tertius adijci non potest, Vnus si dicatur, non numeri, sed vniuersitatis est nomen. Deum quoque dicimus Vnum, non quid sit exprimentes, sed quomodo sit id quod est enunciantes. Porro si Pythagoricum, vel etiam Academicum percuncteris: Quid est Deus? respondebit, non solum a se tibi non posse dici quid sit; sed neq; a te hoc iure quæri, cum hæc de illo sit indigna quæstio, qui super omnẽ essentiã, superq; omne intelligibile est, hoc a se dumtaxat posse asseuerari, esse illum Vnitati simillimum, immo essentialiter, & simpliciter esse Vnũ, a quo, & per quod, et in quo, & ad quod omnia sunt, & ordinantur, & permanent, & continentur, & implentur, & conuertuntur; esseq. primum Vnum, & primũ Ens. Sane Xenophanes ille Parmenidis præceptor, & idem Pythagoræ coæuus, quamquam vniuersa celare mos illorum fuit; tamen visus est perspicue nobis explanare, quid ipsum Vnum esse intellexerit, de quo in rerum

Io. Picus lib. de Ente, & Vno.

rum principijs uerba fecerit. Dixit autem illud Vnum esse Deum, quo liquidius Pythagoræ arcana nobis patefiunt, cum statuit, Infinitum, & Vnum, & Numerum esse prima rerum principia. Nã perinde atq; Vnitas, numerorum; ita melior natura Deus, rerum omnium principium est. Et sicut ab Vnitate omnes numeri principium accipiunt; sic Vnitas Dei, vtpote principium & origo omnis creaturæ, genuit, peperitq. multitudinem entiũ, & in ipso creationis ordine itum est ab ente Vno in numerũ entiũ. Atque sicut Vnitas ab infinita Numerorum serie distat in infinitũ, licet omnes numeri ab ipsa Vnitate suscipiant ortum; ita a creaturis Deus. Nulla est.n. substantialis principij, & caussæ ratio ad suos effectus exteriores. Vtq. hec numeros oẽs pares, & impares, ipsa neq. par, neque impar, sua indiuidua simplicitate complectitur; sic ille res oẽs sua impartibili infinitate claudit, & continet. Et sicut a sola simplicissima Vnitate pares, imparesve numeri proficiscũtur; sic ab Vno rerum principio procedunt, tũ quæ mortalis ac visibilis oculus noster cognoscit in mundo sensibili, tũ quæ interna mentis acies in intellectuali prospicit mundo. Itẽ sicut ab Vniuersi principio simplicia fiunt atq; composita; ita & ab Vnitate, numeri simplices, & cõpositi. Simplices, qui Vnitate simpliciter constant, atq. mensurãtur, vt 3. 5. 7. atq. similes; compositi vero, qui insuper quodã minori numero mensurantur, vt 4. binario, 6. binario, atq. ternario. Et sicut oĩs numerus nõ aliunde, quã Vnitatis participatione, & subsistit, & Vnus est numerus, adeoq. naturali quodãmodo Vnitati cohæret, vt ab ea conuelli ac disseparari nequeat: ita & intellectus noster, præcipua quadam & perpetua intentionis vi, in summã illam recurrit Vnitatem, vt totius suæ substantiæ, atq. scientiæ initium, illiq. inseparabiliter cohæret, atq. inseritur, illam iugiter admirans ac contẽplans. Et quẽadmodũ a Deo quoquo modo vniuersæ creaturæ fœcundissimo progressu substantiã habent; pari analogia ab impartibili Vnitate, quasi suo quodã motu, omnis procedit numerorum chorus, cum aliud esse non possit oĩs numerus, quam

Vnitas.

Vnitas. habet enim denarius id quod est ab Vnitate, sine qua nec numerus quidem vnus, nec denarius esset. quod.n. est denarius pe nitus habet ex Vnitate; neq. est quid aliud ab Vnitate; nec est quid quam recipiens ab Vnitate, quasi sibi præter Vnitatẽ, esse aliquod conuenire possit: sed omne id quod est, Vnitas est. Quod & Plato testatur in Parmenide per Vnum intelligens esse diuinum, in quo omnia vitam habent, tamquam rami in radice. Et licet vniuersæ creaturæ inter se genere, specie, numeroq; sint differentes; vnicũ ta men habent esse in ipso primo, non secus ac radij Solares in ipso Sole, & riui in fonte, & virtutes in sapientia. Ex quo quidẽ sequitur oẽs creaturas non a se ipsis, sed a Deo bonorum oĩum fonte, exsistẽtiam habere. Quare Luciferũ de cœlo cecidisse ferũt hac potissime caussa, quod fortitudinẽ suã, non ab ipso Deo, a quo cuncta bona, tanquã fonte perenni, promanant sed a seipso proficisci, sibi persua sit, pro certoq. habuit. Quod.n. nullus numerus seipsum secundũ se metitur, sed id soli tribuitur Vnitati, quis hinc aperte non videat, creaturas nec ex seipsis esse, nec item per seipsas conseruari? Audi Iamblichũ hac in re a Proclo quoq; comprobatum: Oĩa ex Deo ita sunt, vt nusquã vel minima quæq; deseratur a Deo. Vbique.n. Di uina viget Vnitas per quam res quæq; consistunt, ac perpetuo quo dam, intimoq. circulo ad Deum ipsum, a quo, & in quo sunt, mirabiliter reuoluuntur: alioquin in nihilum repente proruerent. Ab Vnitate Diuina cuncta prodeũt, prodeuntiaq. Vnitatem quandã ipsis impressam retinent Diuinæ Vnitatis imaginem, qua & reuo cantur in illam, & reuocata perficiuntur. Hæc Iãblichus. Ad hæc, quod Vnitatis virtus in numeris non euacuari dignoscitur, etiam quocumq. assignato numero, item nec magnitudinis quacumq. po sita sectione, illud in symbolo exprimunt, Diuinam virtutem in creaturis non terminari, magnitudinem item, atq. perfectionem a creaturis non absumi; tametsi ab eadem suam habeat quæq. creatu ra perfectionem. Quod vero vnitas in se ducta se ipsam produ cit; in altum vero ducta, numerum ipsum in suo statu conseruat, quid

Nic. Cus. de filiatio ne Dei.

Carol. Bouil. de oppositis ca. 10.

Io Laurẽtius Ananias, de natu. Dæmo num. lib. 1

quid hoc est aliud, quã Deum Optimum Maximum semper esse seipsum, cum Diuina virtus sit tamquã centrum in circulo? Quẽadmodum enim circulus super centro mouetur, centrũ autem, cũ sit indiuisibile, immobile vtiq. est: ita omnis dispositio, & motus a Deo est, & ipse immobilis est, iuxta illud Boetij de Cõsolation. li. 3.

22. q. 4. c. incõmut.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cęlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.

Diuinæ igitur Vnitatis emanationes intra se immanẽtes sunt semper eædem; verum extra lucent, iuxta suscipientium naturã, nihil tamen suscipientes mutationis, dũ per Vnitatẽ ducuntur. At cum per binarũ, aliumve numerũ suscipiunt multiplicationẽ, tunc alte rationib. corruptionibusq. materiæ mancipantur. Sunt igitur oĩa in Deo immutabilia, sicut in Vnitate, numeri sine alteratione; in se ipsis vero semper aliquo modo mutabilia, tum respectu suæ naturæ, tũ ẽt respectu nostræ cognitionis. Est. n. in Deo Iustitia, Vltio, Vindicta, Clementia, Misericordia, quo ad nos quidem diuersa; in ipso aũt eadem prorsus, ac indifferentia, quoniam Diuina Virtus nihil extra se recipit. Quod plane Clemẽs Alex. hæc scribens Stromate quinto testatur: Deus, inquit, est impatibilis, iræq. expers, et cupiditatis, et non per eã est metus expers, aut declinat q̃ sunt molesta & grauia; sed neq; est tẽperans, aut imperat cupiditatib. neq. n. in graue aliquod, aut molestũ Dei natura incidit; neq. fugit Deus timorẽ, sicut nec cõcupiscit. Quoniam vero qui Deo adhæret, Vnus spiritus efficitur cum illo, mystice apud nos etiam dictum est illud Pythagoricum, Oportere hominem fieri Vnum. Eadẽ ferme scripta reliquit Origenes Adamantius, cuius ego, ne plura dicerẽ, verba subieci: Vide si non hoc ipsum ad laudem pertinet iusti, quod dicitur de Elchana: Erat vir Vnus. Nos qui adhuc sumus peccatores, non possumus istum titulum laudis acquirere, quia vnusquisque nostrum non est Vnus, sed multi. Intuere namque illius vultum nunc irati, nunc iterũ tristis paullo post rursum gaudentis & iterũ turbati, & rursum lenis, in alio tẽpore de rebus Diuinis, et

Origenes hom. vni. 1 lib. Reg. explicans, id quod habetur in cantic. Annę, Erat vir vnus.

de

de vitę æternę actibus consulentis, paulo post vero vel quę ad auaritiam, vel quę ad gloriam seculi pertinent molientis. Vides quomodo qui putatur Vnus, vere non est vnus: sed tot in eo personę esse videntur, quot mores conspiciuntur, quia, & secundum scripturas, insipiens sicut Luna mutatur. Vnde & Luna cum videatur vna esse per substantiæ immutationem, tamen a semetipsa semper ipsa alia est, semperque diuersa. Et sic etiam in ipsa constat, quod Vna, multæ sint. Sic & nos, qui adhuc insipientes & imperfecti sumus, quia semper mutamus sententias, & semper diuersa cupimus & sentimus, & quod Ieremias diceret, de malo ad malum egredimur. s. de cogitatione in cogitationem, de desiderio in desiderium, de peccato in peccatum, Vnus dici non possumus. De Iustis autem non solum per singulos Vnus dicitur, verum etiam omnes conuenienter Vnus nominantur. Cur enim omnes non dicuntur Vnus, quorum cor & anima vna esse describitur? Vnam semper omnes sapientiam meditantur, Vnum sapiunt, Vnum sentiunt, Vnum Deum venerantur & colunt, Vnum IESV Christum Dominum confitentur, Vno spiritu Dei replentur? Vnde merito, & ipsi omnes non solum Vnum; sed & Vnus dicuntur; sicut & Apostolus designauit dicens: Omnes quidem currunt; sed Vnus accipit palmam. Vides aperte quia omnes iusti; Vnus est, qui accipit palmam? Vere enim imitatur iustus, qui talis est, Vnum Deum. Nam vt ego arbitror, cum per Prophetam dicitur: Audi Israel Dominus Deus tuus, Vnus est Deus. non tantum numero, Vnus designatur vtique, qui supra omnem numerum esse credendus est; sed per hoc magis Vnus dici intelligendus est, quod numquam a semetipso alter efficitur; hoc est numquam mutatur, numquam in aliud vertitur: sicut de eo Dauid protestatur dicens: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Sed & illud in hunc sensum respicit: Ego sum Dominus Deus vester, & non mutor. Immutabilis igitur est Deus, & per hoc Vnus dicitur, quod non mutatur. sic ergo & imitator Dei iustus, qui ad imaginem eius conditus

Cap.9.

Act.4.

1.Cor.9.

Deut.6.

Psal.101

Malac.3.

est, Vnus etiam ipse cum ad perfectum venerit, appellatur, quia & ipse cum in virtutis summa constiterit, non mutatur; sed Vnus permanet semper. nam dum in sceleribus versatur vnusquisque, per multa diuiditur, & in diuersa dispergitur: & dum in multis est vitiorum generibus, dici non potest Vnus. Igitur quia secundum mirabilem hanc Vnitatem Vnus est iustus, immo & plures iusti Vnus sunt. ideo & Sanctus Apostolus omnem cohortatur Ecclesiam dicens: Vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Hæc Origenes. Cum omnes numeri in se ducti non ijdem vnquam, sed alij semper fiant producti, sola (vt diximus) Vnitas æterna immutabilis per se, suapteq; natura, eiusdem, & semper sibi similis consentientisque est substantiæ, sibi constans, sibique æqualis semper, omnino eadem, nulli obnoxia varietati, nullam inuehens alterationem, etiam si in se ipsam acuatur. Et quid hoc aliud, quam IESV Christum, Filium Dei vnigenitum, ex Patre natum, ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, esse consubstantialem Patri? Vnum inquam, de Vno, quia & splendor Vnus est lucis, & Vnum est Verbum cordis, nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec diuisionem patitur, vbi qui nascitur, nequaquam a generante separatur. Vnicum dico, vt menti, sensum; vt sapientiam, sapienti; vt cordi, verbum; vt forti, virtutem. Sicut nullum numerum affirmare poteris supremum esse Vnitatis partum: ita & creaturam nullam rite obijcias fœcundorum Diuinæ Bonitatis processiuum periodum, quæ vel diuinam sistat omnipotentiam, vel id sit, quidquid posse Vis illa indefessa & semper plena creditur. Vniuersi principio etiam similis ob id esse Vnitas videtur, quod licet cunctis numeris ortum esse a sola simplicissima Vnitate, nemo nesciat; difficile tamen dictu est, qua emerserit latebra Vnitas: origo enim eius aut est profecto nulla, aut ipsa sibi fons est, seque æternam ante cunctos numeros progenuit, e semetipsa incognito ortu prodijt, & in sua Vnitate perstitisse probatur.

1. Cor. 1.

batur. Quis enim commode expresserit, quanto tempore ante dualitatem cæterosque numeros seipsam produxit? Vel quis generationem enarrabit Filij Dei? Præterea cum Vnitas det esse numeris, sequitur vt omnia quæ de numeris dicuntur, ab Vnitate, veluti suo principio, nascantur. nam iuxta proloquium: Quod a nullo habet vt sit tale, plenius & hoc habet, quam, quod ab alio: &, Propter quod quodque tale, illud magis. Vnitas igitur est trigonus, tetragonus, pentagonus, radix, pyramis, cubus, circulus, & sphæra, atque in omni genere, quod imperfectionem non admittit, in illa iure locari potest, & debet. nam laterculus, aut altera parte longior esse non potest Vnitas, vt quæ imperfecti nihil admittat, quæ prima perfectorum est numerorum, non solum omnis perfectionis abunde capax; sed a se in omni perfectionis genere perfectissima, & absolutissima. Quemadmodum igitur, si quid artificiosum & notatu dignum in numeris inueniatur, omne illud ab Vnitate eorum principio nascitur: sic Deus est Sapiens, Bonus, Verus, & ipsa Sapientia, ipsa Bonitas, ipsa Veritas. & quæcunque habent creaturæ eius virtutes quasi per partes distinctiue, habet ipse solus altiori quodam modo: & has perfectiones habent creaturę eius, quia ipse has tribuit eis: quoniam & ipse Bonus, & creaturæ eius bonæ; quia Sapiens, sapientes; quia Verus, ueræ; & similiter de alijs: verumtamen Deus, proprie habet eas; creaturæ autem, secundum participationem. Quidquid enim in Mundo pulchrum vsquam est, & admirabile, in eo ipso fonte Deo, vnde hæc profecta sunt omnia, longe melius, sicut & Platoni placet, omnino id totum exsistit. Sed & ipsam Virtutem à Deo fonte manari, & sine auctore Deo illam non posse seruari, testatur fatidicus Vates, loquens in persona Iusti de statu suo: Conserua (inquit) me Domine. Nam qui Vnus potest aliquid ex se acquirere, is Vnus potest & illud per se sibi conseruare. Qui ergo petit a Deo conseruari in statu uirtutis, significat per hoc, quod nec a principio ipsam virtutem ex se acquisiuit. qui autem recordatur

Carolus Bouil. de num. pf. prop. 41.

Psal. 15.

vir-

virtutem se consecutum, non virtute propria, sed Dei, non debet de ea superbire, sed magis demissus coram Deo incedere; sæpius illud Apostoli cogitans. Non quia simus idonei cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et in Deuteronom. vox Dei est: Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem hanc magnam; sed memoraberis Domini Dei tui, quia tibi ipse dat fortitudinem, & facere virtutem. Ceterum quod numerorum quidam sint quadrati, quidam trigoni, quidam cubi ijdemque quadrati, alij circulares, alij denique perfecti, quid hoc aliud, quam quod dicit Apostolus, quoniam alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij autem gratia sanitatum in Uno spiritu, alij vero operationes virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum? Quæ omnia operatur Unus & idem Spiritus, Una & indiuidua Unitas, diuidens seorsum vnicuiq;, & dimetiens omnem creaturam, nec minus cuiq; dans perfectionem, iuxta creaturæ exigentiam & capacitatem. Unitas igitur principium & finis omnium, neq; ipsa principij aut finis patiens, ad summum nos ducit Deum, nostrumq; intellectum a sequentium numero rerum, & potestatum separat, nec in inferiore post Deum gradu frustra eã desideraueris. Ab Unitate nempe cuncta procreantur, omniumq; numerorum sola seminarium est, solaq; mensura & incrementorum caussa, statusq; detrimentorum. Quæ tamen vbiq; pars est, vbiq; totum, dum per cuncta perpetua: neq; enim quę est ante exstantia, & quæ post assumta non absconditur, potest non esse perpetua. Hæc illa est Mens e summo nata Deo, quę vices temporum nesciens in Uno semper, quod adest, consistit æuo. Cumq; vtpote Una, non sit numerabilis, innumeras tamen generum species & de se creat, & intra se continet. Hermes Trismegistus, per Unitatis & numerorum analogiam, ad ueram Unitatem cogitandam, verosque naturæ

[Margin notes: 2. Cor. 3 — Cap. 8. — 1. Cor. 12 — Macrob. lib. 1. de somno Scip.]

numeros nos eleuans, hęc ſcribit in Pimandro: Vnitas omnium principium, radix atq; origo; abſq; vero principio nihil: initium autem eſt non principij, ſed alterius. Vnitas ergo eſt rerum omnium principium, omnemq; continet numerum, a nullo comprehenſa, omnemq; gignit numerum, ex nullo genita numero. Quidquid vtique genitum imperfectum, diuiduum creſcens, atq; decreſcens: ei vero quod perfectum, nihil horum accidit: id ſane quod augeſcit, virtute augetur Vnitatis; euaneſcit autem imbecillitate propria, cum vlterius Vnitatem capere nequeat. Hæc tibi pro viribus imago Dei ſubſcripta ſit. quam ſi diligenter cōſideraueris, oculiſq; internis prænoueris, crede mihi, fili, aſcenſum ad excelſa comperies. Hactenus Hermetis Crater. Quibus ſane verbis nihil dici excogitariue potuit præſtantius ad Vnitatis præſtantiam commendandam, cum non ſolum Vna Vnitate rerum omnium originem & principium nobiliſsimi Philoſophi contineri velint: ſed in ea quoq; ſimilitudinē ac imaginem Dei ineſſe, eamq; expeditiſſimam eſſe, vt antea demonſtratum eſt, cognoſcēdi Dei rationem cæterarumq; rerum, quę ſunt a Deo creatæ, ſi Vnum omnia eſſe prius cognitum fuerit. Ac Mundum quidem ipſum, quod eſt præſtantiſſimum et nobiliſſimum Dei opus, quem multi etiam Vnius ſolum Dei domicilium appellarunt, nullam ob aliam cauſſam adeo admirabilem eſſe Doctiſſimi quique tradunt, quam quod Vnus tantum ſit. Nā qui plures eſſe Mundos aſſerunt, fine modoq; carent ignorantiæ. Si.n. poſset humanus architectus dominari materiæ, vbi plura feciſſet ædificia, quorum quodlibet in ſe foret Vnum, cuncta tandem ſepiret Vno. Deus autem cū ſit Omnipotens, materiæ utiq; Dominus eſt. quare Vnum tantum protulit Mundum, ad cuius vniuerſi perfectionem vſus eſt omni eſſentia. integrum.n. haud quaquam eſset, niſi compactum & ex oīb. partib. cōſtitutum fuiſſet. Cum igitur quoduis corpus ſuum habeat proprium a natura locum, terrā neceſſe eſt vndequaq; ad mediū ferri, et aquā ſuper hāc utpote leuiorē ſubſidere. Quod ſi plures fuiſſent conditi Mundi, terram eueniret multifariā igni & aere ſuperiorē,

multifariam itidem fore inferiorem, quod de aere & aqua intelligas necesse erit, quæ alicubi suis in locis a natura tributis erunt, alicubi non erunt. Quæ cum de sententia Philosophi fieri non possint, neq; duos esse neque plures Deus statuit Mundos; sed vnum hunc ex vniuersa compactum substantia, in quo corpora iuxta naturæ legem, locorum differentijs sunt disposita. Præterea cum vnus tantũ sit motus cęli regularis, erit dumtaxat vnum primum mobile, & vnus Mundus. Nam si essent plures Mundi, plures quoq; ac diuersi motus locique extra cęlum essent; sed id abhorret natura. Vnus ẽt cum sit Artifex, Vnus secundum exemplar, productus est Mundus. Hic Vnus, ait Philo Alex. creatus est Mũdus, quia et Vnus est illius Opifex Deus, qui hac Vnitate opus suũ sibi simile reddidit. nam sicut ipse Vnus est Deus, ita & vnico contentus Mundo, pluribus abstinuit. hoc .n. pacto concinne in imaginis ac similitudinis Vnitate, ueritatis, & exemplaris natura elucet. Cum igitur Mundus quo ad fieri potest, diuinum referat intellectum, adeo vt qui formas in hac materia conspicit, quasi diuinum in speculo contueatur vultum; illum ẽt repręsentat in ipsa infinita Vnitate omniũ effectrice ac conseruatrice, qua nihil Deo similius, vt nec nix, niui esse valeat. Quamobrem cum infinitus esset creationis actus, in Vnitate designatus est. nam cuncta creauit Deus simul, vt cum perfectorum perfectissima sit Vnitas, omnem prorsus creaturam non tantũ creando excederet, verum etiam in modo creandi, sui creatoris ostenderet excellentiam. Et ne hæc potius ex ingenij mei riuulo, quam ex veritatis clarissimis fontibus hausisse videar, Maiorũ dicta in medium afferam. Concilium Lateranense Romæ sub Innocentio III. celebratum, id comprobasse conspicitur, ex his verbis, quæ in primo capite illarum Sanctionum sunt posita: Deus Vnum vniuersorum principium, Creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium, sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & Mundanam, ac deinde Humanam

quasi

quasi communem ex spiritu & corpore constitutam: hactenus Concilij verba, quæ habentur extra de sum. Trin. & fi. cath. cap. 1. vbi D. Abbas notat omnia simul creata. Nec nobis obstat quod habetur Gen. cap. primo sex diebus constructum Mundum, hominemq; sexta formatum die, cum hoc innuere videantur & verba Concilij, asserentia primo creatam spiritualem creaturam; postmodũ, corporalem; postremo, spiritualem et carnalem. Est enim humana rationalis fabrica ex spiritu constans & corpore, extra de celebr. Miss. capit. in quadam. & de hæreticis, cap. cum Christus. nam, vt inquit Procopius, inter Grecos summus vir, quamuis omnia simul facta fuerint, haud tamen simul dici poterant cuncta, sed tali necesse fuit vti distinctione. Quemadmodum notant Glo. 35. dist. c. sexto die, & Panormit. in ant. de summa Trin. & fi. cath. asserentes oportere, vt primo dentur extrema, ad hoc ut postea detur medium. Dierum igitur numerus, non temporis gratia a Moyse fuit assumtus, sed vt doceret rerum creatarum quasdam conditiones & mysteria. Hinc Nicolaus de Cusa Cardinalis: Aliqua, inquit, participant lucem in infimo gradu, vt elemẽta; aliqua, in sensitiua; aliqua, in rationali. Per gradus exprimuntur hi dies. nam omnia fecit Deus simul. Dixit enim & facta sunt. sed explicatio gradualis describitur per Moysen in participatione lucis & diei. Hunc in modum loquitur Nic. At Aristides Adrianen. in Hymno ad Iouem confidenter ait: Iuppiter fecit omnia, & a Ioue facta sunt omnia, Fluuij, Terra, Mare, Celum, & quæcumque inter hæc, vel supra, uel infra eadem exsistunt. Et post pauca, subiungit: Quę quidem omnia non tanto temporis spacio, quanto nos de his disseruimus, absoluit; sed multo citius, quã vel excogitari possit, simul vt ista fabricauit, rite singula diuisit. Posteaquam hoc modo, quasi quandam condidit vrbẽ, colonos deinde introduxit, ut cum distincta esset materia, & Mundus apparatus, gentibus illum repleret, cuncta ordine apte faciendo. Hæc ille. Nõ dissentiunt a nobis ex Hebręis qui melius senserunt: apud eos enim nominatissimus est Rabbi Moyses Aegyptius, qui

Lib. 3. ex cit. ecce euangelizo.

Cap. 31.

Cap. 31. Gen. 1.

lib. 2. Ductoris, hęc scribit: Quod debes scire est, quod illud quod dictum est: In principio creauit Deus Cælos & Terram, Sapientes dixerunt multis locis, quod eius expositio est: Cum Cęlis & cum Terra, hoc est, quod Creator creauit cum Cęlis quidquid est in Cęlo; & cum Terra, quidquid est in Terra. Tu vero scis quia dixerunt, quod Cæli & Terra simul sunt creati, eo quod Propheta dixit: Ego vocans eos stantes simul. omnia vero simul creata sunt, & omnia primo apparuerunt. Et assimilauerunt hanc rationem agricolæ, diuersa seminum genera seminanti simul in terra: pars autem oritur post vnum diem; alia vero pars post duos dies; alia post tres dies: sed omnia semina proiecta fuerunt vna hora. Secundum igitur hanc opinionem sine dubio solui poterit dubitatio illa, quæ inducit Sapientem quendam ad dicendum quod dixit, cui difficile fuit intelligere quomodo fuerit primus dies, & secundus, & tertius. Sapientes vero manifeste dixerunt de ratione lucis, de qua facta est mentio in lege, quia fuit creata in prima die, quod ipsa sunt luminaria, quæ creata fuerunt in prima die; sed Deus non ostendit ea vsque ad quartum diem. Hactenus Rabi Moyses. Hanc autem Rabinorum sententiam summopere laudat Gulielmus Hamerus hebraicæ linguæ peritissimus, illam dicens non solum veritati consonam, sed etiam veritatem ipsam: nam & Deus (inquit ille) omnia simul creauit verbo suo, & imperij sui dicto. Nec ab his dissentit Diuus Augustinus, qui sex dierum enumerationem non ad temporis retulit successionem, sed ad naturalem ordinem operum, qui diebus attribuitur, vel ad ordinem reuelationis sex operum, quæ Deus vnum post aliud Angelis reuelauit. Inde & Hugo, qui a Sancto Victore nominatur, hæc scribit libro De fidei sacramentis: Quod pertinet ad momenta temporum, & interualla, & spatia, hoc veritati vicinius profitemur, quod simul in tempore Vno, & in principio temporis, quando tempora ipsa cœperunt, facta est, siue creata pariter rerum omnium visibilium materia, & inuisibilium in Angelica creatura, &

Esa. 48.

Gen. 1.

In Gen.

Greg. Mor. lib. 32. c. 10.

Augus. in Ge. lib. 1. ca. 15. ité in C. Dei lib. 11. c. 9.

L. 1. par. 5. c. 4.

spirituali natura, nec fuisse in tempore, nec cępisse alteram sine altera, nec prius quam alteram, sed vtramque simul in tempore, & cum tempore. Illis etiam se opponens, qui Angelos arguunt per multa secula ante mundum visibilem extitisse, & computant spatia, & annos, & secula quibus Deo seruierunt, hæc affert: Sed nos magis approbamus quod dictum est pro captu intelligentiæ nostrę, salua arcanorum reuerentia, in quibus nihil temere asserendum putamus, & ad hunc modum interim definimus, quod simul facta sint omnia visibilia & inuisibilia, sicut Scriptura dicit: Qui viuit in æternum creauit omnia simul. Vniuersa quippe simul condita sunt, quoniam & eodem tempore pariter cæpisse credimus & visibilium omnium materiam, & inuisibilium naturam. hæc ille. Eadem ferme leges apud Basilium, Dionysium, Bedam, Cassiodorum, Albertum Magnum, & D. Thomam. Quamuis enim finita determinataq. virtus in actione tempus exquirat, tamen hoc non poscit infinita, qualis est Dei. Cuncta enim iussu produxit & verbo, dicente Psalmographo: Ipse, nempe Deus, dixit & facta sunt. Quid dico: Dixit & facta sunt? cum sola cogitatio perfectum opus Deo sistat, ac repræsentet? Vnde in libro qui inscribitur Iudith. c. 9. legitur, quod cogitauit Deus, ac præsto fuerunt sibi omnia, quæ fecit. Credibile est vtiq. Deum in agendo nequaquam tempus exquirere. Immo iniuriam Deo videntur inferre, qui summum æternumq. Opificem, nisi per tempus, & successione operari posse contendunt. Deus, inquit Nicol. de Cusa, omnia simul creauit. opera enim Omnipotentis non cadunt sub tempus, seu moram. Tale quid loquitur & Sanctus Ambrosius exponens Moysis Genesim his verbis: Pulchre addidit de celeritate conditionis: Fecit, ne mora in faciendo fuisse existimaretur, vt vel sic intelligerent homines, quam incomprehensibilis operator esset, qui tantum opus breui exiguoque momento suæ operationis absolueret, vt voluntatis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum. Vbi igitur mora? cum legas:

Contra Hieron. cō. Ep. Pæ ad Titū & Amb. li. 1. hexameron. Hugo de sacram. fidei lib. 1. part. 5. c. 5.

Eccl. 18.

Tho. pt. 1. qō. 61. art. 3.

Psal. 148

Excitat. lib. 7.

Hexam. lib. 1. c. 3. Gen. 2.

Psal. 148. *Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vsum, nec virtutis expendit, qui momento suæ voluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, vt ea quę non erant, esse faceret tam velociter, vt neque voluntas operationi* Psal. 101. Li. 1. c. 6. Hexam. *præcurreret, neque operatio voluntati. Idem etiam explanans illud Prophetæ Regij: Principio Domine Terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cęli: Simul illud, inquit, aduerte, quia Propheta David Terram priori loco nominauit, & post eam* Psal. 148. *credidit opus esse Domini declarandum. Quando enim dixit: Et facta sunt; nihil interest quid prius exprimas, cum simul vtrumque sit factum. Eorum igitur refellenda simplicitas, qui existimant sex diebus, aut certo vtique tempore conditum Mundum, cum totus Mundus sit vicissitudo dierum ac noctium, quam Solis motus super terram, sub terramque meantis necessario conficit; Sol autem pars Cęli censetur, vt fateri necesse sit tempus esse Mundo posterius, quippe quod Mundi est effectus. Cęli siquidem motus temporis indicauit naturam. Accedit ad hoc, quod, ut docet Hiarchas Gymnosophista, Brachmanorum princeps, non debebant huius mundani animalis membra produci seorsum, sed simul. Animal quippe Mundum esse nullus antiquorum fuit inficiatus; præ*- Plato in Timęo. *cipue Plato, a quo non discrepat Aurel. Aug. Sed vt quod diximus, haud ex humanis figmentis inuentum putetur, nisi etiã Mosaicis sententijs videatur fuisse constructum, eundem audias qui diuersis diebus creatum Cęlum, & terram, uirgultum, herbam, totamque narrauerat fabricam, simul Vno eodemque temporis a-* Gen. 2. *tomo cuncta producta subiungentem his fere verbis: Istæ sunt generationes Cęli & Terræ quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus Cœlum & Terram &c. Quod ideo dictum est, vt quomodo possemus, cogitaremus simul cuncta Deum effecisse, quamuis superior sex dierum enumeratio, veluti temporum interualla osten*- Aug. de Gen. ad litterã li. 5. c. 6. *disse videretur. Ad hoc ergo pertinere crediderim quod scribit D. Aug. Diuinam.s.paginam aliquando tamquam infirmis infirmiter*

loqui,

loqui, & tamen aliquid innuere quod intelligat, qui valuerit. Quare diuina oracula expendens disertissimus Iudæorum Philo: Ne suspiceris, inquit, intra certa temporis spatia lumen aliquid facere; sed ignota, incerta, inscrutabilia, incomprehensibilia humano generi esse illius opera, subinfert has voces Propheticus sermo: Istæ sunt generationes Celi & Terræ, quando creatæ sunt. non definiens quando, incircumscripte siquidem fit, quidquid ab hac caussa fit. Atque ita negatur hoc vniuersum intra sex conditum dies. Philonis æmulus Clemens Alexand. eandem sustinuit sententiam hæc scribens: Ne existimemus Mundum in tempore factum a Deo, subiunxit Prophetia: Hic est liber generationis, & eorum quæ sunt in ipsis, quando facta sunt, quo die fecit Deus Cælum & Terram. Illud enim; Quando facta sunt, enunciationem significat indefinitam, & temporis expertem. hactenus ille. Huic quoque illud est consonum, quod qui dixerat ex latere soporati Adæ formatam fuisse Euam, idem scribit, quod creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam fecit eos. Necdum enim facta describitur Eua, & iam homo masculus esse perhibetur & femina. Sic Behemot, id est, Diabolum cum Homine creatum perhibet liber cui titulus Iob. Exsuperantissimus igitur cum sit Deus, Mundum ad sui finxit imaginem; cum ipse sit Vnus, Mundum creauit Vnum; cum ipse sit infinitus, Mundum creauit rotundum; cum ipse sit æternus, Mundum creauit incorruptibilem, & æternum; cum ipse sit immensus, Mundum creauit omnium maximum; cum ipse sit summa vita, Mundum etiam vitalibus seminibus exornauit, ex sese cuncta gignentem. Et cum ipse sit omnipotens, sola voluntate sua, non vlla naturæ necessitate, Mundum, non ex præiacente materia, sed ex nihilo condidit in instanti. Ad hoc Vnitatis sacramentum illud itidem spectare censetur, quod in eadem Genesi non fuit dictum, quod factus est dies primus, vt postulasse uidetur consequentiæ ratio totius Scripturæ, cum secundus,

Lib. 1. alleg.

Gen. 2.

Stro. 6.

Gen. 2.
Gen. 1.

Iob. 40.

Gen. 1.

ac tertius, sequentesq. dies enumerentur; sed factus est vespere & mane dies Vnus. Quod optime quidem notauit Iosephus, Antiquitatum volumine primo, hac de re sic inquiens: Et hic quidē est dies primus; Moyses autem eum dixit esse Vnum. & licet sufficiat huiusce rei caussam etiam nunc dicere, tamen quia pollicitus sum rationem singularum caussarum seorsum tradere, illud ad huius rei interpretationem, me necessarium est differre. Quibus quidem uerbis Iosephus numerorum rationem, & mysterium voluit indicare, vt quantum Monadis ipsius sacramentum sit, cogitaremus. Ceterum mysteriorum interpres Philo, hæc nobis de prima die consideranda proposuit. Singulis (inquit) diebus certas particulas attribuit Vniuersi, primo solo excepto die, quem ne nominat quidem primum, ne ceteris adnumeretur; sed Vnum nominans apto vtitur vocabulo, Vnionis considerata natura, appellationeq; eius, hic conuenientissima. Anastasius Synaita, monachus & presbyter, qui post vere sensibilem secundum litteram creationem, totam Hexameron intellexit de Christo & Ecclesia, diem Vnum intellexit de futuro, qui perpetuus et continuus erit. hæc eius sunt verba: Non dixit (inquit) diem primum, quod magis oportebat & diem extremum recenseri oratione, sed quoniam typice prænarrabat illum futurum, quem nō metiuntur horę & puncti, & qui nocte non interrumpitur, eum nominauit Vnū, vt qui se semper similiter et eodem modo se habeat; & nō primum, propterea quod nec omnino circumscribatur vltimo. primum.n. & vltimū sunt eiusmodi vt afferantur ad aliquid. illic autem nihil tale quale oritur Christus. Inuenies autem eos etiā, qui sunt extra gratiam, eadem fere dicere. Pythagorei.n. primum diem mensis, non primum, sed similem nominarunt, non, vt opinor, visione apprehendentes vitam illam indissolubilem; sed interim eam sic nominarunt. Orpheus quoq; Deum vocabat Monada, vnitatem.i. indiuiduum. Neque.n. sesquialtera, aut sesquitertia, aut aliqua alia pars numeri est in ipso. Differt autem Vnitas ab vno, quatenus archetypum differt ab imagine. Exemplar quidem est Vnitas, vnitatis

tis autem imitandum est vnum. quomodo Sol est imitãdum vnius Vnitatis, IESV inquam. hactenus Anastasius. Vnitas etiam cõmendata conspicitur in Vnius hominis creatione. nam, cum instituerit Deus animantes alias solitarias, & quodammodo soliuagas. i. quæ solitudinem magis appetunt, sicuti sunt aquilæ, leones, lupi, & similes alias; alias gregabiles, quæ congregatæ, atq; in gregibus uiuere malint, vt sunt columbæ, sturni, cerui, & huiusmodi, vtrumque genus non ex singulis propagauit, sed plura simul iussit exsistere. Hominum vero genus, quod naturaliter politicum est, ac ciuile, secundum Philosophorum sententiam, ex Vno est, ad commendandam Vnitatis concordiam, mysteriumq; propagatũ, quod ab Aug. in Ciuitate Diuina, & Hugone Sax. lib. de Sacramentis Fidei, fuit adnotatum. Quemadmodum. n. ab Vno cunctipotente Deo per creationem oẽs; sic ab homine Vno, per propagationem. Imago Dei (inquit Aug.) est in homine, vt vnus factus sit Dominus, ex quo ceteri oriantur, habens imperiũ Dei quasi vicarius eius, quia vnius Dei habet vir imaginem. Vnus itaq. creatus est Homo, qui quãdiu solus, & Vnus fuit, non preuaricatus est, de pęnit. dist. 2. c. quando Adam solus; sed non relictus est solus, nam creatura Dei est femina sicut vir, quæ de viro sumta est, vt Vnitas commendaretur, quo videlicet esset concordia maior, sciretq. alter alterã se genuiße, & hęc se ex illo profectã; atq; ita ut eadem uideatur res vir & vxor; nihilq; sit quod illos diuidat & disiungat, quo nihil propemodum esse potest rei familiari, et coniugali vitæ salutarius. Vnitatem quoque Dominus cõmendauit, quando a principio Vnam cunctis esse uoluit linguam. quod nihil humano generi prestãtius, quã quod inter nos mutuo loquimur, & (vt inquit Cicero) exprimere dicendo sensa possumus. Quo. n. alio symbolo homo homini congreditur, nisi linguæ beneficio? Atrox quidẽ ac inexpiabile dissidium inter diuersas gentes pariunt linguarum diuerticula. nã si duo sibimet inuicẽ fiant obuiã, neq; præterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum neuter norit linguã alterius, facilius sibi animalia muta, ẽt di-

Gen. 1.
Arist. po lit. 1.
Lib. 12. đ C. Dei.
Li. quęst. vete. & no. testa.
33. q. vlt. cap. fi.
Aug. ĩ C. Dei lib. 22. c. 17.
Hugo a S. Vic.
Gen 11.
In Oratore.
Plato de rep. li. 5.

uersi

uersi generis, quam illi, cum sint homines ambo, sociantur. Quando enim quæ sentiunt, vicissim communicare non possunt, propter solam linguarum diuersitatem, nihil prodest ad sociandos homines tanta similitudo naturæ, ita vt libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. Hoc inquam inexpiabile dissidium, quo homo ab homine discißus est & diuulsus, non solum licet videre in diuersis gentibus, vt parum videlicet inter illas conueniat, nisi linguarum intercedat commercium; verum etiam in legitimo, iustoq. imperio parum dicto audientes erunt subditi, si Princeps qui in plurimas dominatur gentes, non etiam omnium gentium quas suo complectitur imperio, lingua loquatur: Oratioque Principis, quæ multum valet ad subditorum animos conciliandos, si non intelligatur, omnes auertit ab ipso. Mithridates ille clarissimus Ponti rex tribus maximis bellis a Romanis victus & fractus, tamen amicos animos suorum, & ad parendum paratos semper sensit, quod vnicuiq; genti sua loqueretur lingua. Ferunt hunc regem, viginti & duarum gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluisse, earumque omnium gentium viris non vnquam per interpretem loquutum esse; sed vt quisq; ab eo appellatus fuit, ita ēt lingua eius tanquam gentilis eius fuißet, loquutum eße. Est quoq; nostro æuo non dissimile studium, sed maxime monarchis, complures callere linguas, vt popularibus suis quemadmodum sua quemq. lingua loquentem audiant, ita etiam vicissim respondeant. Inflixit mortalium generi graue hoc vulnus Nemrod, qui turrim sperans ædificare, cuius summitas Cælos attingeret, hac animaduersione percussus perhibetur, vt lingua damnatus non intelligeretur iubens, nec audiret quisquam vocem proximi sui. Cumque eo vsque Vnus fuisset populus, gens Vna, Vnumq. omnibus labium, tale vulnus mortalium generi inflixit linguarum diuisio, vt cum linguarum varietate, variæ quoque diuersæque censeantur Gentes, quæ cum lingua inter sese non communicent, natura ipsa perpetuo inter se laborant dissidio. Nec est audiendus Philastrius Episcopus

Auguſ. in C. Dei li. 16.

Au. Gel. libr. 17. noct. act.

Gen. 11.

pus Brixiensis asserens firmiter credendum, quod etiam ante turris ædificationem multis sæculis plures fuerint sermonum, ac linguarum diuersitates, cum Alphonsus Castrensis, Moysis testimonio fretus, tam longe absit ab hac Philastrij sententia, vt illã non vereatur hæreticam dicere. Docet enim scriptura Diuina ante Babel tempora vnam tantum fuisse omnibus linguam, dum ait: Terram fuisse labij Vnius, & verborum eorumdem. Petrus Galatinus, de Arcanis catholicæ veritatis: Quemadmodum, inquit, ante linguarum diuisionẽ in turri Babel factam, vniuersa terra Vnius erat labij: ita in resurrectione generali omnes homines Vna loquentur lingua, Hebraica. s. qua primi parentes in Paradiso loquebãtur; & qua electi omnes in statu innocentiæ locuti fuissent, si ipsi primi parentes in gratia Dei stetissent. Idem scribunt Hieron. in Sophon. Orig. hom. 11. in Num. Haymo. 1. cor. 13. Viguerius e doctrina Scholasticorum. Viualdus de Monte regali cap. 9. lib. de Laudibus & triumphis trium liliorum. & Iohannes de Silua super Clemen. Rub. de Magistris. Quid vero de Vna lingua referat D. Cyprianus, ipsum loquentem audiamus: Post Christi ascensionem in Cælos, Spiritus sanctus visibiliter super Apostolos in linguis igneis apparuit, & ad instar prioris sæculi, vniuersitatem fidelium Vnius labij esse voluit; vt quorum erat cor Vnum, & anima Vna, Vna esset & lingua; nec posset impedire intellectum credentium aliqua diuersitas verborum; sed Euangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret, ut Græcis, & Barbaris, omnibusq. Gentibus verbum Euangelij sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus, linguæ in qua nati erant, idiomata resonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Mesopotamiã incolentes, Arabes, & alij. hi omnes, dum Hebræa lingua Apostoli prædicarent, locutio Iudaica enunciationis suæ articulos cursu consueto euoluens nullo exponebatur interprete; sed verbo eorum per Spiritum sanctum inerat virtus & gratia, ut habitantes Pontũ & Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant, quasi primitiuæ

In catalogo hereseon cap. 106.

Lib. 9. ad uersus hę reses.

Gen. 11.

Lib. 12. c. 13.

Vide Hyginum fabularũ. c. 143.

Li. de Spiritu sancto.

Act. 2.

Bed. cõment. in Act. 2.

mitiuæ linguæ libertas, ad antiquitatis reuersa originem, confusionis contumeliam euasisset. Atq. hæc ita quidem ex verbis Cypriani. Neq; tamen illud tacendum videtur, quod cum natura vnicuiq. nostrum duas dedisset aures, duos oculos, nares duas, pedesque totidem, vnicam tamen dare voluit linguam; nimirum nos edocens parce loqui. etenim nulla Vna ita oratio dicta profuit, vt multæ silentio pressæ, quippe quod tacitum est, aliquando tamen dici potest; non item quod dictum est, taceri. Nam neq; auem e manib. dimissam facile est denuo comprehendere, neq. potest sermo ex ore emissus rursum capi & teneri. Proinde aiunt, quod nullum nostrorum membrorum natura perinde atque linguam vallo coercuit, positis ante eam præsidij loco dentibus: vt si ratione intus resonantia fræna premente obedire nolens prosiliret, morsibus eam lancinantes, eius compesceremus intemperantiam. Sic Zeno Philosophus ne corpus necessitate expugnatum arcanum animi vllum posset efferre, linguam dentibus abscissam in Tyrannum expuit. Potest autem Vnitas taciturnitatis hieroglyphicum dici, vti dualitas loquacitatis. Quemadmodum enim Vnitas in se ducta suos minime limites egreditur, sed omnino Vnum perseuerat, manetq. vnde & Monadis nomen inditum; dualitas vero principium est diuisionis indefinitum, statim enim a se deficit, duplicatione in multitudinem tendens, eodem ferme modo sermo ab vno primoque nequaquam recedens, vere arcanus est, ac dicitur. Quod si alteri communicetur, iam famæ ordinem subit. Namq; & Mercurius filius Iouis & Maiæ, quasi Mentis & Prudentiæ dicas, vnde oritur oratio, pennatis talaribus præditus erat: vnde & alata verba dixit Homerus. Quare Antigonus ille rex filio quærenti quando castra essent moturi, respondit: Quid, metuis ne solus tu non audias tubam? vocem ei arcanam non credens, quem erat regni hæredem habiturus. Metellus senex militiæ simile aliquid interrogatus: Si, inquit, tunicam huius arcani cõsciam arbitrarer, e uestigio exsutus concremarem. Omnino autem quo ore obiurgabis eum qui non tacuit id, quod

Vlyss. A. 122.

quod tu ei dixisti? alium silere quod vis, prius ipse sile. Si enim tacitum & ignoratum oportuit, male alteri fuit indicatum: si vero rem arcanam ex te dimittens, in alio continere vis, iam tua prodita in alterius confugisti fidem: qui si tui similis est, iure peris; si melior, præter rationem seruaris, inuento qui tibi sit quam tu ipse fidelior. Quid vero dicemus de Virtutibus, quæ vniuersas recte cogitandi & viuendi vias ac rationes continent? quarum alij plura, alij pauciora genera faciunt. ita ne virtus est multiplex, vt Vnitatem omnino repudiet? an cū virtus apud homines sit res omnium præstantissima, sic etiam Vnam esse præcipue oportet? sic sane Philosophi quoque sensere, Vnam videlicet esse virtutem, cuius vis & vsus multiplex multis nuncupetur nominibus; quo nimirum modo etiam Drachma vna, atque eadem si detur nauclero, dicitur naulum; si publicano, vectigal; si pro re emta, pretium; si operario, merces appellatur. ita virtus vt ad varios vsus adhibetur, modo Iustitia, modo Prudentia, modo alijs atque alijs nominibus vocatur. Dum enim considerat, quid sit agendum, vel non, Prudentiæ nomen habet; dum moderatur cupiditatē, modumque ac legitimum tempus definit, Temperantiæ; dum in perferendis rebus versatur, Fortitudinis; dum commercia contractusq; hominum inuicem temperat, & æqualitatem constituit in his quæ sunt ad alterum, Iustitiæ: vt vnica sit virtus, quæ comparatione cum rebus, & actione tantum, discrimen admittere videatur. Inde Plato in Ciuili testatus est, virtutes omnes mutua inuicem amicitia vinciri. Et Stoici uirtutes probant esse connexas, omnesque habere, qui Vnam habuerit, deesseque cunctas, cui defuerit Vna. Quod astruit Nicolaus de Cusa dicens, tātam esse animæ simplicitatem, quod qualibet uirtus est in qualibet. Anima enim quando induit animum Temperantię, tunc & aliarum virtutum. Nam non est Temperantia sine Prudentia, Iustitia, & Fortitudine. Sic virtus Prudentiæ non est vera, nisi sit sobria, iusta, & fortis. Ita Iustitia est sobria, prudens, & fortis; Fortitudo prudens, sobria, iusta. & secūdum Gregorium sine

Seneca in Hippol.

Cle. Alex. stro. 1. Plato de legib. li. 4.

Lib. 6. excit. Accepit Iesus, &, Dominabūtur populis. Aristot. Eth. 6. & Gl. de pęnité. dist. 2. citius.

sine prudentia non est fortitudo, sed temeritas. sunt igitur Virtutes connexæ. Sic ille. Ceterum quia habitus isti magis in concreto, quam in abstracto percipiuntur. Catilina, vt de illo scripserunt qui nosse potuerunt, frigus, sitim, famem poterat ferre, eratque patiens algoris, & vigiliæ supra quam credibile est, ac per hoc videbatur Fortitudine præditus; sed hæc, Fortitudo non erat, nam prudens non erat, quia pro bonis mala deligebat; temperans non erat, turpissimis enim corruptelis fœdabatur; iustus non erat, quia contra patriam coniurauerat. Et ideo nec fortitudo aderat, nam si affuisset, virtus vtique fuisset: Si autem virtus, a ceteris virtutibus, tamquam inseparabilibus comitibus, non relictus fuisset. Suffragatur Chrysippus virtutes dicens sese inuicem consequi, non modo quod vna præditus omnes habeat, sed etiam quod secundum Vnam agens, secundum omnes agat; & neque virum dici posse perfectum putans in quo non sint omnes virtutes; neq; actionem perfectam in quam vniuersæ non concurrant virtutes. Consentit & Diuus Ambrosius hæc scribens super Lucam: Connexæ sibi sunt conchatenatæque virtutes, vt qui Vnam habet, plures habere videatur. Augustinus etiam in lib. de Trinitate sexto probat, virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo ab inuicem separari. Gregorius lib. moralium 13. dicit Vnam virtutem sine alijs, aut omnino nullam esse, aut imperfectam. Tullius Tusc. quęst. lib. 2. Si Vnam, inquit, virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum. Idemq; in libris de Officijs ait, qui Vnam habeat omnes habere virtutes. Quod tamen intelligendum est de morali virtute perfecta, quæ est habitus inclinans in bonum opus bene agendum. Quod si quis nobis obijciat, quattuor generales virtutes circulares quidem dici; sed de ceteris idem iudicari non posse, quia Fortitudini videatur aduersari Clementia; respondetur, quod Longanimitas media accedens, vtramq; cum altera coniungit. Longanimitas enim dilationem quandam iræ significare videtur, congruum inferendæ pœnæ tempus exspectans. at Clementia

tia

tia tranquilli animi statum, ac perfectam iræ compressionem indicat. Atque ob eam caussam Longanimitas Prudentiæ laudem habet. Eadem est in Prudentia ratio. nam & Simplicitas rationalis animæ partis virtus est, & Calliditas, ac Sapientia. Hæ autem dijudicatricis virtutis interuentu inter se iunguntur, quod etiam in cæteris est videre. Quare ex Indis qui Pedalij vocantur, nihil fere in sacrificijs aliud a Dijs immortalibus exposcebant, quam Iustitiam, arbitrati omnium plane compotes se futuros, si eam modo Vnam forent assecuti. quæ si animo inseritur, sapientiæ nomen vēdicat: si in corporibus sese promat, prosperior dicitur valetudo: si e domibus caput proferat, concordia nuncupatur: si in ciuitate celebretur, pax dicitur: si enitescat in Mundo, prouidentia nuncupatur. Omnes quidem virtutis species vno Iustitiæ nomine contineri testatur D. Hieron. ad Demetriadem. Et Cic. lib. Officiorum de ea sic scribit: Iustitia hæc vna virtus sola domina omnium & regina virtutum. Ambrosius item libro Hexameron hæc affert: Vbi Iustitia est, ibi concordia est ceterarum virtutum. non enim per se pars est Iustitia, sed quasi mater est omnium, vnde 24. quest. 1. vbi Iustitia esse non potest, ibi deest Fides, & Charitas. Quo fit vt sit omnibus perfectior. Et apud Philosophum ea Virtus, qua potest vir bonus vti, non solum ad se, sed ad alium, est Virtus maxime perfecta: sed Iustitia est huiusmodi: ergo &c. Adhuc Seneca de Copia verborum, ad hunc modum loquitur: Iustitia est tacitæ naturæ conuentio in adiutorium multorum inuenta; & subdit: Iustitia non est constitutio nostra, sed Diuina lux, & vinculum societatis humanæ. in hac non est vt existimes quid expediat, nisi quidquid illa dictauerit. Quisquis ergo hanc assequi desideras, time Deum prius, & ama, vt ameris ab eo: amabis autem illum, si illum in hoc imitaberis, vt velis omnibus prodesse, nocere nulli. Et de isto amore iustitiæ Hugo Victorius sic ait: Sicut Iustitia amatori suo deesse non potest; ita illi a quo non amatur, nullatenus adesse potest. Ratio secundum eum est, quia Iustitiam

De sacr. lib. 1.

perfecte

perfecte amare est esse iustum, quam quo magis dilexeris, iustior eris. Hinc licet colligere, nihil aliud apud Philosophos esse Iustitiam, quam dilectionem, amorem, & ut proprie dicam, Charitatem apud Christianum. Vt enim Iustitia per legis imperium ordinat actus omnium virtutum in bonum commune: sic Charitas ordinat omnes fidelium pias actiones in diuinum bonum. Quare Gregorius Theologus Oratione tertia de pace, sic dicit: A nobis si quis sciscitetur quidnam colamus atque adoremus; promtum est respondere, quod charitatem veneremur. Quod si praeterea rogemur quae legis, ac Prophetarum summa sit, haud quidquam aliud, quam charitatem, nos Euangelista respondere sinet. Charitas enim omnia bona maxime continet, & est summa omnium, quae per sanctam declarantur scripturam. Charitate fit remissio peccatorum, dicente Domino peccatrici Magdalenae: Remittuntur tibi peccata, quia dilexisti multum. Charitas, Petri testimonio, operit multitudinem peccatorum: vnde beatos illos vocat Psalmista, quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. In charitate omnes virtutes, omnia dona, omnia charismata, omnia molimina, omnia opera, atq; praeclara exercitia, vt radij Solares in ipsius Solis centro, & diuersae ac variae lineae in pyramidis cono vniuntur atq; simul coniunguntur: & ut ab eodem fonte diuersi passim scaturiunt riuuli, vel vti ab eodem Sole diuersi disperguntur radij; non secus a Charitate omnia charismatum dona profluunt ac proficiscuntur. Et vt a corde singula membra vitam desumunt: sic hominum opera Charitate virescunt, cum nulla sit virtutis species, per quam homo Deo fiat familiaris, & ei coniungatur, & sit supernae gloriae & regni haeres, nisi dependeat a Charitate, & ab ipsa comprehendatur inexplicabili ratione contenta, & custodita, aduersus quam si quis crimen admiserit, iure merito quidem totius legis reus efficitur, attestante Iacobo Apostolo in Epistola canonica. Nam per vnicum illum in vno defectum, non intelligit quodcumque minimum, ac veniale peccatum,

Luc. 7.
1. Pet. 4.
Psal. 31.

Cap. 2.
Eccles. 9.

quem-

quemadmodum impius Lutherus conqueritur; sed illud Vnum graue, ac magnum delictum, quo contra legem Charitatis Dei ac proximi delinquitur. Sic enim locum hunc exposuit Aurelius Augustinus sermone quarto de tempore: Qui offenderit, inquit, in Vno, factus est omnium reus. Quid est hoc Vnum, nisi illud quod Apostolus dicit: Omnis lex in Vno sermone impletur: Diliges Dominum tuum & proximum tuum? Idem confirmat Epistola vigesima nona ad Hieronymum dicens: Qui in Vno offenderit, fit omnium reus, si contra Charitatem facit, vnde tota lex pendet. reus enim fit omnium, si contra eam faciat, ex qua pendent omnia. Charitas denique primus est fructus spiritualium donorum. Vnde eam non inordinatè, ita posuit Paulus ad Galatas scribens: Fructus Spiritus est Charitas, gaudium, & reliqua. Hoc donum est a Deo, protestante Iohanne in Epistola maiori, capit. quarto, quia Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet. Hoc donum a Deo sibi conferri postulat Ecclesia. Quando enim Sancti spiritus ad sanctificandum totius Ecclesiæ sacrificium postulatur aduentus, nihil aliud peti mihi videtur, nisi vt per gratiam spiritualem in corpore Christi, quod est Ecclesia, Charitatis Vnitas iugiter infracta seruetur, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quod & sensit Augustinus in libris de Baptismo, cum questionem de Hæreticorum receptione sine Baptismatis iteratione tractaret, in tertio eiusdem operis libro inter alia sic inquiens: Spiritus autem sanctus, quod in Catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa est enim Charitas, quam non habent qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione precisi sunt. Matthæus eodem Spiritu sancto repletus testatur, quod cum

Gal. 5.
Aug.
Cap. 5.
Rom. 5.
Rom. 5.
Cap. 1.

desponsata esset Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Quid vero factum est illius incarnationis Dominicæ mysterio, nisi vt vnirentur diuisa, & dissidentia pacarentur? Quemadmodum enim Vnitas habet potentiam quatternarij, vti ex puncto linea, ex linea superficies, ex superficie corpus; & quatternarius vim habet denarij colligendo vnitates, quæ est proportio analogica elementorum; sed multiplicando vim habet 24. qui est numerus reuolutionis diurnæ; rursusque denarius ex progressu vim habet 55. qui characteres duplicati, si addantur, redeunt ad 10. cuius item characteres additi redeunt ad vltimam vnitatem, ex qua fluxerunt primo omnia, & ad quam omnia. Ita mysterium hoc in primis seculis apparuit, vt ab VnitateDei (licet contra legem eiusdem vnius) in multitudinem Deorũ, lapsu temporum, Mundus in deterius laberetur. Sed tamen in profectu & successu mali, vt illud tandem tolleretur, itum est reciproca latione a multitudine in Vnitatem. Deus enim exterminandi caussa mali, dum latas præcidit illius habenas, lapsum a se Mundum, a multitudine reuocauit in Vnitatem. Nam per multitudinem impiorum gigãtum, quos diluuio tulit, in Vnum virum Nohe, relapsus Mundi status veterem sui faciem immutauit. Rursum a Nohe, labentibus iterum in ignorantiam veri Dei turbis, Deus medelam huic malo laturus, in Vnum Abraham fluxas perditi Mundi recollegit habenas. Vt tandem Vnius hominis vera & personalis Vnio cum Deo fieret, IESV Christus de Maria Virgine nasci dignatur. Ipse enim est pax nostra, qui dualitatem populorum respuens, illam vertit in Vnitatem; & diuersitatem populorum tollens, e duplici ouili Vnum tantum e cunctis Mundi ouibus ouile confecit, Vnicum illi præficiens Pastorem. Dualitas quidem viguit in Mundo quandiu differentia stetit Israelis, & Gentium. quandiu hę sub Idolorum nube vixerunt; & Israel sub veri Dei luce stetit, & vnius Dei cultor fuit. Sublata est dualitas ab Vnitate quando inseruit Deus in sanctam & proceram

Abrahæ

Abrahæ oliuam etiam filios alienigenarum, dans illis gratiam vt melius fierent Abrahæ filij per regenerationem, quam olim in naturali semine fiebant per circumcisionem. Voluit enim eo pacto Deus vniuersa a se ipso progressa, suæ tandem reminisci originis, vt sicut ab Vno pependit origo omnium, ita & in Vno figeretur stabilis palus, & meta vniuersorum. Sed de hac Vnitate differentem audiamus Paulum ad Ephesios, immo ad omnes Gentes scribentem. Vos qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis per sanguinem IESV Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex vtrisque Vnum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, vt duos conderet in semetipso in Vnum nouum hominem faciens pacem, & vt reconciliaret ambos in Vno corpore Deo per crucem, peremta inimicitia per eam, & veniens euangelizauit pacem vobis qui procul aberatis, & his qui prope; quia in ipso habemus aditum vtrique in vno Spiritu ad Patrem. Diuus etiam Iohannes in maiori Epistola: Scis, inquit, quia Christus apparuerit? Vt peccata tolleret, & dissolueret opera Diaboli, quæ separant nos a Deo. Et per quendam sapientem dicitur: Peruersæ cogitationes separant a Deo. Item Esaiæ cap. quinquagesimo nouo, vox Dei est: Peccata vestra separant Vos, & Me: Omnis autem, qui faciat peccatum; & iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas. Quæ est autem iniquitas, nisi mala concupiscentia? quam ex Deo non esse idem Iohannes manifestat his verbis: Si quis diligit Mundum, non est Charitas Patris in eo, quia omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non a Patre, sed ex concupiscentia Mundi est. Hic autem Mundi nomine, homines insinuat istius Mundi sectatores, qui non ideo pro dilectione Mundi puniendi, quasi aliquam malam substantiam diligant, cum teste Moyse Dei interprete, nulla naturaliter sit mala substantia,

Cap. 2. | 1. Ioh. 3. | Sap. 1. | 1. Ioh. 3. | 1. Ioh. 2. | Gen. 5.

tia, sed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iusto diligunt Mundum, minus Deum diligunt, quam par est. Atque hanc (ni me mea fallit opinio) fuisse putarim primi hominis praeuaricationem, amorem scilicet inordinatum. Mortis enim disseminator inuidens, venenum suum, decipiendo primorum hominum credulam nouitatem, in corpora nostra latenter transmisit; & ex duabus substantijs vnicam hominis perfectamque naturam quadam diuisionis discordia dissecauit. Vt cum nobis Vna mens esset, id est, illa quam germanitas animae & corporis gignebat, aliam voluntatem per vitiatam naturam contra animam parturiret. Audi Isidorum lib. de Summo Bono: Diuisio & pugna, vt sint in animo hominis, pena peccati est, ex primo homine in omnes filios propagata; vt qui noluit esse cum Deo Vnitus, esset in semetipso diuisus. Est enim quaedam inter spiritum & carnem colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicem quotidiana congressio, vt non quae volumus ipsa faciamus, dum spiritus caelestia quaerit, & diuina; caro terrena, & secularia concupiscit. Rom. 7. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Peccati igitur initium, si attendatur, nihil aliud esse putarim, quam inordinatam rationalis creaturae dilectionem, quae sponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit & salutem. Peccatum (inquit D. Thomas) est actus deuians ab ordine debiti finis contra regulam naturae rationis, vel legis aeternae. Et alio loco, peccatum vocat omne quod est contra naturalem inclinationem, quia aduersatur legi naturae; secutus nimirum Aur. Aug. qui libro de libero arbitrio: peccatum dicit auersionem ab incommutabili bono, et conuersionem indebitam ad commutabile bonum. Ex quo efficitur, quod in diuinis oraculis, vt euitetur peccatum, assidue Charitatis ordo legitur commendatus. Et in persona animae amore incensae, & diligentis ex Charitate, dicitur in Canticis: Introduxit me Rex in cellam vinariā: ordinauit in me Charitatem.

D. Hier. ad Ctesiphon.

Li. 1. c. 13

Gal. 5.

2. 2. q̄st. 162. art. 1.

2. 2. q̄st. 133. ar. 1.

Cap. 2.

Cui ordini congratulatur Vas electionis, dicens Coloss. Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum. Beatus etiam Prosper lib. De vita contemplatiua, de hoc ordine hæc verba facit: Si Charitatem Deo exhibeamus ex toto corde, peccato vtique resistimus. ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quoniam si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis vnde peccati desiderijs seruiamus. Et quid est Deum diligere, nisi illi copulari, animo concipere fruendæ visionis eius affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum, quem in se censuit diligendum, in ipso amore seruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem constitutum? Hæc ille. Hunc sane ordinem seruari videmus, vbi Homo præ omnibus diligit Deum Creatorem suum, a quo manat omne bonum; deinde seipsum, quo ad interiorem hominem, seu bonum animæ; postremo, bonum proximi sui. quod confirmat his verbis Rabanus Maurus: Tria diligenda sunt: vnum quod super nos, idest, Deus; alterum quod nos sumus, idest, anima, ad imaginem Dei creata; tertium quod iuxta nos est, idest, alter homo. Verum sciscitabitur fortassis quispiam, qua caussa in illo generali mandato, Dei atque proximi, non autem sui ipsius, euidenti sermone præcipiatur dilectio. Huic dubitationi, etsi difficultate non caret, hæc adhibetur responsio. In primis namq;, cum primum homo eorum, quæ saluti conducunt, notitiam assequutus est, tum citissime quodam naturæ ductu, sese ad æternam natum protinus intelligit ac diligit felicitatem; quapropter vt se ipsum diligat, expresso non eget mandato. Vniuersæ igitur Charitatis ordinem edocti, si legem diuinam naturæ tabulis inscriptã sequi voluerimus, primo Deum ipsum supra nos, ac supra omnia, secundo loco nos ipsos, tertio proximum diligemus. Sed quoniam Lectori erga Scripturas diuinas amor & studium subiacet, hunc ordinẽ magis euidentibus Scripturæ sacræ testimonijs approbabo. Primo igitur dilectioni Dei, et Christi nihil esse preferendũ, ipso docẽte et mo-

Cap. 2.

Matth.10 nente addiscimus. Qui diligit (inquit) patrem aut matrem super me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, nõ est me dignus. Post amorem Dei sequitur amor sui: vnde scriptum est quod volenti ordinate dare eleemosinam, a se ipso debet incipere, de penit. dist. 3. qui vult. Quia prima charitas incipit a se ipso 25. q. 5. si non licet. Et qui in se ipsum ausus est sæuire, præsumitur quod in alios omnem tyrannidem exercere non dubitet. Vnde eos quondam publico fere hominum consensu sepulturæ honore caruisse legimus, qui sibi manus iniecissent, quique, vt est Pythagoræ sententia, iniussu Imperatoris ex statione & præsidio decessissent, hoc est, qui se interemissent. Dignissimum enim esse ait Egesippus, eos qui Dei patris imperium non exspectarẽt, priuari quodam quasi matris gremio terræ sepulcro. De amore proximi in Leuitico scriptum est, dicente Domino: Diliges amicum tuum, sicut te ipsum. idest, in his quibus diligis te ipsum, in habendis scilicet bonis æternis (neque enim intelligendum est, sicut te ipsum, idest quantum te ipsum) Itẽ in Euangelio dicit Veritas: Diligite inimicos vestros, & orate pro his qui vos persequuntur, vt sitis filij Patris vestri, qui in cęlis est. in his mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Vere hoc mandatum legem complectitur & Prophetas: Et in hoc verbo omnium scripturarum volumina continentur. Hoc verbi clamat auctoritas; primum est hoc mandatum & vltimum; hoc in libro vitæ conscriptum indeficientem hominibus exhibet lectionem. Legat hic Vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci, & huc referri quidquid ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse & inane quidquid non confirmat ordinata dilectio. Mystice vero proximi nobis est mandata dilectio, scilicet, vt agnoscamus illam nos debere diligere creaturam, vbi Charitatem ipsam possumus inuenire. omne namq; animal irrationale, sicut non habet rationem, sic non habet Charitatẽ,

Cap. 19.

Matt. 22.

Matth. 5.

cum nihil aliud sit ratio, quam competens atque ordinata dilectio. Vnde Paulus ad Romanos scribens, constanter asseuerat quod proximum diligens legem implet. & Dominus apud Iohannem solam de proximi dilectione mentionem fecisse legitur. Nam & qui diligit Deum, non potest eum contemnere præcipientem vt diligat proximum. Et qui sancte & spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Cum enim amor accedere faciat ad amatum, odium auertere, ita natura comparatum est, vt ad quem se homo conuertit, illum præferat, & pro domino habeat. Non potest autem quis duos æque sibi præferre. Cum enim duo amores æquales esse nequeant, alter non est verus amor: nam Vnus non compatitur alium. Qui igitur alium amorem nititur assimilare primo, ille odit primum cui detrahit, & quem abiicit: vnde quando studet seruire alteri, cessat a seruitio primi. Quod in sensibilibus ostendit oculus: nam non potest oculus simul, & æque attente duos intueri: & vbi amor, ibi attentio visus. Qui igitur seruit Deo, & alteri quod non est Deus, non vtiq; Deo solum seruit: sed ei quod non est Deus, Quod in Euangelio testatus est Dominus noster dicens.

Cap. 13. Cap. 13. Nic. Cusa excit. lib. 3. Idē li. 8. Carolus Bouil. de sensu c. 2. Matth. 6. Luc. 16.

Nemo potest dominis æque seruire duobus.
Vnius aut odijs cedet, vel cedet amori.

Dicit autem notanter, Duobus: nam potest homo alteri seruire, sed propter Deum. Tunc enim quia Deus finis est, non seruit duobus, sed vni. Idem enim est actus, quo amo id quod ad finem, & finem ipsum: sed si alterum est extra ordinem finis, tunc peccatur, imo seruitur peccato. Quare in Epistola maiori dicit Apostolus, quod perfecta Charitas foras mittit timorem. nam qui timet, non perfecte diligit, cum timor dicat timentem nolle aliquid perdere propter amatum; nolle perdere dicit adhæsionem ad id quod nollet perdere. Sed perfecta Charitas refertur ad verum amatum. minus enim ille amat, quam amare potest, qui diuidit amorem, & diuersa diligit. Hæc cum ita sint, vt vno quidquid honesti in vita est, contineatur:

1. Ioh. 4.

tineatur: nemini dubium videri debet, quin vna quoque sit methodus ac via, quæ nos ad virtutem ducat. vna enim perfecta res, cuiusmodi virtus dicitur, Vnum ad se ingressum habere debet.

Iuuenal. ---- semita certe.

Tranquillę per Virtutem patet vnica vitæ.

Philo Alex. alle. lib. 1. *Est autem ratio, quæ sensus regat ac moderetur; corpus vero etiam impedit hanc, tantum abest vt adiuuet. Hæc enim fere summa est sapientiæ, alienare se a corpore, atque eius concupiscentijs. vt autem quis fruatur vitio, non solum mente, sed & sensu, & ratione, & corpore opus est. Hæc enim vniuersa mala ad explendam suam malitiam sunt necessaria: alioquin quonam modo proditurus est arcana, si careat instrumento loquendi? Quomodo autem voluptatibus fruetur absque ventre, ceterisque sensibus? Insinuat hoc liber Genescos cap. 2. vbi dum hortatur Dominus, vt ex omni arbore Paradisi comedat, secundum septuaginta Interpretes, Vnicũ hortatur, intellectum dico: dum vero interdicit vsum arboris eius, quæ boni, malique caussa dicitur, vt plures alloquitur, intellectum videlicet & sensum. Illic enim dicit: Ex omni comedes; hic: Ne comedatis. &; Quocumq; die comederitis: non: Comederis. &: Moriemini; non: Morieris. Recte, inquit Philo, Vnam solam rationem alloquitur de quærenda virtute. Sola enim hac ad eius acquisitionem opus est; contra de vitio ad plures verba facit, animam, rationem, sensus corporis: nam hoc apparet in his omnibus. Inde & Serpens ait ad Mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? Peccantes, ait Origenes, vix fere accidit, vt sine adiutore peccemus, sed aut ministros peccati, aut adiutores semper requirimus. verbi caussa, si adulterium quis molitur, non potest hoc solus admittere; sed necesse est etiam adulteram consortem fieri, sociamq. peccati. Tunc præterea & si non plures, esse tamen necesse est aliquem, vel aliquam in ministerijs ad societatem peccati. Et ut ad ea, quæ scripta sunt veniamus, IESV Christus*

Gen. 3.

Orig. in Exho. li. 8.

stus Saluator noster crucifixus est, huius piaculi auctor & pater sceleris, sine dubio Diabolus est. Sic enim scriptum legitur: Cum Diabolus iam misisset in cor Iudæ Simonis Iscariotis vt traderet Christum. Sed solus hoc Iudas implere non potuit. Quid ergo scriptum est: Abijt Iudas ad Scribas, & Pharisæos, & ad Pontifices, dicens eis: Quid mihi datis, & ego eum vobis tradam? Habes hic Diabolum, Iudam, Scribas, Pontifices, & Pharisæos. Atque hoc in ceteris cernere vel facile poteris. Vbi igitur peccata sunt, ibi est multitudo; vbi autem Virtus, ibi singularitas, ibi Vnitas. Ac vt manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo; principium bonorum, coangustatio, & a turbis in singularitatem redactio. Et puta nos omnes, si veram felicitatem, ad quam cum Angelis factus est Homo, consequi volumus, ad Vnitatem peruenire oportet, vt perfecti efficiamur in eodem sensu, & in eadem sententia, & simus Vnum corpus, & Vnus cum Deo spiritus; vt apud Deum, non apud nos, Deum possideamus, cognoscentes sicut & cogniti sumus. Ille enim nos, non per nos, sed per se ipsum cognouit. Ita & nos cognoscemus illum per ipsum, & non per nos. Hæc est tota merces, hæc est vita æterna, hæc est sapientia quam Sapientes seculi non cognouerunt, vt ab omni multitudinis imperfectione redigamur in Vnitatem per copulam indissolubilem cum eo, qui est ipsum Vnum. Si vero tales sumus, vt nos non circumscribat diuina Vnitas, sed & de nobis dici possit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, & adhuc a malitia scindimur atq; diuidimur, non sumus futuri vbi sunt illi, qui rediguntur in Vnionē. Nam vti de Patre, Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Et tres Vnum sunt; Sic qui Vnum spiritum habet, in Vnionem coarctatur. Ait quippe Saluator: Ego, & Pater Vnū sumus. Et pro Apostolis orans ad Patrē, dicebat: Pater fac quemadmodū ego et tu Vnū sumus, ita et isti nobiscum Vnum sint. Hanc Vnitatē sperabat Paulus dicens: Cognoscam non ex parte, sed sicuti & cognitus sum. Et si sperabat, nōne iure dicebat: Quis me separabit a Charitate Christi? & cu-

Iohā.13.
Matt.26.
1.Cor.1.
1.Ioh.5.
Iohā.10. & 17.
1.Cor.13
Rom.8.

& cupiebat dissolui, vt cum Christo fieret Vnum. Vnde & alibi dicebat: Donec occurramus omnes in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis, & Vnitatem Christi. Amplius etiam ipse Christus ostensurus necesse nobis esse, si salutem adipisci percupimus, fieri Vnum, & multitudinem Virtuti aduersantem deuitare; ad Vnitatem redegit Ecclesiam suam, dicens: Et erit Unus grex, & Vnus pastor. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem tribuat potestatem, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt Vnitatem manifestaret, Unitatis eiusdem originem ab Vno incipientem sua auctoritate disposuit, dicens Petro: Ego tibi dico quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni Cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in Cœlo. Hoc vtique erant ceteri Apostoli vt fuit Petrus, pari honore & potestate præditi: sed exordium ab Vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Vna monstretur. 24.q.1. loquitur. Extra hanc Ecclesiæ Unitatem neque gratia, neque remissio peccatorum, nec spiritualis vita haberi potest; ad salutem quoque æternam nec Sacramentorum perceptio, nec vlla operatio aliquid prodesse valet extra Ecclesiæ Vnitatem. Sicut enim salus & vita non potest membro inesse, nisi maneat in corporis Vnitate; sic alicui aduenire non potest vera salus, nisi exsistat intra Ecclesiæ Vnitatem. Vna siquidem Arca Nohe, extra quam quisquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum. Hoc etiam circa Raab expressum videmus, cui mandatur & dicitur: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domũ patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam; & omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur in Vna domo sola, idest, in Ecclesia victuros oportere qui uolunt salui esse. Hæc est illa domus, in qua non nisi concordes atque vnanimes habitant, loquente in psalmis Spiritu sancto & dicente: Deus

Marginal notes: Iohã.10. — Iohã.20. — Matt.16. — Aluarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ lib. 1. art.63. G — Gen.6.7. — Iof. 2.

te: Deus qui inhabitare facit Vnanimes in domo. Hoc Vnitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ, & inseparabiliter cohærentis ostenditur quando in Euangelio tunica Christi non scinditur: sed sortientibus de Veste, quis Christum potius indueret, integra Vestis accipitur, atque indiuisa tunica possidetur. Vnitatem ille portabat de superiori parte, idest, de cęlo, & a Patre venientem, quę ab accipiente, & possidente scindi non poterat. Vnde Apostolus Paulus hanc nobis insinuans diuinam Vnitatem, obsecrat, & hortatur, dicens: Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri IESV Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Ipse deniq; Vnitatis magister Christus Dominus hanc vnitatem commendauit, quando nos edocens orare, singillatim noluit nec priuatim fieri preces. Neq; enim dicimus: Pater meus qui es in cęlis; nec: Panem meum da mihi hodie; nec dimitti sibi tantum vnusquisque delicta postulat; aut ne in tentationem inducatur, atque vt liberetur a malo: sed nobis est publica & communis oratio. & quando oramus, pro populo toto oramus, quia totus populus Vnum sumus. Deus pacis, qui docuit Vnitatem, sic nos orare Vnum pro omnibus voluit, quomodo in Vnum omnes ipse portauit. Quod etiam apertius insinuasse videtur, quando Vnanimitatem suadens: Dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a Patre meo, qui est in cælis: & vbicumque fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. Diuina Monade Pythagoras quoque illustratus cum omnia redegisset in numeros, & astrorum scilicet circuitus, & animalium generationes, binas faciens rerum series, seu familias, quas rerum principia vocabat, bonorum vnam, malorum alteram, ipsam finitam Vnitatem in bonorum serie collocauit, eam dicens dare cęlo temperiem, animis virtutem, corporibus sanitatem, domibus & ciuitatibus pacem, & animo-

Psal. 67.
Iohá. 19.
1. Cor. 1.
Matt. 6.
Matt. 18.
Plutarchus in Hom.

& animorum concordiam; omnemq. virtutem, & fortitudinem plebis esse ex Vnanimitate; quando scilicet est anima Vna in multis, siue cor Vnum, ibi pacem & firmitatem esse, vti inter membra Vnius hominis, quæ non habent nisi vnicam animam. At Dualitatem dicebat præbere contraria, aeri tempestatem, animis vitia, corporibus ægritudines, domibus, & ciuitatibus discordias & inimicitias. omne siquidem malum ex dispari oritur voluntate. Nullum (inquit Plato) perniciosius ciuitati malum, quam quod eam diuidit, & ex vna plures facit, vel melius quidquã eo quod ipsam vincit simul & Vnam efficit. Hæc comprobat & Speusippus, rem proprie dici bonam atque perfectam dicens, quando sit Vna; cum res quælibet in se habeat bonitatem suam per Vnitatem, qua suum suscipit esse. Tamdiu enim est quidquid est, quamdiu Vnum est; cum autem desinit esse Vnum, desinit esse id quod est, vnde est hoc. Materia quippe non habet esse, nisi per vnionem sui cum forma. Omne enim esse, ex forma est in rebus creatis; sed nullum esse ex forma est, nisi cum forma est Vnita materiæ. Esse enim non est, nisi ex coniunctione formæ cum materia. Vnde Philosophi dicunt, quod esse sit existentia formę in materia. cum autem forma vnitur materiæ, ex vtriusque coniunctione necessario aliquid Vnum constituitur, in qua constitutione illud Vnum non permanet, nisi quamdiu forma manet in materia. Quia enim Creator Vnus est, rebus, quas condidit, hoc dono dedit, vt vnaquæque res esset etiam Vna. Forma quippe, haud tenet Vnitatem cum materia, nisi Vnitas adsit. Ideo materia quæ de natura sua habet multiplicari, diuidi, & spargi, ne diuidatur & spargatur, necesse est vt ab Vnitate retineatur. Quo fit, vt destructio rei, non aliud sit quàm separatio formæ a materia; sed separatio siue diuisio, et Vnitas contraria sunt: ergo per Vnitatem res ad esse deducitur, & per Vnitatem in suo esse conseruatur; & tamdiu est quidquid est, quamdiu Vnum est. Quando enim uniuntur elementa, tunc fit compositum, & est Vnum, vt lapis, lignum, aurum & similia.

7.q. 1. In apib.

De pęni. dist. 1.

De Rep. lib. 5.

Arist. Ethi. lib. 1. cap. 6.

Sic quæ multa sunt partibus, constat Vnum esse toto; quæ multa accidentibus, Vnum esse subiecto; quæ multa numero sunt, vel esse possunt, esse Vnum specie; Et quæ multa formis, Vnum genere; quæ denique multa sunt eruptionibus, Vnum esse principio. Adeo nihil est quod non aliqua ex parte Vnius sit particeps, quippe quod hoc ipso quod est omni ex parte singulare, omnia & quæ tota sunt, & contraria singulari etiam modo ante in se comprehenderit. Ac sine Vno quidem multitudo non erit; Vnum aũt erit absque multitudine; vt etiam Vnitas ipsa omnem numerum multiplicatum & auctum antecedit. Quod si quis cum omnibus omnia coniuncta esse ponat, toto Vnum erunt omnia. Omnis subsistentia (inquit Nicol. Cusa) est Vnio, & ob hoc regnum æternum est pax, quies, & Vnio infinita. Augustinus loquens de cęlesti patria: Non erit, inquit, ibi aliqua inuidia disparis claritatis, vbi in omnibus regnat Vnitas Charitatis. Et D. Gregor. Tanta vis Charitatis ibi omnes associat, vt bonum quod quisque in se non accipit, in alio se gaudeat accepisse. Regnum igitur vitę est in Charitate, quę est Vnio; regnum mortis, in odio, quę est diuisio, dicente Iohanne: Qui non diligit, manet in morte, de consecr dist. 4. quomodo. Vita pręsens est Vnio: mors, diuisio. vt enim scriptum reliquit Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia: Mors est in nobis, non essentiæ interitus, vt quibusdam visum est, sed coniunctarum partium separatio, ad id quod nobis obscurum est atque inuisibile ducens, animam quidem quasi priuatione corporis euanidam, disparentemq; effectam, corpus autem vt humo abditum. Idem testatur & Diuinus Plato in fine Gorgiæ cum ait: Mors est, vt mihi videtur, nihil aliud, quam rerum duarum, animæ, scilicet, & corporis, a se inuicem dissolutio. Quando vnitur anima corpori, tunc fit Vnũ, quod est homo. Quoniam igitur in Vnione posita est salus; contra in sectione, distinctione, & diuisione pernicies. ideo quo ad eius possunt efficere uniuersa omnia, siue naturalia, siue quę arte constant, coniungunt sese ac coadunant, atq; in Vnione ad sui tutelam persistũt.

Dionys. de Diuinis noib. cap. vlti.

Excit. li. 5. Beatus venter.

1. Ioh. 3.

Lapis vt esset lapis, omnes eius partes, omnisq; natura in Vnum solidata est. Quid arbor? arbor quidem non esset, si vna non esset. Quid membra cuiuslibet animantis, ac viscera, et quidquid est eorum, e quibus constat? Certe si Vnitatis patiantur diuortium, non erit animal. Voluptas ipsa non ob aliud delectat vehementius, nisi quod amantia sese corpora in Vnum coguntur. Amor Vnum vult fieri cum eo quod amat, & si ei contingat, Vnum cum eo fit. Amici quidem quid aliud, quam Vnum esse conantur? & quanto magis Vnum, tanto magis amici fiunt. Populus Vna ciuitas est, cui est periculosa dissensio. quid est autem dissentire, nisi non Vnum sentire? Ex multis militibus fit Vnus exercitus. Itemq; multitudo eo minus vincitur, quo magis in Vnum coit. vnde ipsa coitio in Vnum, cuneus nominatus est, quasi couneus. Videmus enim ab Vnione generari virtutem, quia quanto Vnio strictior est, tanto fortior est virtus. Et quo essentia est magis vnita, eo maioris censetur esse virtutis. Nam & infinita, & simpliciter maxima Vnio, quæ est Vnitas benedicta, & Vnum absolute nominatur, infiniti vigoris est; quare etiam maxime necessarium. Hinc Christum arbitror in Euangelio secundum Lucam, Vnum dixisse necessarium. Accedit ad hæc quod singula suo principio, quod Vnum est, desiderant assimilari, quod assimilatio sit caussa dilectionis. Quo fit vt cuncta videamus ad Vnitatem dirigere suum finem, & cogi, seu vniri, seu constringi Vno, vt sint, & dum sunt, ne defluãt in nihil. Quædam autem vt sint, vniri. Quædam vero magis vniri vt sint, & viuant. Adhuc etiam strictius vniri quædam ut sint, viuant, & intelligant. Animam quippe experimur magis vnitam, quam corpus, nam ipsa in vitam vnit suum corpus, illudque tenet ne defluat. Vnde & ter magnus Hermes nostra corpora ex quattuor elementis dixit esse constructa; habere siquidem in se aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terræ; & neque ignem esse, neque aerem, neque aquam, neque terram. Quæ vtique quam sint veritati consona nemo est qui non videat, cum in carne,

Nic. excitat. lib. 1. Tuqs es.

Cap. 20. Nic. Cusa. excit. lib. 5. hic est verus Proph.

sit

ſit terræ ratio; in ſanguine, humoris; in ſpiritu, aeris; in vitali calore: ignis, ſed neq; ſanguis a corpore ſecerni poteſt; ſicuti neque a terra, humor; nec vitalis calor, a ſpiritu; nec ignis, ab aere: Adeo quattuor elementorum eſt in anima virtus vnita. Quam fortaſſe licet inſpicere in figura interſectionis literæ X. quam Platonici, præcipue Proclus, Vnum eſſe, & multa ſignificarunt; Vnum quidem, quia a puncto interſectionis medio exeuntes quattuor lineæ, ceu quattuor elementa, & primæ quattuor qualitates, perpetuam rerum oſtendunt generationem; Vnum præterea colligendo rerum rationes per Vnitatem intellectus: multa vero, diuidendo rerum ſpecies & differentias. Pythagoras igitur Vnitatem appoſite profitebatur eſſe Deum, & bonum intellectum; Dualitatem vero, dæmonem, ac malum, in qua materialis eſt multitudo. Atque huius ſententiam ſecutus Homerus, Vnius naturam in boni quidem portione conſtituit; in mali vero, dualitatem: Vnitatem ſæpius dicens bonum, & concordiam talem affectum; dualitatem vero, vitioſitatem. Quare Vlyxem ſic concionantem facit:

Ioã. Dee lib. cui titulus eſt Monas hieroglyphica.

Ili. ϛ.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔςω,
εἷς βασιλεύς.

Nec multos regnare bonum, rex vnicus eſto,
Vnius imperium.

Nam neque in bello dupliciter ire iuſſit, neq; in conſilio, ſed Vnam habentes mentem ac prudens conſilium. Vlyſſeæ γ. inquit Neſtor cum Telemacho loquens.

Od. γ. 126

ἔνθ' ἤτοι εἷος μὲν ἐγὼ καὶ δῖος ὀδυσσεὺς,
οὐδέ ποτ' εἶν' ἀγορῇ, δίχ' ἐβάζομεν, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ,
ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ, καὶ ἐπίφρονι βουλῇ,
φραζόμεθ' ἀργείοισιν, ὅπως ὄχ' ἄριςα γένηται.

Quæ ſic tranſtulit Simon Lemnius
Atque ego, non vnquam, quoties ſe concio denſa
Contulit Argolidum, fueramus mente diremti
Diſcordesve animo, ſed par ſumus ore locuti
Conſilijsque ijdem fuimus, conſulta ferentes

Prùden-

Prudenter Graijs, quæcumque aut ferre salutem,
Siue trophæa manu poterant.

Hinc a diuino, ad humanum principatum descendendo, per analogiam quandam, necessaria concluditur Vnitas terreni principis, sicut, & diuini, cuius gerit simulacrum; quo quidem modo procedit auctor quidam, dicens: Non possunt esse rectores multi in hoc Mundo; nec in Vna naui, gubernatores multi; nec in Vno regimine, multi reges: sed Vnus rector in mundana fabrica, moderator Vnus; in bello Vnus est summus Imperator, & in quamuis grandi exercitu Vnius signum exspectatur. Rex Vnus est apib. & dux Vnus in gregibus, & in armentis ductor Vnus. grues Vnum sequuntur ordine iterato, formam trianguli efficientes; in naui, Vnus est gubernator; in ciuitate, Vnus prętor; in corpore, Vnum caput; in regno, Vnus Rex; in Ecclesia, Vnus Pontifex maximus. Quare βασύλειαν.1. *Basylian, seu Vnius principatum cunctis Politijs anteponunt insignes Philosophi. Cum enim ciuilis rationis tres omnino sint formæ, Monarchia, videlicet, quæ Vnius est principatus, vt regnum Neapolitanum, ceterorumque principatus; Aristocratia, quę paucorum, vt Venetorum, vbi optimates cum Principe regunt; Democratia, quæ penes populum gubernationis summam ponit, quam vocant popularem, vt Lucensium, vbi ad magistratus, & consilium populus sine discrimine admittitur: illa tamen Reipublicę forma censetur optima, quę Vnius est dominatio, quam possit, neque vis, neque gratia a recto inflectere, & quę possit virtutis sustinere contentionem. Ceterę quidem id habent quod fere is, qui imperat, est ipse quoque sub imperio & potestate; nec habet solidam & stabilem vim, qualis est in Monarchia, sed sępe cogitur, licet inuitus, illud Aeschyleum promere, quo vsus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio:*

Tu me creasti, tu fers exitium mihi.

Oportet (inquit Nicolaus Cus.) Vnum esse principem multis ex caussis, etiam si principatus ipse ex pluribus heroicis Viris vni-

tus

D. Hier. Epist. ad Rusticũ. Lact. Fir. de vera relig. c. 3. D. Amb. Hexam. li. 5. c. 15 21. Cic. de nat. Deo. lib. 2.

Plato in Ciuili.

Nic. Cus. lib. 3. de concor. cath.

tus & compactus foret; alioqui confusio exoriretur, quando in imperando plures concurrerent; & confunderetur ordo, quando subiecti cui obedire potissimum deberent, nescirent. Quid, ait Lact. ille Firmianus, faciet seruus, si multi domini diuersa imperauerint? Rursus si tres Mundi partes Asiam, Africam, & Europam Regibus distributas tribus subegeris, facile admodum continget, vt vel Vnus duobus, vel duo vni quandoque bellum inferant, aut saltem de finibus, aut alia quapiam de re disceptare cogantur. Quare vel inter eos ad Vnum ex tribus, litis erit deferendum iudicium, vel ad quartum quendam, præter tres prædictos, iudicem constitutum. Quacumq; tamen id fiat ratione, iudicem necesse erit, si modo sit acquiescendum sententiæ illius, imperium in eos, inter quos iudicatur, habere: alioquin nullius prorsus momenti erit iudicium, frustraq; iudicabitur, quod videri possit Regibus, vel magis, vel saltem æque potentibus dissoluendum. Quod si ad exempla deuenire licet. Commodus Imperator insidias pertimescens, non Vnum, sed duos constituit Præfectos; tutius fore ratus tantam illam potestatē non vni dumtaxat credere, sed dissectam in partes, imbecilliorem eo pacto contra Principem reddere. Quando enim vnquam regni societas, aut cum fide cepit, aut sine cruore desijt? sic Thebanorum germanitas rupta, et permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia. Et Romanos geminos Vnum non capit regnū, quos Vnū vteri cepit hospicium. Nam ipse quidem Vrbis conditor Romulus Angermanum Remū interfecit suis tantum operibus illudentem. Antonius Getā morti tradidit. taceo Germanicum Neronis, ac Titum Domitiani fratres. Pompeius ac Cesar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. In Rebeccæ vtero Esau, & Iahacob bella gesserunt. Neq; hic tu de homine mireris, cum in hoc natura consentiat. Nam Solem duplicem, quo pacto terra patiatur, quæ multis partibus ne Vnum quidem ferre valet? præsto sunt clarissima naturæ indicia. Cur enim partitis vicibus anni brumalis abscedit? nempe vt noctium opacitate terras

Lib. de vera sap cap. 3.

Herodianus hist. de Imperio lib. I.

Gen. 25.

reficiat, exusturus haud dubie, & sic quoque exurens quadam in parte. tam excellens est illius magnitudo, tamque incomparabilis vis. Quod admiratus etiam Alexander Rex magnus dixisse fertur: Neque Mundum Soles duos, neque duo summa regna, saluo terrarum statu posse concoquere. Quod prouerbij faciem habet, ac veteri confirmatur apophthegmate, quod passim iactatur, Nulla sancta reperitur regni societas. Et Regnum non patitur duos. vnde illud poeticum:

Lucan. libro I. Phars.

Nulla fides regni socijs: omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

In Vnum igitur conferendum est imperium, quo humana gubernatio diuinę sit quamsimillima. quod Vna sit & Diuina Essentia fons omnis virtutis & potestatis, cuius etiam nomen vnica simplicissima expressum est littera ' *Iod. sic Vna est suprema intelligentia, fons vitarum, in mundo intellectuali; in supercælesti, Seraphim præest. Vnus in mundo cęlesti Rex stellarum fons lucis Sol, quem Astrologi per excellentiam circulo notant integro, centroque visibili. Vnus in volatilibus, Phœnix: Vnus inter feras, Leo; Vnum inter metalla, aurum; inter potus genera, vinũ; Vnum elementum vincens, & omnia penetrans, Ignis; Vna in elementali Mundo res est a Deo creata, subiectum omnis mirabilitatis, quæ in terris & in cęlis est. ipsa est actu animalis, vegetalis, & mineralis, vbique reperta, a paucissimis cognita, a nullis suo proprio nomine expressa, sed innumeris figuris, & ænigmatibus velata, sine qua, neque Alchymia, neque naturalis Magia, suum completum possunt attingere finem. In multitudine membrorum corporis animati, Vnum est principium, quo reliqua viuunt, scilicet, Cor; quod est primum viuens & vltimum moriens. Vnus in mixtis Homo, in quo postremo, tota ceterorum perfectio continetur. Esse quippe habet vt inanima; viuere, vt plantæ; sentire, vt bruta; & præter hæc, intelligere, per quod supercęlestibus iungitur. In partibus deniq; potentialibus animæ est Vna potentia, quæ alijs præest, scilicet,*

Lapis Philosophorum.

Medici.

licet, Ratio, pro ut comprehendit intellectum, & voluntatem facit. Habet etiam hæc ipsa Unitas admirandum suæ nobilitatis aliud indicium. Quemadmodum enim Dualitas mortalem corporum coniunctionem designat: ita Unitas, quæ in se ducta nihil generat, ut alij numeri, angelicis spiritibus nos efficit virginitate persimiles, his verbis attestante Theologo: Eximia res est virginitas & cęlibatus, atq; in Angelorum naturæque singularis ordine censeri, vereor enim dicere, Christi, qui cum propter nos procreatos esset procreandus, ex Virgine procreatur, virginitatem lege pręscribens, ut hinc abducentem ac Mundum contrahentem, vel potius Mundū ad Mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum. Hæc multo præstantior est mortali corporum coniunctione & matrimonio, spirituales virtutes imitata angelicam vitæ rationem in terra consectatur. Apud nos nexus, & solutio, & corpora ex corporibus; apud superos autem quilibet Angelus solus est, nulli solutioni obnoxius, qui primi puræ Trinitatis radium ferunt, Spiritus & ignis, ministri edictorum Dei. At materia uenereum congressum inuenit, & perpetuo fluxu labens natura, cui Deus lata matrimonij lege modum finemque præscripsit. Monachi igitur monasticam vitam ducite: Nam si cum amasijs vitæ consuetudinem habeatis, non iam Monachi estis, societas enim a monachismo abhorret. Angelicæ gloriæ imago est Unitas, quod si amasijs oblectamini, mortalis utique dualitatis amici estis. Marem & fœminam spes melior separauit: at natura occultum morbum intus habet: Matrimonium virginitati radix est; sed interim tamen carnis, atque æstus libidinosi fruitus est. Nam peccatum a primis parentibus per mandati diuini violationem admissum veneream aduexit, atque ea rursus ad ipsorum posteros nonnihil sordis & inquinamenti secum traxit, dicente Psalmographo: In peccatis concepit me mater mea. Huc pertinent illa Damasceni dicentis quod abstinentia a nuptijs est Angelorum imitatio. Quod etiam allegorice insinuat Antæus ab Hercule suffocatus. Gręcia.n. quantum stupenda

Gregor. Naziáz. in laudé Basilij.

Nazian. ad virginem.

Nazi. in sentétijs.

Psal. 50.

da mendacio, tantum est admiranda commento. Porro Antæus in modum libidinis ponitur, ideo & de terra natus, quia sola libido de carne concipitur. Denique tacta terra, validior exsurgebat. quo magis.n. carni libido consenserit, eo surgit iniquior; superatur autem ab Hercule, quasi a virtute gloriæ, quia denegato sibi terræ tactu, moritur, altiusq; eleuatus materna nō potuit mutuari suffragia, quo euidens fabulæ significatio demonstratur. Omnem.n.mentem dum virtus in altum sustulerit, & carnalibus eam etiam aspectibus denegauerit, victrix ea statim exsurgit. Etenim si tota nostra cupiditas ad Deum translata fuerit, a nobis vtiq; spiritalis, ac pestifer, & sinuosus ille draco vincetur & opprimetur, de quo Deus Iob alloquens, ait: Ecce fortitudo illius in lumbis, et potentia illius in umbilico ventris. Quibus verbis ostenditur Diabolū in his, quas diximus, hominum partib. plurimum virium habere, hoc est, in concupiscibili parte, quam grauiori tyrannide præmit, vtpote plus opis ipsi ad hominem bello lacessendū afferentem ob uoluptatis acrimoniā & uehementiam. Ideoq; dicitur Hercules in eo certamine diu desudasse, quia laboriosa est pugna quæ cum concupiscentia cōmittitur. Hoc significat & Græcus Achilles, quem natum velut hoīem perfectū, mater in aquas stygias intingit, id est, obdurans contra oēs labores munit. sed quia in carne præter carnem viuere, angelicum est, non humanum, talum haud tetigit aqua, quia venæ, quæ in talo sunt, ad renum, femorū, atq; virilium rationem pertinent, & in eorum affectibus a Medicis secantur; illud aperte monstrantes, humanā virtutē, quamuis ad cuncta munitam, tamen libidinis ictibus subiacere patulam. Vnde & amore Polyxenæ perijt, & pro libidine per talum occiditur. πολύξενη enim. i. Polyxene multorum peregrina græce dicitur, quod amor peregrinari faciat mentes a recta ratione. Quod preuidens Apostolus: Volo, inquit, uos sine solicitudine esse: quia diminuta solicitudine seculi, in Dei rebus propensius uigilatur. Qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. amputata enim solicitudine rei vxoriæ, quæ sola in Mundo ceteris

Cap. 40.

Fulgentius. li. 3. Mythlo.

D. Hier.

1. Cor. 7.

ceteris grauior est, ad Deum promerendum animus eruditur. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt huius Mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro; innupta vero solicita est de his quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Dum enim, spe cœlestium, mariti & filiorum solicitudinem non suscipit, de Domino cogitat, quomodo propositum Deo deuotum custodiat, si tamen in corpore mundo animus, terrena abijciens, cœlestibus studeat. Animus est qui aut sanctificat, aut polluit corpus. Quid enim prodest corpus habere mundum, & animam pollutam? cum merito animæ, aut honoretur corpus, aut damnetur? Sed quid dicemus, nunquid repudiandum est Matrimoniū? cum dicat idem Apostolus: Honorabile connubium, & thorus immaculatus. & ipsemet Christus illud exornans, nuptijs in Chana contractis interfuerit, easque edito miraculo illustrarit? Ad hæc respondeo, laudandum esse Matrimonium; sed ante Matrimonium, laudandam virginitatem. Cum vigebat lex, & vmbræ, & temporarij cultus, tunc primas quoque ferebant nuptiæ, velut adhuc pueriles, ac minus adultæ. At postquam se subduxit littera, spiritusque illius locum subijt, Christusque Virgine, quo ad carnem progressus, supplicio affectus est, tum vero fulsit cœlibatus Mundum contrahens. Cum Deus dixit, non esse bonum hominem esse solum; terra erat replenda hominibus. Et vt perficeret Deus, quod cœperat condere, genus humanum, tum necdum consummatum, noluit hominem esse solum, hoc est, Vnius sexus; sed vt posset propagare naturam, dedit Adæ adiutorium, natura quidem simile sibi; sexu vero, dissimile. Enimuero tum demum Vnumquodque in suo genere perfectum dicitur, cum potest generare sibi simile. At vero cum prædicator Euangelij Paulus dixerit: Bonum esse mulierem non tangere, replendum restabat cælum animabus sanctis, tunc demū iam cæli patefacti, hominū genus multiplicatum, vt ruina Angelorum citius instauraretur,

Hebr. 13.
Ioh. 2.

Gen. 2.

1. Cor 7.

Vide Hug. a S. Vict. de Mariæ vir. perpetua. & Damasc. orthod fid. lib. 4. ca. 25.

docuit continere a congressu carnis, quo hic inciperemus esse similes Angelis, quibus perpetuo posse sociari in cælis per IESV Christum iam donatum fuerat. Ne tamen putares, crimen esse nupsisse, scriptum est in Epistolis Apostoli, bonum esse nubere; melius non nubere. Qui hoc enim illicitum credunt, ipsi præmium sui laboris imminuunt. Illicitis enim cauere, iugum necessitatis est; permissa vincere, munus arbitrij. Malis abstinere, disciplinæ merces est; bona supergredi, libertas meriti est; nō finis imperij. Illud legis indultum est terminis; hoc gratiæ reseruatum est incremētis. Tria nempe sunt, quæ de hominibus prædicantur, secundum naturam, præter naturam, & supra naturam. Secundum naturam, est Matrimonium; præter naturam, Scortum; supra naturam, Virginitas. Et secundum naturam sunt opes iuste acquisitæ; præter naturam, auaritia; supra naturam, inopia. Item secundum naturam, est temperantia in cibo; præter naturam, crapula; supra naturam, ieiunium. Similiter, secundum naturam est pax; præter naturam, tumultus; supra naturam, erga inimicos dilectio: & in ceteris similiter. Ceterum ne te lateat nomen, & locus, quibus præ alijs gaudebunt Virgines in cælis, lege quam scribit Apoc. virgo Iohannes, cap. 14. Ecce, inquit, agnus stabat supra montem Syon, & cum eo centum quadraginta quattuor millia, habentes nomen eius, scilicet, agni, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Frons vtique sedes pudoris est, frons que palam ac primo obijcitur obtutibus aliorum ad notitiam, & eam ob caussam frontibus inscripta habent Virgines nomina Dei, & agni Christi, vt clare, vt palam, & quidem primo obtutu constet eas semper diuine pudibundas fuisse, vndiq. Deo, ac Christo suæ integritatis pudicitiā perenni contemplatione dedicasse. Omnes quidem Sancti signum habebunt in frontibus suis; at solis Virginibus datum est, & Dei, & Agni immaculati nomen circumferre in frontibus suis ad peculiarem tantæ virtutis prærogatiuam. Stant autem cum agno in monte Syon, in signū quod de valle rerum mutabilium suauiumque

que secundum carnem, ad ascendentem sursum, & eleuatā contemplationem rerum cælestium animos suos abduxerunt. Illud denique ad laudis cumulum magni momenti censetur, Vnitatē semper laudabilem poni in diuinis litteris: Dualitatem vero, vituperabilem, dicente Ecclesiaste, quòd Vnus pugillus habet requiem, & duæ manus labore sunt plenæ. Et filius hominis in laudabilibus positus reperitur in singulari; secus, in plurali. Quemadmodum & dies in singulari positus, venturum illum significat qui noctem non patietur, vt apud Euangelium Lucæ ait Christus: Venient dies quando desideretis videre Vnum diem filij hominis, & non videbitis. De quo etiam suspirans Psalmographus dicebat: Dies Vna melior est in atrijs Domini super millia. In illa enim beatitudinis gloria nulla est interruptio tenebrarum, proinde subdit: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Adhuc & Psal. 26. Vnam, inquit, petij a Domino. Genesi rursus ex traslatione Septuagintorum cap. 3. singulari numero Deus vsum arboris interdicit; plurali autem numero pœnas transgressionem secuturas subiungit; quia quamdiu in bono sumus, Vnitatē nostrā in eo qui vnus est, seruamus, nimirū Deo adiuncti; cum autē in malum prolapsi sumus, tum vero procul a Deo remouemur, ac pro vno multi sumus. Sacra quidē scriptura singularem pro plurali numero quandoq. ponit; at non absolute, sed in laudabilibus fere semper id facere consueuit. Quandoquidem de Ecclesiæ filijs aqua baptismi regeneratis, scriptum est quod peperit filium masculum, singulari scilicet pro plurali numero posito. Omnes siquidem masculi sunt quos parit Ecclesia. Et si.n. multas habet filias, solæ tamen illius sunt, quæ nō mollitiē muliebrem, sed virile & masculinum robur obtinere nituntur, propter fortitudinē quippe & constātiam, non propter sexum, filij esse dicuntur. Eodem mysterio filius Vnius anni legitur fuisse Saul cum regnare cœpisset. i. simplex corde. Greg. Cur, inquit, Vnius anni esse dicitur Saul, cum regnare cœpisset, nisi vt eius innocentia

Cap 4.
Matt. 9
D Hier. in Ezech. c. 30.
Psal. 4.
Cap. 17
Psal. 83.
Psell. in orat 2. Pasc. Gre. Naz.
August. de gen. li. 5. ca. 10

Bed. de creationē sex dierū.

prædicetur? Gen. cap. secundo: Fons ascendebat de terra, & irrigabat omnē faciem terræ. expeditus & facilius intelligitur, si Fons intelligatur pro quattuor fontibus irrigantibus uniuersam terram.

Cap. 15. Beda in Apoc.

Et in Apoc. vbi legitur quod exierunt semper angeli vestiti lapide mundo candido; Si numerum singularem, ait Bedā, pro plurali positum intelligas, uaria virtutum significat ornamenta. In eundem

Psal. 18.

modum: & Euangelium, & lex Domini immaculata conuertens animas, singulariter nobiscum vocat oraculum, quamuis plura

D. Hier. in Iou. li. 2 & in Eccl. c. vlt. Cassiodo. Sen. in Ps. 50. Ca 32. Act. 7.

sint Euangelia, mandataque legis. Idoma quoque sacrarum litterarum est, vt pro singulari pluralis apponatur, idque vt plurimū in re infausta. Iudic. 12. Sepultus est in Ciuitatibus Galaad, id est, in vna Ciuitatū. Sic enim hunc locū exponit Frater Laurentius a Villauincentio. de Recte formando studio Theologico. lib. 2. c. 9. Eodē mysterio in Regum volumine Hieroboam ponens aureum vitulum in Bethel, idola fecisse narratur. sic in Exhodo de Iudæorum turba dicitur quod fecerunt sibi Deos aureos; vbi tamen paullo ante de vnico vitulo aureo facta est mentio. Quod fieri putatur, ne sacræ detrahatur Vnitati. quare subdit Aaron: Isti sunt Dij tui qui eduxerunt te. Quin & in Psal. 11. scriptum est. Quia diminutæ sunt veritates a filijs hominum, licet Vna sit veritas. Et Psalmo 50. cupiens Propheta liberari se de carnalibus delictis, vt iā desineret in ista fragilitate peccare, Dominū deprecatur his

Ps. 5 & 54.

verbis: Libera me de sanguinibus. quod & si minus latine dictum sit, maluit tamen interpres pluralem numerū assumendo, contra latinam linguam peccare, quam a mysterio discedere. Nam si diceret a sanguine, Vnum forsitan peccatū ostendere videretur; sed plurali vsus numero, multa peccata ex origine carnis peccati trahi, id est, ex carne per originale peccatū corrupta confitetur. sanguis enim pro corpore humano ponitur, quia inter ceteros humores eius, ipse prior videtur exsistere. Nam & in Euangelio dicitur Petro:

Matt. 16. 1. Cor. 15.

Non tibi reuelauit caro, & sanguis. & Paulus testatur quia caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt, id est, peccata quæ de corruptio-

ruptione carnis, & sanguinis veniunt. Eiusdem doctrinæ censetur quod Psalmo 26. legitur scriptum: Ne tradideris me in animas persequentium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. Nam secundum historiam de Saule potest intelligi, qui Dauidem acerrimo odio persequebatur. Eadem præterea ratione, cũ Doegh Idumæus eum prodidisse legatur Sauli, plurali numero Testes posuit. In Psalmo rursum 2 quod dictum est: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in Vnum contra Dominum, pro singulari positus in Actis Apostolicis inuenitur. Nam Reges terræ propter Herodem; principes, propter Pilatum intellexerũt, qui testimonium eiusdem Psalmi adhibuerunt. Adhuc & de Herode vita functo legitur dictum: Mortui sunt qui quærebant animam Pueri. Et Moysi de Pharaone pronunciatum est: Quia mortui sunt qui quærebant animam tuam. Matthæus insuper de vnctione Dominica verba faciens, refert quod uidentes Discipuli, indignati sunt: & Marcus quosdam scribit indigne ferentes; cum tamen iuxta Iohannis Euangelium super hoc, solus indignatus fuerit proditor Iudas. Maria, inquit Origenes, erat habens alabastrũ vnguenti nardi pistici preciosi, & effudit super caput IESV: deinde super hoc indignantibus non omnibus Discipulis, sed Iuda solo dicente potuisse venundari trecentis denarij. Quid de latrone illo, qui ad sinistram Christi cruci affixus est? non ne scriptum legitur, quod Latrones, qui crucifixi sunt cum Christo, conuiciabantur ei? Quomodo conuiciabantur, quando Vnus eorum conuiciatus est Lucæ testimonio; alter, & obiurgauit eum, & in Deum credidit? Hoc profecto non aliter intelligendum, quam pluralem infaustum in re infausta pro singulari positum.

Cap. 4.
Matth. 2.
Exod. 4
Cap. 26
Cap. 14
D. Hier. in Iouin.
Cap. 12.
Origen. in cant. ho. 2.
Matt 27
Mar. 15
Cap. 23

De

DE BINARIO

DValitatem Pythagorici Isidem, ac Dianam appellarunt: nam quemadmodum Diana sterilis est, vt Plato inquit in Theaeteto; sic & prima Dualitas cum principium sit diuersitatis, inaequalitatis, dissimilitudinis, omni quoque caret efficiendi facultate, ex qua sua cuique foecunditas inest. Est autem Dualitas primus par numerus. & par numerus dicitur, quia partibilis & diuisibilis, immo quia partitus & diuisus. quare Dualitas est vnitatis destructio. nam diuisum est vnius negatio, quia rem diuidere idem est quod destruere; nec ita possumus rei cuipiam suam ac naturalem vnitatẽ adimere, vt nihilominus illius essentia in sua integritate remaneat. Neque.n.totum est suae partes; sed illud vnum quod exsistit ex partibus, vt docet Aristot.lib.8.primae Philosophiae. Nam si in partes diuidas totum, partes quidem remanent; at totum quod diuiditur, non remanet, sed desinit esse actu, & potentia tantum est: sicut partes quae prius in ipso toto erant potentia, tunc seiunctae, esse actu incipiunt, & propriam virtutem, quam prius in toto actu non habebant, tunc per se subsistentes nanciscuntur. Cum igitur Dualitas sit principium diuisionis, casusq. primus ab vno, iure merito dissectionis in omni disciplina censetur numerus, quo apte fit oppositarum inter se rerum distributio. quare per quendam Sapientem dicitur: Contra malum, bonũ est: & contra vitam, mors; sic & contra virum iustum, peccator. Et sic intuere in omni opere Altissimi, Duo contra Duo, & vnum contra vnum. His respondet sermo Euangelicus Matthaei.c.25.vbi Dualitas est numerus diuisionis bonorũ à malis, & diremtionis in iusto Dei iudicio, quo hi ad mortem, illi vero ad vitam aeternã destinantur. quod innuit locus ille apud eundem Euangel.cap.24. Tunc duo erunt in agro,

[Marginal notes: Nic. Cusa. lib.8.exci. q̃re primũ — Iod.Clict. — Eccl. 33.]

vnus

vnus aßumetur, et vnus relinquetur. Duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Itaq. iustorum ab iniustis, electorum à reprobis, & bonorum à malis diuisio non incongrue hoc numero insinuatur in Euangelio. vbi per eum qui aßumetur, recte intelligitur iustus in extremo illo examine asciscendus ad gloriam. Et per eum qui relinquetur, accipiendus est reprobus, in die iudicij deserendus à Deo, & relinquendus in pœnam æternam, interminabileq. suppli cium. Vnde Duo dumtaxat iudicandorum in illo districtionis die depromuntur ordines in Euangelio, quorum hi ad dexteram statuendi dicuntur iudicis; illi verò ad sinistram. Eandem bonorum a malis diuisionem sacra Oracula patefaciunt per antiquorum pa trum filios diuersam sortitos conditionem; licet ijsdem forent orti parentibus. quandoquidem Adam Duos habuit filios, Cain, & Abel; hunc iustum, illum reprobum. Nohe itidem ex tribus filijs, Duos habuit benedictionis paternæ hæredes; tertium verò maledictione percitum. Abraham rursus habuit Hismaelem, cum ancilla matre eiectum domo paterna, neq. hæreditatem consecutum; & Isaac libera matre æditum, paternæq. substantiæ, sicut & virtutis, hæredem. Deniq. Isaac progenuit Iahacob, dilectum Deo, & benedictionis filium; & Esau odiosum Deo, atque maledictionis obnoxium. Vides igitur per horum quattuor priscorum patrum Adæ, Nohe, Abrahæ, & Isaac filios, bonorum, malorumq. discrepantiam, & dissidium patefieri. Et per Abel, Sem, & Iaphet, Isaac, & Iahacob figuratos esse bonos. Per Cain verò, Cham, Hismaelem, & Esau, designatos malos; qui ab ijsdem (a quibus boni) parentibus exorti, quam maxime a fratrum suorum bonitate desciuerunt. Hinc & Iudæi legem accipiunt a Deo digitis scriptã in Duabus tabulis lapideis. quo significatur vnitatem populi diuidi in Duas partes, partem quæ seruatur, & partem incredulam quæ perit, dicente Angelo ad Rebeccam: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & Duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populũ

superabit,

Matth. 25.

Gen. 12.

Mal 1.

Cypria. de Syna, & Syon. Exho 34.

Gen 25.

superabit, & maior seruiet minori. Ceterum cum in veteri Testamento figuraliter scripta, sint quæ per nouum Testamentum re ipsa exsistunt; Rebecca figurã gerebat Ecclesiæ, & vir eius Isaac typum in se portabat Christi. cum ergo dicit: Duæ gentes in vtero tuo sunt; quia & de gentibus Duas partes futuras significabat, partem inquam idololatriæ deditam, & partem credulam viuentem per fidem, hanc vnam partem gentium designat in vtero Ecclesiæ permanere generationem in æternum in figura Rebeccæ, & partem populi infidelium Iudæorum a ventre tunc Rebeccæ diuidi & separari ab Ecclesiæ natiuitate. Hæc fuit præfiguratio per Angelum spiritualiter annuntiata. Cum vero Iudæorum status in deterius laberetur, & pontificatu amisso ad exitum, & vastitatem cuncta vocarentur, & ob mortem IESV innocentissimam gens illa bellorum cladibus esset affligenda, quo alio signo magis hoc indicandum fuerat, quam in Iudæorum pontificatu in Duas partes diuiso? & hoc est quod Christus patitur, non sub vno, sed sub Duobus Pontificibus, Anna, videlicet, & Caipha, quo religionis eorum scissum quoque monstraret errorem; quod Iudæis luctuosum ac triste futurum erat; quemadmodum præfiguratũ fuit in immolatione Isaac. Nam sicut Abraham vnicum & dilectũ filium Deo victimam obtulit; ita Deus vnicum filium suum pro nobis tradidit. Duo autem serui illi dimissi, & non perducti ad locum sacrificij, Iudæos declarabant, qui cum seruiliter viuerent, & carnaliter saperent, nõ intelligebant humanitatem Christi, non intelligebant passionem eius; ideo non peruenerunt ad locum sacrificij. Adhuc etiam in Helisæo propheta Christum præsignante, Dualis numerus maximam Iudæorum indicat stragem. paruuli enim illudentes salutando Helisæum, Iudæorum sustinuere personam, qui in Christum crucifixum acri irrisione illudebant; irridentes autem pueri dicebant Helisæo ascendenti in Bethel: Ascende calue, ascende calue. quia in Caluariæ loco Christus ascensurus erat ad crucem. commotus Helisæus pueris maledixit, continuoq;

D Hier. in Ezech. c. 31. Ioh. 18. Luc. 3.

Gen. 22.

4. Reg. 2.

vrsi Duo exierunt de Sylua, & interfecerunt quadraginta duos pueros irrisores. Sic Iudæis propemodum contigit, in quos vrsi Duo de Syluis gentium irruerunt Vespasianus & Titus Romanorum principes, qui post Duos & quadraginta annos ab ascensu Domini in cœlum, captis Hierosolymis, tantam Iudęorum stragem fecere, vt deletum penitus sit eorum regnum. Notat itidem Dualis numerus obstinationem Iudęorũ, qui Duas essentias & naturas in Verbi hypostasi non crediderunt fuisse coniunctas. Quod mysterium si cognouissent Iudęi, nunquam Filium Dei & Hominis IESV Christum morti tradidissent. Eorum insidias & consilium in Christi passione prospiciens Psalmographus, ita decantat, in 2. Psalmo: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Constiterunt reges terrę, & principes conuenerunt in vnum contra Dominum & Christum eius. Numeri calculo mysterium notans. quod idioma est Scripturę sanctę. Est quidem apud Hebręos indiscretus Psalmorum numerus, & sine ordinis adnotatione descriptus. non enim illic primus, aut secundus, aut quinquagesimus, aut centesimus, pręnotatur, sed sine prescriptione aliqua ordinis in vnum permixtus est. Esdras enim, vt antiquæ ferunt traditiones, incompositos illos, & pro auctorum & temporum diuersitate dispersos, in volumen vnum collegit & retulit. At septuaginta seniores secundum Moysis traditionem ad custodiam legis & doctrinam manentes in Synagoga, posteaquam illis a rege Ptolomeo Lagi filio transferendę ex hebręo in gręcum sermonem, totius legis cura mandata est, spiritali cœlestiq; scientia virtutes Psalmorũ intelligentes, in numerum eos atq; ordinem redigerunt, singulis quibusq. numeris, pro efficientia sua et absolutione perfectis, perfectorũ et efficientiũ Psalmorum ordinẽ deputantes: Vnde primus Psal. titulo caret, quia capiti nostro Domino Saluatori, de quo dicitur in Psalmo 1. nihil debuit præponi, dũ ipsum rerum oĩum constat esse principiũ. Quo fit vt secũdus in ordine Psalmus, sit primus in titulo, quãdo ẽt inchoat ab increpatione Iudęorum. Psalmus ẽt tertius testante Reg. historia,

Hilarius in Psalmis.

Iustinus in apologetico ad gentes.

actu

actu posterior est quinquagesimo, quoniam post culpas adulterij, & homicidij, Absalon filij eius persecutionem contigisse dignoscitur; sed pro virtute sua competenti numero probatur aptatus. tenere enim illum locum tertium, hunc Psalmum oportuerat, qui & S. Trinitatis potentiam, & triduanæ resurrectionis in se mysteria continebat: nam per liberationem David, quæ commemoratur in tertio Psalmo, resurrectio Domini congrue significatur, vt animi Christianorum tali exemplo roborati, in aduersis casibus constanter erigantur. Apologia rursus quinquagesimo loco deputatur, cum tamen priorum gestorum suorum historia subsequatur, vt de proditione Doegh Syri, cuius est titulus in Psalm. 51. & Zypheorum, quæ comprehendi titulo videtur Psal. 54. nam Doegh ante prodiderat, vel Zyphei, quam regnum David propheta susciperet. Quandoquidem regem Saul fugiens, adhuc per deserta & arida loca exul errabat; Bethsabeæ autem iam cum regnaret, accepit. Nec mysterij ratio est in abscondito. nam cum quinquagesimo, in quo est sabbathum sabbathorum, secundum iubilei anni præformationem, peccatorum sit constituta remissio, quemadmodum demonstraturi sumus, vbi nos eo duxerit orationis series, constanter hic Psalmus, in quo est pœnitentia indicta, & peccatorum remissio postulatur, in ordine huius numeri collocationem obtinuit. Quinquagesimi siquidē numeri virtus & perfectio exigebat, & Doegh Idumæi impenitens in David odium, anterius postponi, & posteriorem anteferri, vt remissio peccatorum collocaretur in numero 50. & pœna perfidiæ numerum constitutæ remissionis excedens, careret venia, cum tempus & numerum pœnitentiæ perdidisset. Liquet ergo secundum gestorum historiam non quadrare Psalmorum ordinem, quoniam non tam ordinem ordini, quam mysterijs numerorum gesta conuenire curarunt. Restat (inquit Cassiodorus) vt illud quod dictum est, definitione maiorum credere debeamus, in numeris positis atque definitis virtutes omnium conuenire Psalmorum. Rationi quippe cō sentaneum, cæli terræque Creatorem operationes, & dicta sua per diuerso-

Psal. 50. D. Hier. i Ezech. c. 30.

Ambros. d apolo. David. c. 8.

Beda in Ps.

Io. Picus in apologiá.

Cass. Senator in Ps. 26.

diuersorum calculorum distribuisse sine ambiguitate virtutes, qui cuncta, sicut legitur, in pondere numero mensuraque perfecit. Neq; enim quia guttę pluuiarum, stellę cæli, vel maris arena numerabilis non est nobis, apud illum quoq; nullo est sub numero, nam etiam si nobis abdita & occulta, diuinæ sunt tamen nota potentiæ. Sed redeamus ad institutam de Binario tractationem. Binarius quemadmodum primus ab vnitate recedit, pari ratione iniusti ab vno illo summo bono recedunt: quicquid autem a summo bono recedit, bonum esse nequaquam potest. ex quo efficitur, vt Binario designentur qui relicta Dei Ecclesia, priuatas elegerunt societates, de quibus Dominus indignatus dicit apud Oseam: Iuxta desiderium meũ corripiam eos. Congregabuntur super eos populi, cum corripientur super Duas iniquitates suas. Item apud Ieremiam cap. 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Porro Duo vituli aurei quos condidit Hieroboam seducens populum ad adorandum eos, & scissæ decem tribus a tribu Iuda & Beniamin, & a templo Domini, quid aliud sunt, quam signum & initium omnis hæreticæ & schismaticæ prauitatis? Hæresis enim dicitur ab electione, quod scilicet sibi vnusquisq; eligit quod sequatur, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem. cui fortasse competit quod de Israele dicit Oseas propheta: Vitis frondosa Israel fructus adæquatus est ei, secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris, Diuisum est cor eorum. Hoc enim Binario apprime conuenit, quem discordiæ & confusionis numerum, & opinionem mutationi obnoxiam, motumq; numquam consistentem appellarunt Pythagorici. Neque Binario Hæretici Idololatræque duntaxat designantur, verum etiam qui a charitate & vnitate Ecclesię catholicę recesserunt. Dominus enim noster cum in Euãgelio suo testaretur aduersarios esse suos qui secum non eßent, & secum non colligentes gregem suum dissiparent, non aliquam

Sap. 11.

6. q6. 2. denique.

Cap. 10.

Isid. de summo bono li. 1. c. 9.

3. Reg. 12.

Orig. in Gen. homil. 15.

Cap. 10.

Frãc. Spinola lib. de numeris quadratis.

Cyp. epi. ad Magnum q̃ est sexta lib. 1.

Matth. 12.

quam designauit hæreticorum speciem, sed vniuersos prorsus qui secum non essent, aduersarios suos ostendit, dicens: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non colligit mecum, spargit. Item Beatus Iohannes Apostolus nec ipse vllam heresim aut schisma discreuit, aut aliquos sigillatim separatos posuit; sed vniuersos, qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam machinarentur, Antichristos appellauit, inquiens: Audistis quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt. vnde cognoscimus quia nouissima hora est. ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. His suum calculum adhibet Aur. Augustinus hunc in modum scribens: Si scissura, si discordia, si dissensio in nobis sit, non sumus digni benedictione Dei, nec Deum digne laudare possumus quandiu in hac malitia sumus. Quomodo enim confidenter sermone paterno respondere Alleluia possumus, id est, benedic nos Deus simul in vnum, cum non veniamus in vnum? Non conuenit responsio ipsa Alleluia, Hereticis, non schismaticis, non aduersarijs vnitatis Ecclesiæ. non sunt simul cum Ecclesia in vnum, qui nobiscum nō colliguntur in vnum. Exponens etiam Vener. Beda illud Euangelicum: Putatis quia veni pacem mittere in terram? nō dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in vna domo diuisi, tres in Duos, & Duo in tres diuidentur: Tres, inquit, contra Duo, & Duo contra tres diuiduntur, quia boni malis, & mali bonis sentiunt atque agunt aduersa. Tria namque ad eos, qui fidem Sanctæ Trinitatis seruant, pertinere nemo est qui dubitet; Duo quoq; illis congruere, qui ab fidei vnitate dissentiunt, multis Scripturarum locis, & ibi maxime probatur, quod & immunda in arca animalia sub hoc numero retinentur. tantum Beda, secutus vt in cæteris antistitem Aug. qui tanti facit hunc locum, vt ex eo sumat argumentum Diuinos libros haud esse simpliciter, nec secundum litteralem sensum duntaxat intelligendos. ad hunc enim modum scribit decimo quinto Ciuitatis diuinæ: Quis nisi mente peruersus inaniter scriptos esse contendat

Luc. 11.

1. Ioh. 2.

August. hom. de resurrectione fidelium.

Luc. 12.

Gen. 7.

Cap. 27.

dat

dat sacros libros per annorum millia tanta religione custoditos, aut res solas gestas intuendas? vbi certe, vt alia omittam, si numerositas animalium cogebat arcæ tantam fieri magnitudinem, immunda Bina, & munda septena intromitti animalia quid cogebat, cum æquali possent numero vtraque seruari? Idem lib. contra Faustum: Ex animalibus in arcam ingredientibus septena sunt munda, & Bina immunda, non quia pauciores sunt mali, quam boni: sed quoniam boni seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis; Sanctum autem spiritum Diuina scriptura in septiformi operatione commendat. Vnde & ille numerus quinquaginta dierum ad aduentum Sancti spiritus pertinens in septies septenis, qui fiunt 49. vno addito consummatur, propter quod dictum est: Studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Mali autem in Binario numero ad schismata faciles, & quodammodo diuisibiles ostenduntur. ad Binarium enim pertinet quicunque facit diuisionem in Ecclesia. Hierony. etiam tum alibi tum in Aggeum prophetam hæc scribit de immundis animalibus & Secunda die: Denique in Genesi cum in primo die dictum sit, & in tertio, & in quarto, & in quinto, & in sexto post consumationem operum singulorum: Et vidit Deus quia bonũ est; in Secundo, iuxta Hebraicũ, & Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem non habetur. Neq; n. poterat Secũdus dies, qui numrrum facit, qui ab vnione diuidit, quod bonus esset, diuina sententia comprobari. Vnde & in arca Noe quæcumque Bina & Bina introducuntur, immunda sunt; Dominus autem scissionem in vnum coarctans, fecit vtrumque vnum, & soluit medium parietem, inimicitias in sua carne condemnans. vnde & augustius quid loquitur atq; sublimius: Ego & Pater vnum sumus. vt a Iudaica Dualitate in vnionem nos reuocet fidei Christianæ. Binarius etiam quãdoq; titubantem fidem significat. Hinc perturbatus Moyses ad aquas cõtradictionis murmure populi, et in fide hæsitans, quasi illud non potuisset Deus facere, vt aqua de petra proflueret, quod ante iam fecerat, Bis silicẽ virga percussisse legitur.

Gen. 7.
Ephes. 4.
Esa. 11.
Act 3.
Eph. 4.
D. Hier. in Agg. cap. 1. & epist. 47. q̃ est ad Pammachiũ contra Ruffinum. Et in Iouinianũ, & habetur in canon. 32. q. 1. nup. Petr⁹ Lõbar. li. 2. dist. 4.
D. Hier. cõm. in Ezech. 11. Eph. 2.
Iohã. 10
Exho. 17
Num. 20

Iudic. 6. Quare offenso Domino Iordanem transire prohibetur. Gedeon rursus vellere lanæ in area nocte posito, tentauit Bis Deum, indubitatæ petens victoriæ signum. in prima quidem tentatione petijt vellus lanæ diuinitus aspergi rore, & in omni reliqua terra siccitatem; in secunda autem tentatione, contrarium a Deo sibi dari futuræ victoriæ signum exegit; vt iuxta morem in omni terra ros fieret, sed in solo extento vellere siccitas, non tam naturæ miraculo, quam diuina voluntate naturam cohibente appareret. Huius est mysterij, quod Mulieres, quæ venerant ad monumentum, vt vngerent corpus IESV, cum mente consternatæ, sublatum, non resurrexisse, crederent quod quærentes non inuenerant, attestantibus Luca & Iohanne vident Duos Viros. Nec obstat, quod in narratione Matthæi, & Marci vnum Angelum dumtaxat repertum fuisse scriptum sit. vnum enim scribentes, narrant de eo qui auoluit a monumento lapidem: Lucas vero & Iohannes Duos referunt fuisse conspectos intus sedere, vel de his qui venientibus ad sepulcrum mulieribus obtulerunt se, his verbis arguentes earum dubiam de resurrectione fidem: Quid, inquiunt, o mulieres quæritis eum, qui viuit, in sepulcris mortuorum? Non est hic, surrexit; recordamini qualiter locutus est: prædixerat enim sic esse definitum consilio Patris, vt ad salutem humani generis filius hominis, in crucem sublatus, occideretur, sed reuiuisceret tertia die a morte. tempus agnoscite. sub vesperam parasceues depositus est de cruce, primus hic a morte supputatur dies, in sepulcro totum quieuit sabbathum, nunc tertij diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis toti Mundo lætum voluit esse. Quibus verbis auditis, Mulieres regressæ a monumento, cuncta nunciasse referuntur vndecim Discipulis & ceteris omnibus; qui obliti fere omnium quæ dixerat IESV, ac prorsus desperantes, non crediderunt; immo exploraturi an mulieres delirarent, Duo ex Discipulis Petrus & Iohannes ad monumentum cucurrerunt. Ex his rursum quibus per mulieres nunciatum

Luc. 24. Iohā. 20. Matt 28. Marc. 16.

ciatum fuerat de sepulcro vacuo, dicit Lucas quod Duo ex Discipulis, de resurrectione dubitantes, & quasi nihil sperantes, ibant ipsa die Nicopolim, insignem Palestinæ ciuitatem, ab Hierosolymis, vbi crucifixus fuerat Dominus, stadijs sexaginta distantem. At vero stadium latinum, ex sententiam Plinij & Columellæ, continet octauam partem milliaris Italici. quo fit vt sit in spatio paßuum septem millium quingentorum. quod siquidem spatium Discipulis apprime competit, qui de morte ac sepultura Saluatoris certi, dubij de resurrectione gradiebantur, varios commiscentes sermones. nam resurrectio, quæ post septimam sabbathi facta est, octauo numero continetur. Discipuli ergo, qui de Domino loquentes incedebant, sextum cœpti itineris milliarium compleuerant, quia illum sine querela viuentem vsque ad mortem, quam sexta sabbathi subijt, peruenisse dolebant; compleuerant & septimum, quia hunc in sepulcro quieuisse non dubitabant: verum de octauo dimidium tantum peregerunt, quia gloriam celebratæ iam resurrectionis nec dum perfecte credebant. Euısdem considerationis est, quod dum circumfusa nube sublatus esset IESV, vt hominem quem dilexit, quem induit, quem protexit a morte, ad Patrem victor attolleret, postea venturus e cælo ad pœnam diaboli, & censuram generis humani, Duo Angeli adstitisse referuntur iuxta Discipulos, de die illa tremendi iudicij verba facturi: Quid, inquiunt, statis viri Galilæi aspicientes in cælum? non admiramini: hic IESV qui aßumtus est a vobis in cælum, iterum veniet, & quemadmodum abijt iudicatus, iudex est terribilis rediturus, & videbit collecta in vnum generalitas hominum quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conspuerat: non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio; & cum clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. A dextris

Luc. 24.

Petr' Apian' cosmograp. lib. 1.

Act. 1.

Cyprianus de ascensione.

Anselm' de similitudinib. mundi.

Vid. Grego. Naz. in plagã grand.

erunt peccata, hoc est acres & acerbi accusatores; a sinistris, infinita dæmonia; subtus, horrendum chaos inferni; desuper, iudex iratus; foris, Mundus ardens; intus, conscientia vrens, & prolata in medium inflexibilis sententia: occurrentibus Saluatori electis, remanebunt impij infinitis deputati tormentis, immortales miseri viuent inter incendia, & inconsumtibiles flammæ nudum corpus allambent, ardebit purpuratus diues, nec erit qui æstuanti linguæ stillam infundat aquæ, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Dualis Angelorum numerus etiam Duabus ciuitatibus Sodomæ, & Gomorrhæ portendit interitum, diuino igne in eas delato, eo quod hospites prætereuntes contumelijs afficiebant. vt nemo vsqueadeo sit imperitus, neque tam nullius ingenij, qui non magnæ significationis caussa factum putet, quod tres Angeli veniunt ad Abraham stantes super eum luce meridiana, & fulgentissimo iam Sole, vtpote felix negocium. sed ad excidium Duarum vrbium, Duo dumtaxat veniunt, sub vesperam, & primis tenebris intendentibus, sedentes in platea, quod tanto exterminio non competeret ternarius, quo gaudet Deus; sed Binarius ab vnitate & trinitate recedens. Vide quomodo dispensatione Spiritus sancti pro meritis aptati sunt numeri? Vbi gratia largienda, ternarius adest; vbi exercenda seueritas, solus Binarius. Adijciam eiusdem mysterij exemplum Scopæ. fuit quidem Scopa fortunatus homo, apud quem in Cranone Thessaliæ cum cænaret Simonides Ceus poeta, concinissetque id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi caussa Poetarum more in Castorem & Pollucem filios Iouis Dioscuros nuncupatos scripta fuissent, nimis sordide Scopa se daturum Simonidi dimidium eius quod pactus esset pro illo carmine promisit, reliquum a suis Tyndaridis quos æque laudasset, peteret, si ei videretur. Accepit conditionem Simonides.

Gen. 18. 19.

Suidas.

Origenes i Genes. lib. 4

Haud

Haud multo post nunciatum fuit Simonidi, vt prodiret, iuuenes enim stare ad ianuam Duos, qui eum magnopere vocarent; surrexit ille, neminem extra ianuam vidit. hoc interim spacio conclaue illud, vbi epulabatur Scopas, concidit; qua ruina oppressus Scopas cum suis interijt. Quos cum humare vellent sui, nec possent obtritos vllo modo cognoscere, Simonides dicitur ex eo quod meminisset quo loco quisque cubuisset, demonstrator vniuscuiusque sepeliendi fuisse. Quare tunc admonitus, inuenisse fertur, Ordinem esse maxime qui memoriæ lumen afferret. Tentante Heliodoro rapere thesauros Ecclesiæ Sanctæ, scriptum est, quod spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes qui ausi fuerant ei parere, ruentes diuina virtute in desolationem & formidinem conuerterentur, dum illis apparuerunt Duo iuuenes virtute decori, qui circumsteterunt, flagellantes ex vtraque parte, sine intermissione multis plagis verberantes. Sic in quodam Psalmo de impijs scriptum legitur: Operiantur, sicut diploide confusione sua. Diplois enim Duplex est vestimentum, quo figuraliter induuntur, qui iuxta reatus sui meritum & temporali, & perpetua animaduersione feriuntur. sicut Antiochus & Herodes, qui vtrique suo tempore aduersus Deum repugnantes, quid tormentorum in gehenna perpetuo passuri essent, præsentium afflictionum miseria cunctis ostendebant. Quibus congruit illud Ieremiæ cap. 16. Reddam primum Duplices iniquitates, & peccata eorum, quia contaminauerunt terram meam in morticinijs idolorum. necnon, & capit. 4. Contritio super contritionem, idest Gemina damnatio, & hic & in futuro seculo. Et alibi: Percussisti (inquit) eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, Duplici contritione contere eos. Solos enim pœna liberat a supplicio quos mutat. nam quos præsentia mala nõ corrigunt, ad sequentia perducunt: Vnde et quodam loco scriptum legitur: Iesus populum de terra saluans Aegypti, Secundo eos qui non crediderunt, perdidit. Et per Moysen dicitur:

2. Mach. 3.

Psal. 108 Greg. Papæ.

Euseb. hist. eccl. lib. 1. c. 8. ex Ios. antiquit. libro 17.

Cap. 5.

Cap. 17.

Iudæ vni co.

Deuter. 32.

dicitur: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nouissima. Quo enim ad præsentem percussionem spectat, recte dicitur: Ignis succensus est in furore meo: quo vero ad æternam damnationem, subdit: Et ardebit usque ad inferni nouissima. Notat igitur Dualis numerus Duplicem peccatorum damnationem, quarum prima fit per culpam, altera per pœnam: illa per tribulationem præsentem; ista, per futuram. De quibus dicit Iudas in Canonica sua: Arbores autumnales infructuosæ, Bis mortuæ, fluctus feri maris, dispumantes suas confusiones. Bis mortui enim dicuntur peccatores, per culpam & per consuetudinem, vel per mortem corporis, & mortem animæ. Vnde Eccli. cap. 21. Quasi Romphæa Bis acuta omnis iniquitas. Timeamus ergo, ne quod Scriptura comminatur apud Esaiam cap. 40. Dei iudicium a nobis incipiat, ne de manu Domini duplicia suscipiamus, id est, Duplices pœnas pro peccatis nostris. per huiusmodi namque duplicationem mensura scelerum impletur, secundum quam emendatur & Israel. Sic in Apoc. scriptum est, quoniam peruenerunt peccata Babylon usq; ad cęlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius: Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis, & Duplicate Duplicia secundum opera eius, in poculo quo miscuit uobis, miscete illi Duplum. De Binarij infamia cum multa dicta sint, adhuc plura supersunt, quæ in lege & Euangelio pręcipue memorantur. Ioseph Patriarcha falso accusatus, in carcere detentus est in Aegypto Duos annos: Genes. 41. Duobus testibus Susanna est appetita: Dan. cap. 13. Duos testes inuenit Synagoga, qui aduersus Christum dominum falsa iactarēt: Matth 26. Duo viri filij Belial dixerunt falsum testimonium contra Naboth. 3. Reg. 21. Duobus funibus a Philisteis vinctus est Sanson; vt legitur libro Iudicum cap. decimoquinto. In Duas partes scidit Heliseus vestimenta sua, cum vidisset Heliam ascendentem per turbinem in cęlum. 4. Regum secundo. Nec est quod quispiam opinetur Binarium in laudabiliter positum, quoniam Heliseus (vt eodem Scripturæ loco legitur) petijt in se-

Beda q̃st. in Deut. ca. 22.

Iudæ vnico.

Gregor. Naz. lib. in plagã grand.

Cap. 18.

D. Cyprianus Serm. de Sp. sãcto.

ipsum

ipsum fieri Duplicem spiritum Heliæ. non enim in Duas substantias, idem spiritus erat diuisus, nec Duos Propheta sanctus habuit spiritus; sed quod populo Christiano, cuius typum Heliseus gerebat, accepto Spiritu sancto, data sit potestas in opere & sermone, & ascendẽtem Heliam, idest Christum, pio desiderio prosecutus fide claruerit & intellectu, & vita, & signis, & miraculis fulserit & exemplis. Duo dracones Mardochęus & Aman: Hest. 10. Duo mali eunuchi Bagathan et Thares machinarunt occidere Assuerum: Hest. 2. Duo viri principes latronum erant filio Saul: 2. Reg. 4. Duo debitores erant cuidam fęneratori: Luc. 7. Duæ mulieres fornicatæ in Aegypto Oola, scilicet, & Ooliba: Ezech. 23. Duæ meretrices altercantes coram Salomone: 3. Reg. 3. Duo cæci in Iericho sedentes secus uiam: Matth. 20. Duabus horis clamabat turba: Magna Diana Ephesiorum: Act. 19. Duos menses filia Iephte fleuit virginitatem suam: Iudic. 11. Duo quæ comminatur Christus damnatis, fletus & stridor dentium: Matth. cap. 22. & 25. Duplex plaga est ab æterno regno Dei separari, & in inferno cum Diabolo damnari, terribilem dico semper pati conspectum Dęmonum, & amittere pręsentiam Angelorum & Dei. cum nihil grauius sit in pœnis, quam præsentia & visione Dei carere. Quod non ignorãs regius Psaltes Dominum deprecatur dicens: Ne proiicias me a facie tua. Et item: Ne auertas faciem tuam. Et Iob ad hoc respiciens: A facie tua (inquit) Domine non abscondar. In Leuitico de illo qui iuramentum protulit, vt vel male quid, vel bene faceret, & hoc ipsum obliuione transcendit, si non potuerit offerre pecus, in remedio pœnitentis, adiungitur vt Duo pulli columbarum, vel Duo turtures, qui pro cantu gemitum habent, offerantur. quia Duplicem in pœnitentia debet habere fletum quilibet peccator, siue quia per negligentiam bonum non fecit; seu per audaciam malum perpetrauit. Quod enim oportuit, non gessit; & quod non oportuit, egit. Non secus Duas iniquitates commiserunt qui Barrabam sibi dimitti, Christum autem cruci affigi petierunt; bonum reprobantes,

August. de tripli ci habitaculo.

Psal. 50. 68.

Iob 13. Cap. 5.

Alcuin. lib. de vir tutib. & vitijs.

Matt. 27. Ruptus i Iohan.

bantes, & malum eligentes. Herodis etiam impietatem in Christum & æquæuos eius Binarius taxat, quando omnes lactentes pueros a Bimatu & infra iussit interimi, si quo modo etiam IESV cum æquæuis extinguere potuisset. Deus apud Hieremiam facit misericordiam in millibus, & reddit iniquitatem Patrum in sinu filiorum eorum post eos. In quo grandis clementia Creatoris ostenditur, misericordiam suam in mille generationes extendens, & iustitiam in Secunda generatione demonstrans. Viginti & quinque viri in introitu portæ, qui cogitant malum, & tractant consilium pessimum in Vrbe, habent Duos principes, quia Binarius scindit vnitatem. Vnde & Heber nati sunt Duo filij, nomen vni Faleg, idest, diuidens, quia in diebus eius diuisa est terra, & fabricata est turris, vbi confusio linguarum facta est. Sex millia equitum aduersus tria millia virorum, vt sint Duo contra vnum, possunt, interprete Diuo Gregorio, designare Dæmones conantes auferre amorem proximi, quo sic auferant amorem Dei. Dæmonis quidem nomen tametsi veteribus atque Platonicis non odiosum, nec infestum fuit, quippe qui hac appellatione Deos quandoque complexi sunt; in nostra tamen religione solet in deteriorem partem vsurpari, pro ea natura, quæ cum in prima Mundi origine a Deo perfectissimam rationem atque intelligentiam accepisset, suo peccato cœlo depulsa est. Quare in sacris oraculis Duo esse leguntur duces Dæmoniorum, Behemot, scilicet, & Leuiathan. Apposite enim malis Spiritibus addictus est Binarius, cum nulli creaturæ inesse possit propensio ad malum, nisi ex Duplici natura conflata sit: ipsi profecto ab initio boni fuerunt creati, protestante Moyse omnia quæ fecit Deus fuisse valde bona. sed animi peruersitate a melioribus ad peiora, a summa & immutabili vnitate in naturam Binarij libere atque vltro deciderunt. Vt enim Binarius est primus ab vnitate recessus, ac solus inter pares numerus primus, cuius sola vnitas est pars aliquota, quæ est proprietas primi numeri: consimili modo Dæmones rebus

Matth. 2. Cap. 32. Ezech. 11. D. Hieronym. de Hebraicis nominibus. Gen. 10. 1. Reg. 13. Gen. 1.

a Deo datis non contenti, sed maiora appetentes, & superbiæ perturbationem admittentes, honore initio dato exciderunt, & ab ipsa vnitate seiuncti, & diuisi sunt in Duas naturas; in primam scilicet, qua creati sunt à summo Deo; & in secundam ab eorum mala voluntate acquisitam, qua semper diuisi a Deo, homines etiam diuidere conantur. Secundæ autem naturæ significatione intelligo permanentem & pessimam affectionem, ac diuturnam & malam consuetudinem. qua vsus est Paulus, Vas electum, dicens nos fuisse natura filios irę. Duo sunt et genera eorum qui in die tremendi iudicij reprobandi sunt. Vnum quidem illorum qui fidem Christi vel numquam suscepere, vel susceptam, per apostasiam deseruere, de quibus scriptum est: Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine filij Dei. Alterum eorum qui fidei Christianæ mysterijs initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus Iudex dicturus est: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esuriui enim, & reliqua. Duo sunt & genera delictorum, propria scilicet, & aliena. Diabolus suo delicto cecidit: Adam alieno deiecit. Duobus quoq; modis impeditur oratio peccatoris, dum vel nulla luce illustratur, quando scilicet peccata sua nec videt nec confitetur; vel nimia luce obruitur, dum ea tanta videt, vt de remissione desperet. Duplex morti ad nos aditus patet, aut enim iudicio ac ratione peccamus, vt cum nec sana nec recta ratiocinamur; aut affectibus impulsi labimur, vt cum temere irascimur & concupiscimus. Eam ob caussam sanguinis quoque agni Duplex est signum. Et ratio quidem, vt pote princeps, quasi superius limen est: affectus autem, velut postis superiori limini subijcitur. Duo iuuenes euntes cum Abraham, poßunt significare Duos populos, qui consenserunt in mortem Christi. Duo hædi, quos Iahacob obtulit patri, signant peccatores ex Duobus populis. Duæ vxores Dauid captiuatæ, figurant Duos populos a Dæmonibus in seruitutem adductos. Gemina percussio petræ de virga in deserto, signifi-

Michael Psellus d Dæmoni bus.c.2.

Ephes.2.

Beda.

Iohan.3.

Matt. 25

Aug. in Psal. 18.

Nicetas Setronius cô. in lib. 2. de Pascha. Gregor. Naz. Exho. 12

Gen. 22.

Gen. 27.

Gl. iterl.

1. Reg. 30.

Num. 20 Augu. in Iohan. c. 6. Matth. 27. Marc. 15 Luc. 23. Ezech. 43.

significare potest Duo ligna, quæ in Crucis patibulo eriguntur: quia Christus in vno ligno sacras manus expandit: in alio vero a capite ad vsque pedes immaculatum corpus extendit. In Duas partes diuisum velum templi in passione Domini, significabat Duo testamenta diuisa in Scriptura. Duobus cubitis crepidinis altaris terrena, & corruptibilia designantur; quibus apposite competit Binarius, cui symbolice tribui solet materia diuisibilis, informis, permutabilis, impotens, expers vitæ, verum non ens, imago entis, appetitio substantiæ, stans non in statu, apparens omnia, nihil ens, fiens omnia, nihil manens, totius entis defectus, promissa semper mentiens. Quare a materialibus nos euocans Ecclesiastes dicebat: Vnus pugillus habet requiem, & Duæ manus labore sunt plenæ. Pugillus enim vnus (interprete Olympiodoro) vnitas ipsa est, materia carens; pugilli Duo, materialia, quæ diuidi vel facile possunt. Melius profecto vnitatem sequi, atque officiosam vitam ducere cum quiete, hoc est sine inanis gloriæ fuco, quam occupari circa Dualitatē, hoc est res materiales. D. Hieronymus comm. in Aggeum: Materia (inquit) in qua reparatio Mundi sobolisque consistit, Duplicem numerum diligit, quare Darius quia amator erat coitus, & socius draconis (cuius omnis virtus in lumbo est) iccirco in Secundo anno visio cernitur populo, in immundo numero, & post vnionem virginitatis, & paradisi nuditatem, tunicas significante pelliceas. Potest igitur Binarius notare intemperantes, qui luxurię dediti, nimioq; cibo ac potu repleti operam litteris dare haudquaquam possunt. Exstat Platonis pręclara illa quidem epistola ad Dionis amicos, qua displicuisse sibi ostendit quod Itali, & Syracusani Bis in die saturi fierent, nec vnquam pernoctarent soli. Tunicas Duas non possidendas admonet Deus Matth. cap. 10. & Mar. cap. 6. In quibus videtur Duplex ostendere vestimentum; non quod in locis Scythiæ glaciali niue regentibus, vna quis tunica debeat esse contentus, sed quo in tunica vestimentū intelligamus, ne aliud vestiti, aliud nobis futurorum

Cap. 4. Cap. 1. Gen. 3. Beda.

timore

timore seruemus. Duas etiã tunicas habere dicitur, qui colere vult veterem & nouum hominem. Vel forte, quia per vnam tunicam vita simplex atque ab omni versutia & improbitate libera designatur, scite qui ad Euangelium promulgandum mittitur, Duabus tunicis vti prohibetur. In lege quoque Moysis, Leuit. 19. (cognata quippe sibi est diuina Scriptura) legitur: Veste, quæ ex Duobus texta, non indues. & alibi: Non indues veste ex lana linoque contexta. Nam in vestimento ex Duobus contexto, lana, scilicet, & lino, interdicitur coniunctio simplicitatis innocentiæ, quæ significatur per lanam, propter oues quæ sunt ad dextram; & subtilitas malitiæ, quæ per linum denotatur. Et nimirum vestis quæ ex lino lanaque conficitur, linum interius cęlat, in superficie lanam demonstrat. Prohibemur insuper vti Duplici mensura, secundum illam sententiam Salomonis, qua dicitur: Abominatio est Domino pondus Duplex, & statera dolosa non est bona in conspectu eius. Duo cornua bestiæ similia agni, sunt simulationes Hypocritarum & Antichristi. Binarius enim Hypocritas maxime notat, qui nunc spiritualia sectari videntur, nunc terrenis actionibus & negocijs inuoluuntur, similes prorsus quibusdam piscibus siue animalibus, quæ nunc in aquis, nunc in terris versantur; inde ab Isidoro appellantur dubia, seu ancipitis naturæ, quod non solum natatilia, sed & gressibilia sint per naturam, & vtroque clemento participent cuiusmodi sunt, phocæ, castores, testudines, cocodrili, & huiusmodi, quæ communiter sunt animalia sæua, vel maligna, & huiusmodi homines dubium videtur vtrum sint Dei uel Mundi: deceptores tamen sunt & iniqui, de quibus legitur scriptum: Omnis hypocrita est & nequam; & alibi dicitur, quia nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus, ut placeat Deo. Hos Propheta regius dicebat corde, & corde loqui, quod aliud in corde occultum gestent, aliud in lingua promtum ostentent. Iacobus Apostolus; Vir, inquit, Duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Et per quendam Sapientem dicitur: Ne accesseris

ad Deum

Gl. iterl. sup. Exhod. 26.

Deut. 22

Matt 25.

Prou. 20.

Apoc. 13 Gl. iterl.

Esa. 9.
2. Tim. 2.

Psal. 11.

Iac. 1.
Eccli. 1.

ad Deum Duplici corde, nec fueris hypocrita in conspectu hominum. Væ Duplici corde, & labijs scelestis, & peccatori terram ingredienti Duabus vijs. Omnis peccator inuidus, & Bilinguis; super furem est confusio, & deuoratio pessima super Bilinguem: Item: Cor ingrediens Duas vias, non habebit requiem. Quibus enim Duplex est mens, perpetuos belli tumultus necesse est patiantur, carne nimirum & anima, ex aduerso castra habentibus. Hæc enim Christo impigre ac libenter paret, ac lucem petit; illa contra, carni & sanguini dedita est, Beliamque ad tenebras pertrahentem excipere parata. Bona est (inquit Ecclesiastes) plenitudo pugilli cum requie, super plenitudinem pugillorum Duorum cum labore. Mystico quidem sensu pugillus est indeficiens fides, quę est in Dominum IESV Christum: Duo autem pugilli, intelligendi sunt, cum quis Duobus dominis seruire studet, Deo, scilicet & Mammonæ, & opprobria illa pati, quæ commemorat Helias propheta dicens: Vsquequo claudicatis in Duas cogitationes, nunc Baal, nunc Deo adhærentes? Si Deus est Dominus, sequimini eum. nam nec Deus commentitijs dijs honorem haberi vult; nec hi verum Deum volunt adorari. Iahacob qui Angelum tenuit, vno pede claudicauit. quia qui vero amore sublimia respicit, iam in hoc Mundo Duplicibus incedere desiderijs nescit. Vno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur. Non potestis, inquit Paulus, participes fieri mensæ Domini, & Dæmoniorum. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate: aut quę societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Duplicia sic se habent, quod vnum est contra vnum. Dei proprium est vnitas: at Sathan ille Duplicis est formæ, atque obliquo & versipelli consilio, alios aliosque subinde laqueos nectit. Est quidem ille caligo obscurissima; sed si tenebras suas cognitas & deprehensas intelligat, confestim se conuertit in Angelum lucis, sicque leniter arridens animum demulcet. Legitur in vitis Patrum, quod cuidam ægroto apparuere Duo dæmones in forma Angelorum bonorum, di-

Eccl. 6. 2. | Eccli. 3. | Gregor. Naz. lib. de calamitatib. aiæ suæ. | Cap. 4. | 3. Reg. 18. | Gen. 32. | 1. Co. 10. | Nic. Cusa. lib. 8. excitat. | Gregor. Naz. de calamitatibus animæ suæ. | 2. Cor. 6. | 2. Cor. 11. | Antoni⁹ i summa part. 1. ti. 5. c. 2.

centes se a Deo missos, vt eius animam portarent in cælum; sed adeo grauem reperisse, ut eam deferre non possent. nihilominus daturos sibi modum ad alleuianda peccata sua, videlicet, vt exinde teneret silentium continuum. Quibus recedentibus, cum nulli loqueretur insanus, nec responsum interrogantibus dare curaret; fuit admonitus, ne permitteret se decipi a Diabolo, qui se aliquando transfigurat in Angelum lucis. Ex quorum verbis illuminatus ægrotus, verba formauit, apparitionem narrans. Et postmodum recordatus fuit de quodam peccato mortali, quod per obliuionem non confessus fuerat. Non incongruam hoc loco historiam referre piget ex Philonis Iudæi libro Biblicarum antiquitatum desumtam. Cum recordaretur Deus Israel, voluit reuelare Samueli sermones suos; Samuel autem erat dormiens in templo. & factum est cum vellet eum Deus vocare, cogitauit primo dicens: Ecce nunc Samuel puer, quamuis sit dilectus in conspectu meo, tamen cum nondum vocem Domini audierit, neque ad locutionem Altissimi sit corroboratus, est sicut Moyses famulus meus octogenarius, cum ad eum primum locutus sum; Samuel autem est octo annorum. at Moyses vidit ignem in spinis, & expauit cor eius; quod si viderit ignem Samuel, quomodo sustinebit? & ideo nunc erit vox ad eum tamquam hominis, non tamquam Dei; & cum intellexerit, tunc loquar ad eum tamquam Deus. Igitur in media nocte vocauit eũ vox de cælo: & expergefactus Samuel cognouit veluti vocem sacerdotis Heli, & cucurrit ad eũ, & dixit: Quid me excitasti Pater? Ego.n.timui quod numquã me vocasti de nocte. Et dixit Heli: Heu nunquid Spiritus immundus seduxit filium meum Samuel? Et dixit ei: Vade, dormi, nõ vocaui te: tamen dic mihi, an memor sis quoties qui te vocauit clamauerit. & ille dixit: Bis. & dixit ad eum Heli: Dic mihi cuius vocẽ cognouisti, Fili mi? Qui dixit: Tuam, propterea cucurri ad te. Inte, dixit Heli, video hoc signum quod habebũt homines ab hodierna die, & vsq; in seculum, quoniam si clamauerit Bis alter ad alterum per noctem vel in meridie, scient quoniam spiritus pessimus est;

1.Reg.3

si au-

si autem adijciat ter clamare, sciant quia Angelus est. Et abijt Samuel & dormiuit, & audiuit secundo vocem de cęlo, & exsurgens cucurrit ad Heli, & dixit ad eum: Quis me vocauit, quoniam audiui vocem patris mei Helcanæ? & tunc intellexit Heli, quod inciperet Deus vocare eum. dixit enim Heli: In Duabus vocibus, quibus clamauit ad te Deus, assimilatus est patri et magistro; nunc autem, tertio Deo. Et dixit ad eum: Aure tua destra intende; sinistra tace. Et abijt Samuel, & dormiuit sicut preceperat ei, & adiecit Dominus tertio loqui. Hæc cum legissent multi, factum est vt prima facie vera putarent, quæ a Magis prodita sunt, Binarium, scilicet adferre spectra vmbrarum, terriculamenta laruarum, nocumenta malorum spirituũ his qui nocte iter faciunt. Hanc Binarij naturam non ignorauere Romani, Secundũ anni mensem appellantes Februarium, Plutoni dicatum (est enim Pluto prouidentia proprie & separans animas, & iudicans separatas) in eo Secunda die vrbem lustrabant, iustaque Dijs Manibus soluebant, ac purgationibus quibusdam vtebantur, mortuis parentantes.

Mars. Fic. in Plat. de leg. lib. 8

Mãfred. in rõne cõputi.

Nam februare quidem dicunt purgare Latini.
Mos viguit talis Romanis ciuibus olim,
Anno sub quinto dum census fertur ad vrbem,
Mœnia cum muris templa & lustrare Deorum,
Scilicet, istius mensis sub luce Secunda,
Vt quasi purgarent delicti excessibus vrbem,
Et venia atque salus per supplicia ista daretur,
Dicere lustrare sic, & purgare solemus,
Sic & multotiens dicitur quinquennia lustra.

Hanc lustrandi consuetudinem mutauit Christiana religio, cum Secunda die Februarij mensis, plebs vniuersa cum sacerdotibus & ministris hymnis & modulationibus deuotis per Ecclesias procedat, datosque a Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes, non vtique in lustrationem terrestris imperij quinquennem; sed in perennem regni cælestis memoriam. Quemadmodum

autem

autem sunt sacra quædam tempora apud omnis religionis gentes summa veneratione semper obseruata, quæ aut a Dijs ipsis sanctificari præcepta, aut a Patribus & Maioribus in accepti beneficij commemorationem, perpetuamque gratiarum actionem dedicata; sunt eadem ratione his contraria tempora, quæ piacularia dicimus, & quos dies atros vocamus, quod illis diebus aliquam cladem vel calamitatem Respublica passa fuit, qua ratione dicti sunt dies Aegyptiaci, olim ab Aegyptijs obseruati. Nam quælibet natio hac ratione suos habet vel faustos, vel infaustos dies. Kalendas intercalares, infaustas esse in historia prodidit Ammianus Marcellinus. & idcirco Valentinianus Imperator prodire in publicum noluit, vt ominosum & quasi Secundum diem euitans. Alij & Bissextilem annum infaustum dixere; vnde & hac tempestate foetæ mulieres, vt ominosum & noxium expauescunt, & execrantur. Quidam etiam narrantur certis anni diebus ægrotare, vt teste Valerio, Antipater Sidonius poeta omnibus annis eo die quo genitus erat, febre laborabat, qua ad extremum consumtus est eodem natali suo. Quibusdam legimus euenisse felicitates, vt est auctor Aelianus de Atheniensibus, qui mense Thargilione, id est, Februario, victorias maximas eos adsecutos fuisse dicit. In quo etiam mense, nempe die S. Matthiæ in hanc lucem editus est Carolus V. Imperator, a Clemente VII. Pont. Max. Bononiæ coronam accepit, Gallię Regem in bello superauit. Olim quoq; Pisanis ter uictoria de inimicis die sancti Sixti contigit, adeo vt ei templũ extruxerint. P. Cornelius Dolabella Con. vt est apud Appianum de bellis ciuilibus libro 2. legem tulit, vt dies ante Idus Martij, quo C. Iulius Cæsar interfectus est, in posterũ Natalis Vrbis haberetur, quasi scilicet hac Iulij Cæsaris nece, libertas Reipub. restituta esset. Christianæ Reipublicæ faustus fuit dies ante Nonas Octobris memorabili clade. ipsa.n. die a Fidelibus aduersus Turcas apud Naupactum, non longe sane ab eo loco vbi olim Antonius fuit ab Augusto superatus, feliciter pugnatum est, cum Selinus

2. digest. lib. 8.

nus

nus Turcarum Imperator Cyprio regno paucis ante diebus potito vniuersum Ionium, atque adeo ipsum Adriaticum sinum ingenti classe infestaret, omnium fere principum Christianorum classis, qui ad id communis hostis bellum reprimendum in vnum conspirarant, Marco Antonio Columna, Iohanne Austria & Sebastiano Veniero Ducibus, tandem Nonis Octobris Turcis occurrunt. Ibi Turca, & recenti victoria terrestri ferox, & quod Fideles tertiā fere partem superaret, se inuictum existimans, classem summo mane educit, & aspirante vento dat pugnæ signum. faciunt idem non impigre Christiani Duces, qui maiorem in Deo, quam in viribus, quibus longe cedebant, spem collocatam haberent; itaq; magno clamore & tormentorum strepitu concurritur. sub ipso vero pugnæ initio diuinitus statim ventorum tanta mutatio consecuta est, vt iam Fidelibus aspirarent qui ante reflarant venti. Quare Victoria statim ad Christianos est inclinata, qua demum potiti sunt, cū a meridie fere ad noctem vsq; atrocissime fuisset dimicatum. Feruntur captæ circiter 180. triremes Turcicæ, & plusquam 40. partim combustæ, partim submersæ, reliquæ paucæ duce Ochialino turpiter à principio pugnæ fugam capesserant. Occisi vero ex hostibus 20. milia, & vltra, multi etiam capti: Christianorum, qui apud ipsos capti ui tenebantur, inuentus est ingens numerus, qui omnes fere sunt liberati: nam aliquot ex ipsis Turcis, desperata iam victoria, sunt ante trucidati. Ex nostris triremes admodum paucę sunt desideratæ. Fuerunt quidem Romanis in vniuersum Nonæ, Idus, & Kalendę fausti, & agendis rebus felices dies. Tranquillus in Augusto: Sanxit, inquit, ne plus quam bis in mense legitimus Senatus ageretur, scilicet, Kalendis, & Idibus. tantum ille. Qui prędictos proxime sequuntur dies, Dijs Manibus attributi, atri & tristi omine infames ab ipsis Romanis habiti sunt, tamquam Secundi quidam dies, in quibus exercitum conscribere, legiones educere, manus cum hoste conserere, sponsalia inire, peregre proficisci, quidquam publicę vel priuatę rei moliri, aut aliquid nouę rei inceptare,

ptare,

ceptare, inceptum fedum & exitiale existimatum, eo quod illis maxime diebus insignem aliquam cladem calamitatemve passi fuissent. Fuit enim obseruatum vt qui hostes bello tentare, vel acies eo tempore committere curarent, rem in non mediocre periculum discrimenque adducerent, magno postea exitio consecuto. De hoc meminit Ouidius Fastorum lib. 1.

Vendicat Ausonias Iunonis cura Kalendas:
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret, omnibus istis
Ne fallare caue, proximus ater erit.
Omen ab euentu est; illis nam Roma diebus
Marte sub aduerso tristia damna tulit.

Tacitum Imperatorem posterum Kalendarum diem nec legere, nec quidquam scribere voluisse narrat Flauius Vopiscus Syracusius. et apud Nonium ex Aphranio: Septembris heri Kalendæ, hodie ater dies. Macrobius in Saturnalibus dicit Nonis prohiberi celebritatẽ nuptiarum, quod primus nuptiarum dies verecundiæ detur, postridie autem nuptam in domo viri dominiũ incipere oportere adipisci, remq; facere diuinam. Ideoq; ne nupta postera die libertatẽ auspicaretur vxoriã, aut atro immolaret, quo nefas erat celebrari, nonas inhabiles nuptijs esse dixerunt. Quid vero de Alliensi pugna, quæ facta est anno A.V.C. 363. postridie idus quintilis, scripserit Verrius Flaccus in 3. de verbor. significat. videamus: Vrbe a Gallis Senonibus recuperata L. Attilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpitium tribunum militum ad Alliam flumen aduersus Gallos pugnaturũ, rem diuinam dimicandi gratia postridie idus fecisse. tum exercitũ populi Romani occidione occisum, & vrbem, præter Capitolium, captam esse. Compluresque alij Senatores recordari sese dixerunt, quoties belli gerendi gratia res diuina postridie Kalendas, Nonas, Idus a Magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps prælio rem male gestam esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices reiecit, vt ipsi quod videretur, statuerent. Pontifices decreuerunt nullum his diebus sacrificium recte futurum.

Plutarc. in Camil. Aulus Gel. lib. 5. c. 17.

Petrus Crin. lib. 1. c. 15.

Pet. Cri. libro 1. c.22.

Hist. Eccl. lib. 7. c.22.

Plut. in Symposio lib. 9. cap. 6.

Lib. 5. annalium.

F. Lauré. Suri° carthusian.

Nicepho Call. histo. eccl. libro 15. cap. 20.

F. Lauré. Surius.

Hæc ille. Postridie nonas Aprilis, quod inter septem mirabilia huius Mundi opera maxime celebrabatur, templum Ephesinæ Dianæ combustum est. Postridie Kalendas Iunij consulatu Lupicini et Ioniniani grandinis multitudo in Constantinopolitana vrbe, saxorum gerens similitudinem vehementer effunditur. & post natum Christum anno 1083. Henricus quartus Imperator Romam captam reddidit, post annorum duorum obsidionem, quod refert Albertus Crantus. Accedit quod eam diem mensi extraxerāt Athenienses, quoniam tunc contentio Mineruæ cum Neptuno fuisse crederetur, vt apud Plutarchum. Postridie Kalend. Sextilis anno supra ducentesimum duodecimo ante Saluatoris Christi aduentum vult Q. Claudius Quadrigarius factam fuisse illam uastissimam cladem Cannensis pugnæ, de qua ita Florus: Aemilio Paulo & Terentio Varrone Coss. et ducibus cū maxima clade aduersus Annibalem ad Cannas pugnatum est, cæsaq; eo prælio Romanorū quadraginta quinq; millia cum Paulo consule, et Senatoribus octoginta consularibus atq; prætorijs, aut ædilitijs triginta. Postridie nonas Augusti salutis anno 1546. Mechliniæ in Brabantia accidit clades memorabilis. fulmen incidit in portam Arenariam, in qua seruabatur puluis tormenti, quæ illo cælitus lapso igne inflammata, tam horrendum edidit fragorem, ut plerique mortales putarent supremum adesse Mundi diem. fuit id reuera spectaculum horroris, & terroris plenissimum. momento temporis porta illa mirabiliter dissipatur. vicinorum murorum fundamenta reuelluntur. fossarum aquæ vi tanti ardoris exsiccantur. multi homines partim extincti, partim grauiter saucij reperti sunt. quidam post triduū e specu progressus sciscitabatur num Mundus adhuc subsisteret? Postridie idus Septembris grauissimus qui vnquam fuere omnium terræmotus Antiochiam inuasit anno sui natalis quingētesimo sexto. domos eius fere omnes disiecit, cum quidem populosissima foret, ita vt in ea solitudo nulla aut locus quisquam inhabitabilis aut neglectus esset. Eademquoq; die post natum Christum 1509. vrbem

Constan-

Constantinopolitanam, qua parte spectat mare, horrendum in modũ concussit terribilis terræmotus, domosq; subruit, & ruderibus fossam complens, solo æquauit; Arcem vbi regis Turcici immensi thesauri in quinq; turribus munitissimis asseruabantur, domumq; egregiam, in qua leones alebantur, euertit: Cuniculos per quos longis itineribus etiam per montes e Danubio in vrbẽ aquæ adducuntur, summis & impensis & sudoribus effectos, adeo quassauit, vt maximis opibus instaurari nequiuerint: Ipsum quoq; mare inter Constantinopolim & Peram vsq; adeo intumuit, vt vtriusq; vrbis muros suis fluctibus excederet, & vndas in vtranq; inferret. Multa deniq; alia damna eo ipso die Turcis illata sunt. Feruntur tum Constantinopoli ad tredecim hominũ millia interijsse. Nostro vero seculo anno .s. assumti verbi 1566. circa tertiam vigiliam noctis Venetorum celeberrimum armamentarrium, quod Arcenale quasi arcem naualem vocant, omnis generis armorum nauiumq; instructissimum (casu ne an proditione factum sit pro incerto habetur, licet bellum paullo post a Turcis indictum, facit ut turcicum aliquod consilium non absuisse videatur) exarsit, et momento temporis turres, in quibus asseruabatur pulueris tormentarij immensa vis, mirabili temporis velocitate dissipantur, & non modo turres, sed & vicinæ domus reuelluntur, & longe lateq. per aera iactantur, tam horrendo fragore & tonitru vt ad quinquaginta milia stadiorum exaudiretur strepitus, flammaq. conspiceretur. Patauij .n. & Taruisij, quod mirum est, in continenti quasi terræmotu domus aliquot maxime concussæ sunt, atque culminum pinnæ (camminos vocant) decussæ. Vrbs certe vniuersa ita a fundamentis commota est, vt penitus vi diuina versam iri arbitrarentur, cum interea æstuaret mare, quateretur ciuitas, & crebri per aerem ignes fulminis instar coruscarent, multæ funditus euersæ ædes, multæ a fundamentis vitiatæ, & vitreæ fere omnes fenestræ perfractæ sunt. vrnæque ahenææ atque alia id generis vasa non aliter vbique per domos resonabant, ac si Cereris aut Bacchi orgia celebrarentur.

brarentur. Sed quod maxime admirandum est, in tanta ædiũ ruina duo tantũ homines, qui in ipsis Naualis ædibus erant, oppressi vitam cum morte mutarunt; & cum sacrarum Virginum cœnobium, quod Cælestia vocatur, funditus e vestigio euerteretur, omnes tamen Virgines, quæ illic erant, incolumes euaserunt, vna excepta, quæ in sacrarij limine deprehensa, grauem tulit sinistro humero lapidis iactum. Postridie Kalendas Octobris anno incarnati Verbi 1187. Hierusalem, ob discordias Christianorum, in ius & potestatẽ Saracenorum reuersa est. Postridie nonas Octobris anno recuperatæ salutis 1530. circa horã undecimã noctis Tybris ita repente creuit, et intumuit, ut maximum damnũ et iacturam Romanis importarit. Nos ad reliqua accingamur. Binario vitia designantur. Quare interfectis Duobus Regibus Amorreorum Seon videlicet, qui habitauit in Esebon, & O Rege Basan, lex a Moyse recapitulatur, et populus instruitur, quia motis scandalis vniuersis, atq; superatis vitiorum turbis competenter doctrinæ insistitur, & fidei lumen digne desiderantibus aperitur. Basan quidẽ, qui interpretatur turpitudo, figuram habet omnium carnalium & materialium rerum, quorum amore & desiderio detenta anima excluditur et separatur a Deo. Aduersus hunc Binarium. i. Duos reges ita præcipitur bellum gerendum, vt non relinquatur ex eo viuens. nullum. n. a filijs Israel oportet relinqui in regno turpitudinis & dedecoris viuentem. Neq; sine magni consideratione mysterij Moyses Binario vitia demonstrauit, nẽpe cum virtutis sit vnica ratio (numquã enim discedit a mediocritate, sed circa illam semper versatur) vitiorum contra Duplex est præcipitium: vnum quod in excessum; alterum quod in defectum prolabitur. Hinc illud Virgilij.

[Deut. 1.]

-------tum tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum.

[Aneid. lib. 6.]

Atqui isti sunt Duo scopuli Scylla & Charybdis, quos idem Poeta describit his carminibus.

Dextrum

Dextrum Scylla latus, læuum implicata Charybdis
Obsidet, atq; imo baratri ter gurgite vasto
Sorbet, in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sydera verberat vnda.

Aen.li.3.

Cum ergo inter Duo pericula nauiget is, qui a dextra parte Scillam, a sinistra Charybdim habeat, solus ille incolumis euadit, qui neutri horum periculorum magis adhæserit. Quid. n. aliud vita hominum, quam assidua inter varias molestias nauigatio? is autem vnus, qui sancte pieq; vixerit, & vitia vtrobiq; existentia deuitauerit, incolumis in patriam, quod beatarum est animarum post hanc vitam concilium, cui præest Deus, peruenire vel facile poterit. Virtutes igitur, quarum aliæ morales, aliæ intellectuales dicuntur, in mediocritate Duorum vitiorum oppositorum consistere propalam est. quod in sequenti diagrammate liquido perspici queat.

Vitium	*Virtus*	*Vitium*
Superabundantia	*Status*	*Defectus*
Maius	*Medium*	*Minus*
Fugiendum	*Eligendum*	*Fugiendum*
Audacia	*Fortitudo*	*Timiditas*
Intemperantia	*Temperantia*	*Insensibilitas*
Prodigalitas	*Liberalitas*	*Auaritia*
Ruditas	*Magnificentia*	*Pusillitas*
Lentitudo	*Magnanimitas*	*Pusillanimitas*
Ambitio	*Modestia*	*Honorum contemtus*
Ira	*Mansuetudo*	*Iræ vacuitas*
Adulatio	*Affabilitas*	*Contentio*
Arrogantia	*Veritas*	*Dissimulatio*
Scurrilitas	*Comitas*	*Rusticitas*
Plus	*Iustitia*	*Minus*
Plus	*Amicitia*	*Minus*
Ignorantia	*Scientia*	*Sinistra persuasio*

 Stultitia

Stultitia	*Intellectus*	*Error intellectus*
Insipientia	*Sapientia*	*Error sapientiæ*
Atechnia	*Ars*	*Error artis*
Imprudentia	*Prudentia*	*Error prudentiæ*

Sic corporis bona, quæ & sensibilia sunt & materialia, tantum in medio rationem sibi uendicant; in extremis autem, mala & vitanda reperiuntur. Horum enim id dumtaxat, quod neque plus, neque minus fuerit, bonum & eligendum est: quod vero exsuperat aut deficit, malum est & protinus fugiendum. Hinc perspicuum fit omnem prorsus miseriam nasci ex Dualitate. est enim miseria, vt mihi videtur, vel necessariorum & naturalium bonorum priuatio, vel eorum desiderium irrationabile, veluti cum subiectum aliquod & naturalis potentia, aut proprio priuatur obiecto, propriorumve & naturalium suorum bonorum fit exsors, aut quando ipsa appetitio, vtriusque & subiecti & naturalium eius bonorum seu potentiæ & obiecti, quantitatem transcendit, vt si & finita est potentia, & finitum eius obiectum, illius tamen ad hoc irrationabilis appetitus. Pari modo & cum finita sint subiecta & naturalia bona, illorum tamen ad hæc irrepressibilis & inextinguibilis ardor. Hanc Dualitatem abhorrere visus est Sapiens ille, quando Dominum suppliciter his verbis exorabat: Diuitias vel paupertatem ne dederis mihi, sed tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Cui simile est illud Apollonij Tyanei, qui sic Deos precabatur: Concedite mihi pauca habere, & nullius indigere. Paupertas (inquit Aristophanes) bestia est, qua nihil perniciosius, & interitu dignius: Diuitiarum vero natura illa, & consuetudo est scilicet, vt malo magno sint ingenijs & animis hominum. Deuitarent quidem homines, hanc Dualitatem, ac quietissimam vitam agerent in terris, si ex Pythagoræ præcepto omnia forent communia,

Prou. 30.

Seneca.

Duoque

Duoque illa frigida verba Meum, & Tuum, à natura omnium rerum tollerentur. Vnus enim puluis omnes sumus, ab eodem fictore genus omnes ducimus, in Duas partes non natura, sed tyrannis homines secuit, ac distinxit. Duo præter hæc sunt nomina eorum a quibus e cęlo fruges tanguntur, & lęduntur. Vnum in ambiente quod tempestates vocamus, in quibus grando, & nix intelliguntur; quæ, cum plenilunio acciderint, vi maiore impelluntur. Alia sunt quæ in terra silente cęlo, serenis noctibus fiunt, nullo sentientie, nisi cum facta sunt sensibus obuia, nempe pruina, & glacies; quæ admodum distant a prioribus. Ex propositis vero alta alijs rubiginem, alijs uredinem, alijs caliginem inducunt, & inuehunt, & omnia sterilitatem. Horum vero hęc fuerit generatio.

Gregor. Naz. in nobilē male moratum.

Concretio aquosa in
- *Cælo si* { *Exigua* / *Magna* } *sit humoris vis generat* { *Niuem.* / *Grādinē* }
- *Terra si* { *Minor* / *Maior* } *sit humoris copia generat* { *Pruinā.* / *Glaciē.* }

Binę sunt & animæ ægritudines, Ignorantia, & Insania, tanto corporeis grauiores, quanto anima pręstat corpore. Namque ut anima corporis, ita cogitatio animæ uita est. corpus quidem tunc dicitur ægrotum, quando ab anima dissentit, vnde & medendi ars nil aliud curat, quam animam corpori conciliare. Anima quoque dicitur infirma, quando cum sua cogitatione nequaquam consentit, sed ab ea omnino dissentit, nec quid ipsa sit, nec quid sua intersit animaduertit, secumque ipsa nimis negligenter agit. Quare diuinus Plato cum vellet significare amantium animos Ignorantia, & Insania laborare, dixit Amorem esse nudis pedibus. Anima enim seipsam non curans (quod quidem euenit amanti) omnino quid ipsa sit ignorat, immo quod longe est deterius, credit se aliud esse, quam ipsa sit; quapropter veritatis lumine orbata, temere ac re uera nudis pedibus incedit. Duplices rursus animæ sunt passiones, quibus in

varia hinc inde intranquilla mens diuellitur, honoris s. appetitio, & carnis delectatio. Ex honoris appetitione homo, cum supra seipsum extolli, & medio sui æqualitate fieri superior cupit, in tres scopulos impellitur, Superbiam, Iram, Inuidiam, quas spiritales vocant animi labes. At ex carnis corporisue illecebris fit tripliciter homine inferior, quia mergitur in Luxuriam, Gulam, Acediam, quas hominis corporeas maculas dicunt. Auaritia commune est malum: nam & diuitias ipsi partim comparandis honoribus deuouemas, partim ipsas expetimus, ne illecebroso genio defraudemur. In vtramque igitur partem digressus a medio homo euadit infelix.

Hominis
- *Eleuatio* — *Superbia, Ira, Inuidia* — *Honor*
- *Auaritia*
- *Depreßio* — *Luxuria, Gula, Acedia* — *Illecebræ*

Aīæ paßiones

Suffragari videtur. Greg. Mor. lib. 33. cap. 5. cuius hæc sunt uerba: Duo quippe hæc sunt uitia, quæ humano generi immaniter dominātur: vnum videlicet spiritus, atq; aliud carnis. Elatio namque spiritum erigit; luxuria carnem corrumpit. Et fortasse hæ sunt Duæ filiæ sanguisugæ apud Salomonem dicentes, Affer, et nunquā satiantur. Nam quanto quisq; magis luxuriatur & fornicatur, tanto noxius delectatur, Et quo quisque sibi diuitias accumulat, eo magis eas semper augmentare desiderat. Et sicut quidam ait poetarum.

Prou. 30.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Ad hæc quemadmodum vna est scientia, & simplex veraque rerum notitia: contra Duplicem esse dicimus ignorātiam. Aut enim ignorātia scientiæ priuatio est; aut contrarius oppositusve habitus. Hunc errorem, illam puræ negationis ignorantiam uocant. Duorum

quippe oppositorum quod prestantius est, medium est & vnū; quod vero est imperfectum, geminum diuisum, Dualeque reperitur. Sunt eodem modo Duo genera falsi. vnum eorum quæ non sunt, quamuis esse possint; alterum eorum quæ omnino esse nequaquam possunt. Nam qui dicit Kalendis Aprilis, verbi gratia, pluisse, tamen, & si factum non sit, id dicit quod fieri potuerit. At qui dicit Hominem esse Leonem, id dicit quod omnino esse non potest, quia semper contradictionem claudit. Et sicut numquam ad vnionem, ita numquam ad veritatem redigi potest.

August. de Doct. Christ.

Binarius denique mystico significato corpoream naturam declarat, quod Dualis numerus sociandis generandisque corporibus aptari soleat. Neque tamen, paullo infensior nuptijs videri vellem, vt vnitate, quæ tota Dei est, virginitatem dumtaxat, Dualitate vero matrimonium vel fœdera nuptiarum hieroglyphice significari contendam: Cum matrimonium quandam immortalitatē inducat, atq; in noua lege habeat institutionem, quatenus repræsentat coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quo fit vt sit sacramentum nouæ legis ob Duplicem coniunctionem, quæ est in Christo: Prima quidem coniunctio est animorum; corporum altera. notat illa vnionem fidelis animæ ad Deum; significat ista coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Inde August. super illud. Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? Nota, inquit, quod dicit: Qui dormit. quia sicut de latere dormientis Adæ, qui erat forma futuri Christi, assumta est costa, de qua formata est Eua: ita dormiuit Christus somno mortis, vt de latere dormientis, de quo profluxerunt sanguis & aqua, quæ sunt nostræ redemtionis sacramenta, formetur sibi sponsa Ecclesia. Corporum etiam coniunctione significatur coniunctio Diuinitatis & Humanitatis facta in vtero Virginis, vt habetur 26. dist. Acutius. Cum ergo tam coniunctio Christi & Ecclesiæ, quam vnio Diuinitatis & Humanitatis vnica sit irreiterabilis & indiuisibilis, merito significata est in primi matrimonij cōiunctione carnali: sed

Psal. 40.

vbi

vbi quis ad ſecundam tranſit vxorem, recedit ab hac diuina vnitate, cadens in Dualitatem; et ideo non poterit de cetero ſignificare dictam vnitatem, et irreiterabilem ac indiuiſibilem cōiunctionem. Ex quo enim ſignificatum, ſcilicet coniunctio Chriſti & Eccleſiæ, item coniunctio Diuinitatis & Humanitatis vnicū & irreiterabile & indiuiſibile eſt, oportet quod ſuum ſignificans, ſcilicet, matrimonium carnale conſumatum, vnicum & irreiteratum ac indiuiſum fuerit. His de cauſſis, licet coniugatus ad ſacerdotium priſcis Canonibus admitteretur (nā Petrus, Philippus Apoſtoli Chriſti vxores habuiſſe leguntur, & Iuſtinianus Epiphanium Patriarcham œcumenicum laudat, quod ex Sacerdotibus genus & originem ducat) Digamus tamen omnino repulſus, quod vel ex Paulo colligi datur, dum prima ad Timoth. cap. 3. & ad Titum cap. 1. Epiſcopos & Diaconos vnius vxoris viros eſſe vult. & prima ad Timoth. 5. Vidua deligatur, quæ vnius viri vxor fuerit. Non debet, inquit Ambroſius, in ſacerdotem Digamus ordinari, nō quia deliquerit, ſed quia prærogatiua exutus eſt ſacerdotis, quod in eo ſit defectus ſacramenti vnitatis, cum carnem ſuam diuiſerit in plures. Item: vna tantum nec repetita nobis copula permittitur, & in ipſo coniugio lex eſt non iterare coniugium, nec ſecundæ coniugis ſortiri coniunctionem. Rurſus: Homini vnam vxorem decreuit Deus, cum qua benedicatur: nemo enim cum ſecunda benedicitur. Item alio loco: Primæ nuptiæ ſub benedictione Dei celebrantur ſublimiter, ſecundæ autem & in præſenti carent gloria; conceſſæ ſunt autem propter incontinentiam, & quia ſolent viduatum iuniores incurrere. Porro quod de Digamis dictum eſt, in his quoque, qui viduam duxerunt, locum habet. Hos enim Canon Apoſtolorum decimus ſeptimus Digamis omnino comparat, hac vt arbitror ratione, quia digamiam vxoris, quam ducunt, probare videntur, eiuſque digamiæ occaſionem eis præbere. Nam digamia mulierem non minus, immo magis, quam virum dedecere videtur. Quare Porcia cum laudaretur apud eam, inquit Hieronymus

Glo. 26. di. c. vni⁹ & ca. acutius.

nymus in Iouinianum, quædam bene morigerata, quæ secundum habebat maritum, respondit: Felix & pudica numquam prærerquam semel nubit. Itaque apud veteres Romanos & alias gentes, Digami a sacerdotio repellebantur. Idem Hieron. ad Gerontiam: Flamen vnius vxoris ad sacerdotium admittitur; Flaminea quoque vnius mariti eligitur vxor. Ad Tauri Aegyptij sacra semel maritus assumitur. Sed & lege Mosaica præceptum fuit, vt Pontifex virginem tantum vxorem ducere posset. Vir .n. seu Pontifex significat Christum, qui sibi copulauit Ecclesiam, quæ semper virgo permansit mente. Quare dicit Apostolus: Despondi vos vni viro virginem castam. Quod si mulier carnem suam diuiserit in plures, destruetur significatio sacramenti vnitatis, & fiet diuisa. Non est autem plenus Binarius, quia diuisus. quod vero non est plenum, vacuum habetur. Adde si lubet, quod ridicula uulgo res est, & cauillis hominum obnoxia, vxorem viduam ducere. quod vel tritum apud Legistas dicterium, Bulgari Iureconsulti discipulorum in præceptorem satis ostendit.

Leuit. 21

Amb. lib. de Noe & arca c. 12.

Glo. l. rē nō nouā C. de iud.

DE NVMERO III.

AGgredimur Triadem, qua nihil est vberius ad mysticas significationes & reconditas. Est autem hæc primus numerus; nam Pythagoræi binarium non esse numerum dicunt, sed confusionem quandam vnitatum. & Plutarchus vnitatem a Pythagoræis Apollinem refert nuncupari, Diada litem & audaciam, Triada Iustitiam, quæ est summa perfectio, & quatenus Virtus est etiam medium duorum vitiorum vtrinque reductum, quorum alterum est afficere iniuria; alterum affici, quæ vtraque sunt fugienda. Impar numerus

Plutarc. de Pyth. disc.

merus incorporeis indiuiduisq. similis esse videtur. Par primus nempe dualitas est diuisio, primaq. diuersitas, ac casus primus ab vno; Ternarius autem primus numerus impar est, quasi reditus ad vnum atque principium, & perfectior est pari, cum illum comprehendat, non ab eo comprehendatur. Vltra parem abundat vno, ob quam plane copiam masculus appellatur. Par autem ob inopiam, partitionem, & recessum a perfecto, quasi femellus numerus apparet. Parium quidem numerorum humana laus est atq; moralis, quatenus in eorum partitione iusta vtrinque fit distributio. Imparium vero sacratior est laus, atque diuina, Siquidem Iustitia in ipso pari quasi dissoluta est, nec vllum habet cardinem quo innitatur, sed in ipso impari semper ipsum vnum est medium quasi centrum atque numen quo æqua distributio regitur, & ad quod, quasi finem refertur. Impar etiam propter medium, sui ipsius vinculum intra se possidet; & propter centrum, circulare exsistit, & propter comparationem extremorum ad medium, vniuersi ordinis est principium. Primo Ternario numero contigit vt inter duo summa medium, quo vinciretur, acciperet in Ternario enim est principium, medium, finis, vnde & Tria sunt omnia. Et prisci Theologi, ut designarent Principium, Medium, & Finem esse referenda in Deum, Tria in sacrificijs offerebant. Et Tria posita sunt a Philosophis in cultu Dei, Adoratio, propter reuerentiam; Tus, ob distributionem suauissimæ cognitionis diuinæ, & cælestium, ac terrestrium virtutum; Hymnus secundum Pythagoram, propter concentum cæli. Atqui ne verbis solum egisse videamur, Aristotelem hoc ipsum testantem audiamus: Magnitudinis ea quidem quæ ad vnum est diuisibilis, linea est; quæ vero ad duo, superficies; at ea quæ ad Tria, est corpus. Atque præter has nulla alia prorsus est magnitudo, propterea quod ipsa Tria omnia sunt, & ipsum Ter in omnem partem se fundit. Nam, vt Pythagoræi inquiunt, ipsum omne ac omnia, Tribus sunt definita. Finis enim & Medium, & Principium uniuersi numerum habent,

Lib. 1. de de cœlo & mũdo.

hæc

hæc autẽ Triadis. Quapropter a natura quasi legibus acceptis, & in Deorum sacrificiis celebrandis hoc vti numero solemus. Hactenus Aristoteles. Est igitur Ternarius numerus sacer, numerus potentissimus, plurimũ cõferens ad ceremonias Deorum et religionis, vt cuius auspitio et preces et libamina Tertio repetũtur, ut Tertio quoq; die, aut Trimestri spacio peragerẽtur. Quod his uerbis astruit Nicomachus: Ter libant & Ter sacrificant, qui vota sua petunt a Deo consumari. Virg. Georg. lib. 4. de sacrificijs Oceani.

Ter liquido ardentem perfudit nectare vestam:
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.

Apud Theocritum Idyll. 2.

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ. Ideſt,
Ter libo, Ter & hæc pronuncio mystica verba.

Valerius Flaccus in Argonauticis.

Ipse Ter æquoreo libans Charchesia patre. Lib. 1.

Apollinis Oracula:

Terna quidem diuis cęlestibus hostia, & ipsa
Candida mactanda est, Terna & terrestribus, atq;
Atra eadem.

Item Aratus:

Forma sacrificij perfecti prisca canistro
Tres panes offerre iubet.

In prisca Græcorum Theologia Tertius crater sospitatori Ioui, secundus Semideis ac Dęmonibus tribuebatur. Trita siquidem est illa Pythagoræ sententia, Superis impari numero, Inferis pari sacrificandum. Ad quod respicientes Aegyptij & Thales Milesius, annum constare voluerunt trecentis sexaginta quinque diebus, id nimirum hortante obseruatione imparis numeri, quem Pythagoras monuit pręponi in omnibus oportere. Vnde, & propter dies impares, superis Ianuarius dicatur, & propter pares Februarius, quasi abominosus, Diis inferis deputatur.

Ioseph. Moleti⁹ de correctiõe Kalendarij lib. 1. c. 4
Laertius de uitis Philosophor. li. 1

Homerus

Homerus quem profundior nulla præterijt doctrina, disparem numerum in sorte boni ponens, superis imparia semper contribuit, vt facit Nestor Neptuno, ac vt iubet Vlixi Tiresias; Achilles vero mactat ad sepulchrum Patrocli defuncti omnia paria, quattuor quidē equos, duodecim iuuenes Troianos. cuius disciplinæ non ignarus Virgil. lib. 6. Aeneid. parem numerum Dijs inferis gratum designat, dicens:

Quattuor hic primum nigrantes terga iuuencos
Constituit.

Rursus in inferijs quas Aeneás Anchisæ patri celebrat in Cicilia, binarium adhibet. hæc canens lib. 5. Aen.

Hic duo rite mero libans Charchesia Baccho
Fundit humi; duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

Et Eglo. 8. ostendens superis imparem conuenire, ita canit:

Numero Deus impare gaudet.

Neque tamen quouis impari Deum gaudere significauit, sed plurimum Ternario, item quinario, ac septenario. Quod nec spreuit Christiana religio. Namque & Carolus Borromæus Cardinalis sapientiæ, & religionis vir, qui nihil nisi summo consilio & ratione agebat, quique mysteriorum omnium vim maxime tenebat, imparem numerum tanti fecit, vt cum de constructione Ecclesiarum leges sanciret, constituerit, vt Ecclesiæ siue vnam tantum, siue tres, siue quinque, vt dicunt, naues crucis instar haberent, a fronte tot ostia quot naues, in nauibus impares essent fenestræ. in maioribus Ecclesijs, lampadario in lõgitudinē ducto, septem uel tredecim lãpades affigerentur: in minoribus tres vel quinque. Cathedrales Ecclesiæ septem, vel ad minimum quinque campanas haberent: collegiatæ, Tres, Ad altare maius Tribus gradibus ascēderetur; vbi autem pro Ecclesiæ altarisque amplitudine gradus plures esse possent, ibi quinque extrui liceret. Gradus ad capellæ maioris ascensum vnus, aut Tres, aut quinque ponerentur. Ad ecclesiæ pauimentum Tribus, aut quinque gradibus ascenderetur. quod si Ecclesia

in loco editiori eſſet conſtructa, ſcalaq; quæ pluribus gradibus conſtaret, opus eſſet, tot gradus, quot ad aſcendendi vſum commoditatemque neceſſarij eſſent, collocarentur, hac tamen ratione inita, vt numero eſſent impares, & ſeptimo, vel quinto, tertiove quoque gradu planum fieret. nam fieri quidem aiunt Architecti, vt recto in templum pede ingrediamur, quam quidem rem ad religionem facere arbitrantur. Illud etiam ſummopere in ſacro Miſſæ obſeruare ſolent Sacerdotes, vt vel vnam, vel tres, vel quinque, vel ad ſummum ſeptem collectas dicant. Vnam quidem vt ſicut ad vnam Miſſam vnam tantum lectionem, vnum euangelium, vnum officium canitur, nihilominus & vnam dicant collectam; Tres quia Dominus ante paſſionem ſuam Ter oraſſe legitur; Quinque propter quinquepartitam eius paſſionem, in cuius commemorationem hæc eadem celebramus officia; Septem deniq; quia Apoſtoli ad conſecrationem eorundem myſteriorum leguntur frequentaſſe orationem Dominicam, quæ ſolis ſeptem petitionibus omnia corpori atq; animæ neceſſaria comprehendit. Ipſe quoq; Pontifex Deo ſacrificans, teſtes ſecum habet ſolennibus diebus aut vnum, aut Tres, aut quinque, aut ſeptem Diaconos, vt legitur de Conſ. diſt. 1. c. Epiſcopus Deo. Vnus. n. Diaconus altari miniſtrat, quia diſcipulus vnus adoleſcens quidam, ideſt Iohannes amictus ſindone ſuper nudo, cæteris fugientibus, ſequebatur Chriſtum; Tres miniſtrant, quia Chriſtus aſcendens in montem ad transfigurandum, Tres ſecum duxit, Petrum ſcilicet, Iacobum, & Iohannem, Quinq; autem propter quinq; quos ſecum Dominus duxit quando reſuſcitauit puellam, tres inquam præfatos, patremque, ac matrem puellæ; Septem demum obſequuntur, ob illos ſeptem, quibus Dominus poſt reſurrectionem piſcantibus ſe manifeſtauit. Neque in diſpenſatione ſignorum ſuper oblationem imparis numeri virtus neglecta, cum vnam, vel Tres, vel etiam quinque cruces faciant, et hoc vtiq. non ſine certi cauſſa myſterij. In quinque. n. crucibus quinquepartitam Domini paſſionem ſignificant.

Leo Baptiſta Albert⁹, de Lineamẽtis. c. 13.

Microlog⁹, de Eccleſ. obſeruã. c. 4

Microlog⁹, de Eccleſ. obſer. c. 14.

ficant. in vna, & tribus, vnum & trinum Deum intimant; in in cuius numeri mysterio etiam Tres partes facit Sacerdos sacratissimi corporis in Missa. Ter dicit Agnus Dei, & cum spiritibus Seraphicis clamat Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Ter dicit culpam suam qui a peccato vult absolui. Ter cum Centurione dicere oportet: Domine non sum dignus, si digne Sanctam Eucharistiam sumere volumus. Et merito quidem impar numerus in Ecclesiasticis officijs frequentatur. numquam enim in duo æqualia, vnitate impediente, secatur, nec Deus vult diuisionem Ecclesiæ. Addunt Pythagorici numeros impares ad omnia esse vehementiores, in primis uero Ternariũ. Plinius Natur. hist. lib. 28. cap. 4. Terna despuere deprecatione in omni medicina mos fuit, atque ex hoc effectus adiuuati. Huic rei argumento est Claudia Vestalis, quæ in impudicitiæ suspitionem deueniens, quo integritatem suam manifesto aliquo exemplo comprobaret, nauim, in qua mater Deum vehebatur, cingulo suo duxisse narratur, prius tamen Ternario numero vsa est inter precandum.

Matt. 8.

Herodianus. lib. 1.

Ouid. Fast. li. 4

> Ter caput irrorat; Ter tollit ad æthera palmas.

Ferunt priscorum Theologorum fabulæ Cererem Deam toto errasse Mundo, cum Proserpinam filiam quæreret, cumque in Atticam diuertisset, a Celeo Attico sene receptam hospitio. cuius beneficium, vt aliquo munere pensaret Ceres, filium eius infantem e cunis raptum, immortalem reddere cum destinasset, sacrificia peregit:

Ibidem.

> Terque manu permulsit eum: Tria carmina dixit,
> Carmina mortali non referenda sono.

Atqui & Hippolytum fato functum, dum Aesculapius a Diana exoratus, ab inferis reuocatum pristinæ incolumnitati restituere intendit,

Ouid. Fast. li. 6

> Pectora Ter tetigit, Ter verba salubria dixit:
> Depositum terra sustulit ille caput.

Carna quoque siue Crana Dea liberans Procam filium regis Albani a strigibus obsessum.

Protinus

Protinus arbutea postes Ter in ordine tangit,
Fronde Ter arbutea limina fronde notat. — Ouid. Fast. 6.

Cęsarem dictatorem refert Plinius, post vnum ancipitem vehiculi casum, semper vt primum consedisset, quod, inquit ille, plerosque etiam nunc facere scimus, carmine Ter repetito, securitatem itinerum aucupari solitum. — Lib. 28. cap. 2.

Theocritus in Bucolisco.

χείλεα τοι νοσέοντι. χέρες δέ τι ἐντὶ μέλαιναι.
Καὶ κακὸν ἐξόσδεις. ἀπ' ἐμεῦ μὴ μεμολυμ' ἧς.
Τοιάδε μυθίζοισαι, τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον
Καί μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς οὖδιν. Idest, — Idil. 24.

Morbo tibi labra laborant
Ipse color manuum niger est tibi, spiritus ater
Sordet, & os fœdum putens exhalat odorem.
I procul attactu ne me fœdaueris vllo.
Hæc effata, sinum Ter conspuit ore sequaci
Ipsa suum, meque attente lustrauit ab ipso
Vertice ad vsque pedes.

Item Idil. 6. hæc canit Damœtas.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον
Ταῦτα γὰρ ἁ γραία με Κοτυτταρὶς ἐξεδίδαξεν. Idest,

Tunc ego ne caperer propriæ sub imagine formæ
Ter secreta sinus tetigi sputamine nostri,
Sicut anus docuit nos ista Cotyttaris olim.

Quorum carminum hæc ferme sententia est: Ne quid me lędat inuidia, ne ue noceat fascinatio, Ter in meum inspui sinum. Addit Scholiastes eum morem etiam sua ætate perdurasse mulieribus, vt inuidiam abominantes in sinum exspuant. Huc pertinet quod ait Lucianus in Necyomantia: Τρὶς ἄν μου πρὸς τὸ πρόσωπον ἀποπτύσας, Idest, *Posteaquam Ter mihi despuisset in faciem. E simili expiatione profectum, quod indicat Athenęus in Dipnosophistis, Priscos ad depellenda mala solitos Ter aspergi. refert versiculum illum Cyrenæi,*

Τρὶς δὲ ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον. Idest,

Porro Ter abstersis Diui donant meliora.

Sic Ter lustrari se lauando, aut circumferendo solebant, antequam sacra attingerent, quē sane morē expressit Virgil. li. 6. Aen. ubi ait.

Idem Ter socios pura circumluit vnda.
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ
Lustrauitque viros.

Ouidius lib. 7. Metamorphos.

Ter se conuertit, Ter sumptis flumine crinem
Irrorauit aquis, Ternis & hiatibus ora
Soluit, & in dura summisso poplite terra.

Quin etiam cum fierent lustrationes aruorum, Ter hostiæ circa fruges agebantur, vt docet his versibus Virgil. in 1. Georg.

Terque nouas circum felix eat hostia fruges.

Nec illud prætermittendum, quod refert Columella, bestiolas illas maleficas, quæ Erucæ nuncupantur, enecari, si mulier menstruosa solutis crinibus, & nudo pede vnamquamque aream Ter circumeat. huiusmodi sunt versus ex lib. 10. desumti.

At si nulla valet medicina repellere pestem
Dardaniæ veniant artes: nudataq; plantas
Fęmina, quæ iustis, tum demum operata iuuentæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore,
Sed resoluta sinus, resoluto męsta capillo,
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti,
Quæ cum lustrauit gradiens (mirabile visu)
Non aliter, quam decussa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, vel tectæ cortice glandis,
Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Fuit præterea Ternarius ligationibus aptissimus, hinc illud eiusdem Poetæ in Pharmaceutria:

Terna tibi hæc primum Triplici diuersa colore.
Licia circundo, Terque hæc altaria circum
Effigiem duco.

Et paullo post.

Necte Tribus nodis Ternos Amarylli colores.

De Medea quoque legimus:

Verbaque Ter dixit placidos facientia somnos,
Quæ mare turbatum, quæ flumina concita sistunt.

Fast. li. 2. *Etiam in sacris feralibus Deæ Mutæ hæc legimus apud Ouid.*

Ecce anus in medijs residens annosa puellis,
Sacra facit tacitè, nec tamen ipsa tacet,
Et digitis Tria tura Tribus sub limine ponit.

Ternarius etiam funeribus sacer fuisse perhibetur. nam fato functum proprio nomine Ter clarum inclamabant, fort assis quod ad nihil æque, atq; ad proprium nomen citius expergiscamur, ad quod si vitalis aliquis adhuc calor inclusus lateret, vitæ signum aliquod ederetur. quod si ne tum quidem se proderet spiritus vitalis, de eo conclamatum dicebant. Vnde dicebantur conclamati. De qua Proclus inquit: Mortuorum vocationes Ter consueuimus facere. Apud Homerum Vlysses asserit se prius naues non recepisse, quam socios suos, qui in prælio contra Ciconas occubuerunt, Ter vocasset.

Vlys. ı

Οὐδ᾽ ἄρα μοὶ προτέρωσε νῆες ἴσαν ἀμφιέλισσαι
Πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι
Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ κικόνων ὑποδῃϊωθέντες. Idest,

Quanquam, nec littore naues.
Inde prius poterant remis contendere cursus,
Quam nos amissos socios Ter voce ciemus,
Qui Ciconum campis deserta rapina cruentis
Oppetiere armis.

Eundem numerum seruauit in morte Patrocli. Iliad. ϲ.

Τρὶς μὲν ὑπὲρ τάφρου μεγάλ᾽ ἴαχε δῖος Ἀχιλλεύς,
Τρὶς δ᾽ ἐκυκήθησαν Τρῶες κλειτοί τ᾽ ἐπίκουροι. Idest,

Voce Ter insonuit Vasta metuendus Achilles
Ter percussa retro cesserunt agmina Troum,
Cum socijs.

De Pallantis funere verba faciens Virgil. hæc canit Aen. lib. 11.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos; Ter mœstum funeris ignem
Lustrauere in equis, vlulatusque ora dedere.

Item libro sexto.

Tunc egomet tumulum Rœtheo in littore inanem
Constitui, & magna Manes Ter voce vocaui.

Sed quid Ethnicos conamur afferre, ad huius numeri mysteria

demonstranda? cum etiam in sacris litteris videamus complura arcana Ternario significata. Apud Iudæos quidem funeribus, & vita defunctis consecratus erat hic numerus. Dauid enim Rex ab Absalone filio suo regno pulsus, tandem receptis viribus, & iusto exercitu conflato, ducum suorum auxilijs regnum recuperauit; tamen ducibus suis in prælium exeuntibus mandauerat ne filium Absalonem occiderent. ceterum contra quam Dauid præceperat, Absalon in bello periit, tribus hastis a duce Ioab confixus. quam filij necem pater ægre ferens, illum his verbis cœpit deplorare.

2. Reg. 18. & 19.

Fili mi Absalon, Absalon fili mi,
Absalon fili mi, Fili mi Absalon,
Fili mi Absalon, Absalon fili mi.

Exho. 19

Tertio mēse populus Israeliticus cum exijsset de Aegypto, ad montem Synai perueniens, obtulit sacrificium Deo, & in die Tertia legem accepit. quare Tertia dies est tempus gratię. quod insinuans Propheta Moyses Gen. cap. 1. dixit Deum fecisse die Tertia aquas in congregationem vnam. quoniam post primum diem Mosaicum, & secundum cultum propheticum, Tertio die nos Gentes congregatę sumus in vnam fidei congregationem, per sagenam Euangelij; quamobrem dicebat etiam Christus qui Tertio die surrexit a mortuis: Hodie & cras facio signa. Ecce duo dies. signa autem dicit, quę facta sunt in Aegypto, quę in deserto, & quæ per Moysen. sunt hæc (vt verbo dicam) primi diei: secundi autem, quæ per Heliam, & Heliseum, & qui deinceps secuti sunt, Prophetas: Tertio autem die eius aduentus dies lucidus perficitur, qui ostendit per Euangelium perfectum & omnib. numeris, absolutum eius studiū. Est.n. Christus plenitudo ac complementum legis & Prophetarum. Vnde etiam quæ in Cana celebratæ fuerunt nuptiæ, factæ sunt die Tertio. Cana autem, secundum hebraicam translationis virtutem, idem est quod creatura; in qua creatura eo descendente factæ sunt incorruptæ nuptiæ vnionis Verbi, & nostræ naturæ. In his nuptijs Tertio die primum miraculum Christus fecit in aqua; quoniam

Luc. 13.

Iohan. 2.

Gen. 1.

niam die Tertio, aquam Gentium congregauit in unam congregationem.

Iosue, qui typum Domini præse ferebat, veniens ad Iordanem, iussit parare populum viaticum ad diem Tertium. quod mysterium exponit Iacobus Geuschelius Troporum sacræ scripturę. Lib. 7. Heliæ prophetæ Triplici insufflatione Sarephtanę viduæ, filio vita inspirata est. 3. Regum 17. Ter quoque Helias infudit aquam super holocausta. 3. Regum 18. Tertio cum Balaam verberasset asinam, apparuit ei Angelus. Num. 22. Ter Balaam benedixit populo Israel. Num. 23. 24. Ter Dauid cadens in terram, adorauit Ionatham. 1. Regum 20. Ter a Deo vocatus est Samuel. 1. Regum 3. Terque a Deo monitus Honoratus Vercellensis pręsul, accessit ad D. Ambrosium in extremis laborantem, eique sanctum Domini corpus prębuit. Ter Petro apparuit Angelus Domini, dum mentis excessus in eum cecidisset. Tres viros Cornelius misit ad Petrum. Ter in anno comparere omne masculinum coram Deo Mosaica lege sancitum, in Paschate, scilicet, Pentecoste, & die Tabernaculorum. Pascha, id est, transitus Israel ex Aegypto, aut rerum ex non esse ad esse, competit Patri, qui nos eripuit de manibus Diaboli. Pentecoste, quando lex tanta celebritate fuit data, competit Filio. collatio enim competit Filio & Verbo, in quo lex erat, antequam daretur, secundum Elchanam. Remissionum ac Tabernaculorum dies, in memoriam vmbraculi a nube in deserto facti, respondet Spiritui sancto, in cuius virtute & numero datur remissio. Trinum pręterea cultum Deo exhibemus, cordis, linguę, & operis. Sic Tres sunt gradus pœnitentiæ, cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Ternario numerantur & partes satisfactionis, ieiunium, eleemosina, oratio. Deum quoque diligere iubemur ex toto corde, vt omnes cogitationes nostras; ex tota anima nostra, vt omnem vitam nostram; ex tota mente nostra, vt totum intellectum nostrum in illum conferamus, a quo habemus quę conferimus.

Iof. 1. 3.

2. q. 7. c. nos. §. itē Balaam.

Act. 10.

Exho. 23 34. Deut. 16.

D. Aug. de doct. Chris. & qst. euá g. lib. 2. in Ciu. Dei. li. 10. c. 4 Mat-

Esa.40. Hier. in Psal.31.

Tres digiti sunt, quibus Deus appendit molem terræ. Tribus modis deleri peccata possunt. Remittuntur enim per baptismum, teguntur per charitatem, non imputantur per martyrium. Iam vero cum multa ac magna sint, atque adeo tot & tanta, vt nemo illa sermone complecti possit, quæ nos a Deo partim habemus, partim habituri sumus; in hoc tamen potissimum elucet ipsius erga genus humanum beneficentia, quod ad eum animos erigimus, eique, velut necessitudine quadam, cognatione vnimur. hoc autem præcipue præstat Ternarius Theologicarum virtutum numerus. his enim humana mens a terrenis ad cælestia tollitur, Deoque iungitur; & sine quarum connexione & agglutinatione, non est homini salus; & quæ vbi adsunt, salutis auctore Deo munus afferunt. De his dicebat Apostolus ad Corint. scribens: Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas Tria hæc, maior autem horum est Charitas. Vt merito hic sit virtutum funiculus Triplex, qui secundum Ecclesiasten difficile rumpitur. Tribus modis inuitat Deus ad se peccatorem, virtutibus signorum, occulta compunctione, ore doctoris. Mirabile vero quod legimus apud Iob, Deum, quem humanæ imbecillitatis plurimum miseret, homines, vt eos ad sese conuertat, semel, secundo, ac rursus, hoc est, verbis, somniis, & morbis arguendo admonitos velle. qui si Tertio resipiscant, bene illis fore; sin minus, Dei spiritum ab eis discessurum, atque ipsos prorsus deserturum minitari. Sed id mirabilius multo, quod in tentationibus Ter a nobis superatus Diabolus, ita eneruis & confusus discedat, vt vltra nos adoriri uel nequeat, vel erubescat. Quare merito Satanas Pardo comparatus legitur, qui in capienda præda, nisi Tertio saltu eam fuerit assecutus, indignatus vltra aggredi cessat. tanta est huius numeri vis & potentia. Quod dico, discere potes plurimis locis sacrarũ scripturarum. Tertio & nouissimo puteo effosso, cessauit iurgium pastorum. vt legitur Gen. cap. 26. consimili modo Helias propheta Triplici lignorum prouolutione, tum cum igni diuinitus immisso sacrificium absumsit, ignominiæ prophetas, qui ab eo prouocati, idem facere

1. Cor. 13

Cap. 4.

Cap. 33. Vide Iohãnẽ Bodinũ De monom. Lib. 1. capi. 4. & Catenã aureã in Iob, quã e Greco ĩ Latinũ transtulit Paul[9] Comitolus Perusinus societatis Iesu.

3. Reg. 18.

facere nequiuerant, obtruncauit. Quin & libro Iudicum legitur, quod cum omnis Israel ad vlciscendum scelus Beniamin, in Gabaa, iubente Domino, ascendisset, semel atque iterum cæsus, Tertio victor exstitit. Quo docemur, per Tertiam pugnã, Deum perpetuam requiem ac triumphum præstare solitum. Sic Apostolus Paulus post Triplicem victoriam, per Triplicem orationem, impetratam, quieuit securus dicens: Propter quod Ter Dominum rogaui, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. Sic Iamnes & Mambres magi Pharaonis, quia per ipsam mentis corruptionem iniquissimi fuerũt, virgas in serpentes, aquam in sanguinem conuerterunt, & aquam fecerunt ranis ebullire, sed cyniphes educere minime potuerunt; vnde dixerunt sibi aduersum esse Spiritum sanctum. & ita defecerũt in Tertia plaga, quia primum miraculum non fuit plaga; ideoque in Tertio miraculo defecisse dicuntur, Glos. 1. q. 1. teneamus. ver. magi: & Augustinus de celebratione paschæ. Huius ratione mysterij Satanas in bello Christo illato, Ter repulsus & superatus recessit. Quare post Tertiam pugnam & uictoriam IESV Christus quietus & triumphans dicebat apud Iohãnem: Venit princeps Mũdi huius, & in me non habet quidquam. Sic denique debellatis hostibus inferni, die Tertia Dominus resurrexit in gloria & pace. Hinc in Ecclesia, ipsa die sanctissimæ Resurrectionis, legitur Euangelium secundum Marcum, cui ex quattuor animalibus facies Leonis a patre Hieronymo fuit attributa. Ait enim Adamantius Phisiologos hæc de catulo Leonis scribere. eum quidem simul ac natus est, Tribus diebus & Tribus noctibus dormire, tum deinde patris rugitu tamquam tremefacto, concussoque cubilis loco, catulum dormientem expergefieri. eoque trahit dictum illud a Iahacob in sacra lectione: Catulus Leonis Iuda, ad prædam Fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo, & quasi leæna quis suscitabit eum? Atque etiam illud ex secundo Balaam responso: Recumbens ut Leo requiescet, & quasi Leęna, quam suscitare quis audebit? Quod dubio procul ad Christi sepulturam & resurrectionem pertinet. Ha-

Cap. 20.
2. Corin. 12.
Exho. 7.
Exho. 8.
Matth. 4.
Cap. 14.
Ezech. 1.
Apoc. 4.
Gen. 49.
Num. 23

Ctenus quæ sunt exposita fuerint tamquam leuioris pugnæ præludia quædam. nunc conabimur, ordine quodam proposito, tractationem de Triade institutam persequentes, Diuinam probare Trinitatem, a qua fluxerit aliquando triplex creatura sui Creatoris imaginem præ se ferens. Quemadmodum enim opus omne imaginem quandã & similitudinem refert sui opificis, adeo vt ex opere qualis sit opifex, & ex opifice quale sit opus futurum in promtu sit intelligere: ita in rebus omnibus animaduertere est Diuinæ Trinitatis vestigium in Vnitate substantiæ. Deus summæ vigorositatis, nihil imperfecti, parui, & minuti in essentia habens, ocium necesse est abhorreat, aliter summe ociosus esset; & sic summa felicitas esset in pigritia & ocio, quod est impossibile. Et quoniam hoc sic est, quod apud Diuinam essentiam impossibile est ocium reperiri, consequens est illum summæ actionis exsistere. In omni autem actione perfecta Tria correlatiua necessario reperiũtur, quoniam nihil agit seipsum, sed distinctum a se, & Tertium surgit ex agente & eo in quod actio fit, id autem est agere. Erunt ergo hæc correlatiua in essentia Diuina Tres Personæ. Quare Deũm Trinum vocamus. Est enim Deus deificans, generans, iustificans, amans cum ceteris perfectionibus, quem vocamus Patrem. Est Deus deificabilis, generabilis, iustificabilis, amabilis, & sic de reliquis, & hunc Filium a Patre genitum nominamus. Est postea spirando deificare deificantis & deificabilis, id est, Patris & Filij, & sic iustificare, conciliare, & amare amantis & amabilis; & hunc Spiritum sanctum ab vtroq; procedentem nominamus. Cum autem summa incommensurabilis bonitas vellet non solum intra se ab æterno producere, multiplicauit etiam creando in tempore extra se suam bonitatem; sed non potuit Deus optimus ad imaginem alicuius extrinseci creasse omnia, nec ad alium finem, nisi ad summum, scilicet, seipsum. Quamuis autem difficile sit admodum in his infimis creaturis Diuinarum rerum coniecturam facere per similitudines; immo inconueniens dici possit ex humanis rebus imaginem colligere Diuinitatis, & res immo-

Nicol. Cus. excitat. lib. I. in princ.

immobiles ad naturas fluxas exigere; Deus tamen sic ab initio tēperauit notitiam sui, vt sicut numquam totus voluit comprehendi, sic numquam totus prorsus potuerit ignorari. Et sicut totus noluit manifestari, quo fides haberet meritum: ita nec totus voluit occultari, vt infidelitas de ignorantia non excusaretur. Vt enim scribit Hugo a Sancto Victore: Deus conditor Mundi contemplato Mundo conspicitur, & qui videri non potest, fecit quod videri posset. & visus est per id quod fecit. Inuisibilia enim ipsius a creatura Mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius Virtus & Diuinitas, ait Paulus ad Romanos primo. Quem locum expandens Scholiastes asserit potuisse Philosophos in lumine naturali peruenire ad tributa trium Diuinarum personarum. Eadem est Origenis explanatio homil. 3 in Cant. cant. hoc modo disserentis. Paulus Apostolus nos docet, quod inuisibilia Dei, ex visibilibus intelligantur; & ea quæ non videntur, ex eorum quæ videntur ratione, & similitudine contemplentur; ostendens per hoc quod visibilis hic Mundus, de inuisibili doceat, & exemplaria quædam cœlestium contineat positio ista terrena; vt ab his quę deorsum, ad ea quæ sursum sunt possimus ascendere, atque ex his quæ videmus in terris, sentire & intelligere, ea quæ habentur in cœlis. Et paucis interiectis, subdit: Quia ergo impossibile est homini in carne viuenti agnoscere aliquid de occultis, & inuisibilibus, nisi imaginem aliquam, & similitudinem conceperit de visibilibus; ob hoc arbitror, quod ille qui omnia in sapientia fecit, ita creauit vnamquamque visibilium speciem in terris, ut in his doctrinam & agnitionem rerum inuisibilium & cęlestium poneret; quo per hæc ascenderet mens humana ad spiritualem intelligentiam. Hęc ille. Nos igitur operæ precium facturos existimamus, si in mundo Angelico, Celesti, Sensibili, Humano, vniuersaque creatura Diuinæ Trinitatis imaginem quandam reperiri probabimus; vt his præsidiis, & non parui ponderis coniecturis, natura nos ad tantum mysterium erudiat,

Eruditionis Didascal. lib. 7. c. 1.

diat, ad arcanumque tantæ scientiæ, quatenus fas est, attollat. Postquam igitur Deo non fuit satis sola sui ipsius contemplatione frui, sed operæ precium videbatur, vt quo plures beneficium sentirent, latius se ipsum diffunderet, deriuaretque (quod summæ benignitatis erat) primum quidem cogitatione concepit Angelicas potestates ac cœlestes, quæ quidem cogitatio transiuit in opus, quod verbo complebatur, & spiritu perficiebatur. Eorum enim quæ fiunt caussam Patrem cogites opus est; effectricem, Filium; perfectricem, Spiritum, ita vt Patris quidem voluntate administri spiritus exsistant; actione vero Filij in rerum naturam producantur; Spiritus autem præsentia perfectionem accipiant, & expletionem. Sic sunt constituti velut secundi splendores, primi illius lucis ministri, siue eos dicas Angelos, siue spiritus intellectuales, siue ignem ab omni materiæ pondere immunem & incorporeũ, iuxta illud Psalmographi: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis; siue aliam aliquam naturam impatibilem, & mobilitatis expertem, ac tenuem, & simplicem ab his quas commemorauimus proximam, sed longo proximam interuallo. Ad hunc ergo modum Angelicus chorus, siue celestis Hierarchia, siue Intelligibilis mundus institutionem accepit, & creationem, quantum nobis de his rebus disserentibus paruo rationis lumine licet examinare. Postea vero quamprimum hoc opificium ipsi artifici satis arrisit, alium quendam mundum expressit cogitatione, qui & materia constaret, ac per hoc oculis corporeis pateret. atque hoc est vniuersum illud, quod ex cęlo, terraque, & quæ in medio sunt, omnibus cernitur concretum ac concinnatum; laudabile quidem felici singulorum, ex quibus compingitur, statu, dexteritateque; laudabilius vero omnium rerum admirabili concentu; quo fit vt cum singula singulis pugnent, vniuersa tamen ad vnum mundum consummandum, mirabiliter conspirent. Sic materialis, corporeusve creatus est Mundus Ceterum nullum erat adhuc vtriusque temperamentum, nec aliqua diuersissimorum mixtura, quæ in-

Psal. 103.
Michael Psell° de Demon. cap. I.

dicio

dicio eſſe potuiſſet, & ſapientiæ maioris, & ingentis, quod Deus in creaturas inſumeret impendij. Quare cum artifex ipſum Dei Verbum hæc vellet oſtentare, animal quoddam vnum ex vtraque natura viſibili, ſcilicet, & inuiſibili, nempe Hominem fabricat, corpore quidem a materia, quæ iam ante ſuppetebat, accepto; vita vero per ipſum indita, quam rationalem animam nuncupamus. Hunc cõpoſitum, vt alium quendam Mundum in re tenui magnum, in terris conſtituit, vt mixtum quendam adoratorem, viſibilis quidem creaturæ inſpectorem, intelligibilis autem cultorem. Deus igitur cum Verbo ſuo & Spiritu ſancto, quæ Tria vnum ſunt Deus vnus omnipotens, Tres condidit mundos angelicum, materialem, & humanum; intelligibilem, ſcilicet, corporeum, & miſtum.

Mundus	Angelicus,	Materialis,	Humanus,
	Intelligibilis,	Corporeus,	Mixtus.

Omne autem quod creatum eſt, aut eſt extremum, aut mediũ; ſi extremum, intellectus eſt, aut angelicus, aut humanus; ſi medium, eſt ſenſibilis creatura, poſterior Angelis, Homine prior creata. Angelicus intellectus eſt eſſe omnium, & vniuerſalis omnium actus. ſicut enim a materia abiunctus eſt; ita & ſine ſpecie intelligit, nouitque omnia, non per ipſa omnia, neque per ipſorum omniũ ſpecies; ſed ſimpliciter, & per ſe, intuitu & contemplatione ſui eſſe, antequam omnia fiant. Humanus intellectus eſt omnium poſſe, & vniuerſalis omnium potentia. Et quæcumque intra vtrumque intellectum relinquuntur, ſunt omnia ſecundum ſubſtantiam ex actu & potentia. Intellectus enim angelicus eſt, vt ſimplex omniũ actus; humanus, vt ſimplex & vniuerſalis omniũ potentia. Quidquid vero ſupereſt, ſenſibile eſt, & eorum medium, ex actu & potentia. Fit igitur vt omnia ſint tantum Tria, duo videlicet, extremi intellectus, quorum vterque eſt omnia; & reliqua omnia, quæ vtriuſq; in tellectus medio clauduntur. Et eorum quodlibet eſt quod libet;

libet; & eorum quodlibet est omne; & omnia, omnia. Ante omnia igitur creatum est omne; Angelus, scilicet. In omnibus creata sunt omnia; cetera omnia. Post omnia creatum est omne; Homo. quod subijcitur oculis per sequentem figuram:

MVNDVS

Intelligibilis,	*Sensibilis,*	*Intelligibilis & sensibilis,*
Angelus,	*Cetera omnia,*	*Homo,*
Extremum,	*Medium,*	*Extremum,*
Ante omnia	*In omnibus*	*Post omnia,*
Actus simplex,	*Actus & potentia,*	*Potentia simplex,*
Actus omnium,	*Vtriusque vnio,*	*Potentia omnium,*
Omne & totum,	*Omne & totum,*	*Omne & totum,*
Vnum.	*Vnum.*	*Vnum.*

Est enim horum Trium vnumquodque vnum, totum & omne; quia Actus simplex est totus actus; Potentia simplex, tota & vniuersalis potentia; Actus & Potentia simul, totum sunt ex actu & potentia.

Creauit quoque Deus Vniuersale affirmatiuum, Angelum; Vniuersale negatiuum, Hominem, in quo nullus est actus a principio; Particulare affirmatiuum & negatium, cetera media.

Trisariam et Deus omnia creauit, in	*Esse simplici,* *Posse fieri,* *Continue fieri,*	*per*	*Angelicum intellectũ,* *Humanum intellectũ,* *Esse & posse; quando*

humanus intellectus continue perficitur, fitque actu id quod fieri natus est.

Quidquid est, est vnum, & nihil est præter vnum. Angelicus intellectus vnus est: similiter & Humanus est vnus. Omnes item mediæ creaturę inter vtrumque intellectum, sunt vnum aliquid. Sicut enim in Trino rerum ordine, vtrumq; extremum est vnum; ita & medium quodammodo oportet esse vnum. Triplex igitur est vnum quod creatum est.

Vnum

Vnum ante esse,	*Angelus:*
Vnum in esse,	*Reliqua omnia:*
Vnum post esse,	*Homo*

Vniuersę deniq; creaturæ mediæ: (nā hę sunt oĩa)	*Sunt in*	*Intellectu angelico* / *Seipsis* / *Intellectu humano*	*vt*	*Ante esse* / *In esse* / *Post esse.*	
	Subsistũt in	*Angelo* / *Seipsis* / *Hoĩe*	*scd̃m esse*	*Intellectuale* / *Sẽsibile et naturale* / *Rõnale.*	

TRINITAS in mundo Intelligibili, ſeu Angelica Hierarchia.

Angelica hierarchia Triplici ordine distinguitur, & quilibet ordo Triplici choro, vt per omnes cęlestium Angelicorum spirituum choros sit Vnitas hierarchica, & signaculum Vnitatis in Trinitate, & Trinitatis in Vnitate. Est autem Angelorum Ordo multitudo cęlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratię similantur. Nec a mysterio vacat Angelicos Ordines sub Ternarij quadrato contineri. est enim Trias Triniter prima, summi illius boni primique principij numerus. summum autem bonum primumque principium ab vniuersis Theologis in eiusdem substantiæ Vnitate sub personarum Trinitate sine sui diuisione celebratur. Rationabile itaque est sacrum primi principij numerum, nempe Ternarium in se ductum antistantium illi antiquissimarum, atque immaterialium substantiarum peperisse frequentiam. Neque reprobandam iudicamus Raymundi Lullij sententiam, aßerentis in Angelicis Choris eße maioritatem, æqualitatem, & minoritatem. Quemadmodum nouem, inquit, sunt glorificationes speciales in Diuinis; ita sunt nouem Ordines Angelorum. gloriatur enim Deus Pater in se, in Filio, & Spiritu sancto. & Filius gloriatur in se, in Patre, & Spiritu sancto. & Spiritus sanctus gloriatur in se, in Patre, & in Filio; sic & omnes Angeli in Deo Trino & vno. Hoc autem modo dispositi sunt cœlestes Ordines, apud Gregorium Pap. homil. 34. super Luc. cap. 15. D. Bernardum lib. 5. de Conſ.

ad Eugenium, quos sequutus est Petrus Lomb. sent. lib. 2. dist. 9.

In superiori Hierarchia sunt	*Seraphim*	*Considerantes Dei*	*Veritatem,*	
	Cherubim		*Bonitatem,*	
	Throni		*Aequitatem.*	

In	*Seraphim*	*Deus*	*Noscit*	*Vt*	*Veritas*
	Cherubim		*Amat*		*Charitas*
	Thronis		*Sedit*		*Maiestas.*

Triplex est & Ordo mediæ Hierarchiæ	*Dominationes, regentes officia Angelorum.*
	Principatus, capitib. præsidentes populorũ.
	Potestates, potestatẽ dæmonum coercentes.

In	*Dominationibus*	*Deus*	*Dominatur*	*Vt*	*Maiestas*
	Principatibus		*Regit*		*Principatus*
	Potestatibus		*Tuetur*		*Salus.*

Triplici quoque ordine subsistit infima Hierarchia.

Habet.n.	*Virtutes*	*ad quos pertinet*	*Miraculorum operatio.*
	Archangelos		*Negociorum denuntiatio.*
	Angelos		*Solicitudo humanæ custodię.*

In	*Virtutibus*	*Deus*	*Operatur*	*Vt*	*Virtus*
	Archangelis		*Reuelat*		*Lux*
	Angelis		*Mittit*		*Inspirans*

Cæterum Dionysius Areopagita, cui in his præcipue summa adhibetur fides & auctoritas, a Gregorio dissentiens, eo qui sequitur modo disponit Ordines Angelicarũ mentiũ, vt sint in Hierarchia.

Superiori,	*Seraphim*	*Cherubim*	*Throni.*
Media,	*Dominationes*	*Virtutes*	*Potestates.*
Infima,	*Principatus*	*Archangeli*	*Angeli.*

Huiusmodi autem gradatio in Angelica, seu spirituali natura necessaria censetur, sicut & in corporali, cum in tali gradatione totius vniuersi pulchritudo consistat; & certificatio æqualitatis, & inæqualitatis fiat per gradus perfectionis Tribus modis, scilicet, aut per excessum, siue secundum maius; aut secundum minus; aut secundum æquale:

Su-

Suprema Hierarchia, vt idem sentit Dionysius, soli contemplationi vacat, Deumq; perenni sono, continuaque assiduitate nullo vnquam tempore defutura collaudat: Media celestibus officijs, atque muneribus est delegata: Postrema, & si natura supra omne corpus est, supraq. celum, curat tamen ea quæ sub celo sunt. cum enim diuidatur in Principatus, Archangelos, & Angelos, omnium horum munus circa ea tantum versatur, quæ sub Luna sunt. Principatuum cura circa Respublicas, Principes, ac Reges, vt ex Daniele cognoscimus; Archangelorum circa mysteria, & sacras cæremonias; Angeli priuatis student rebus, & singuli singulis hominibus adhibentur, vt asserunt Damascenus, Origenes, Gregorius Papa, Hieronymus, & Augustinus.

Lib. de Celesti Hierar.

Quemadmodum autem pictor intendens pingere imaginem Regis in pariete, purgat parietem, illuminat seu dealbat, deinde perficit intentum; eodem fere modo Tres apud Dionysium sunt actiones Angelicæ:

Nic. Cusa. excit. li. 5. Mitto angelum.

Purgatio Illuminatio Perfectio.

ita inter se distributæ, vt purget vltima Hierarchia; illuminet media; suprema perficiat.

Triplex Angelorum cognitio:

Habet.n. Angelus cognitionem { *Matutinam.i. cognitionem rerum in verbo,* / *Meridianam.i. apertam Dei visionem,* / *Vespertinam.i. cognitionem rerum in se.* }

Triplex Angelorum status:

Innocentiæ, Gratiæ, Glorię.

Ternario rursum distinctus est Angelorũ motus apud Dionys.

Circularis, Rectus, Obliquus.

Triplex item in Angelo mobilitas est, nempe:

Naturæ, Intelligentiæ, Voluntatis.

Naturæ mobilitatẽ habet; quia omne creatũ est vertibile in nihilũ, nisi a Deo contineatur. Intelligentiæ quoq; mobilitate ditatus est; quia licet in Angelo non sit intelligentiæ vicissitudo, quo ad scita in

Verbo

Verbo, cum deiformem habeat intellectum, potest tamen in eo quo ad cognitionem rerum in propria natura esse vicissitudo intelligentiæ, & quo ad discenda. Et hoc est quod dicit Augustinus: Omne creatum habens intellectum, intelligit vnum, & post, aliud. Habet denique Angelus voluntatis mobilitatem, quia non simul vult hoc, & illud.

TRINITAS in Ecclesiastica Hierarchia:

Virtus regitiua, quæ est in Ecclesia, ex qua pastoralis omnis cura oritur, tres Ordines habet varios, & in quolibet tres choros.

Primus	*Ordo cõstituitur ex*	*Papali, Patriarchali, Archiepisc.*
Secũdus		*Episcopali, Archidiac. Decanali.*
Tertius		*Sacerdotali, Diaconali, Subdiac.*

Etiam in Ordinibus Religionis, & illius partis Ecclesiæ quæ spiritualior censetur, sunt nouẽ Chori ab Episcopali, vsq; ad Monachalẽ.

Supremꝰ	*Ordo cõsti tuitur ex*	*Episcopali, Sacerdotali, Diacõali. totꝰ sacer.*
Medius		*Subdiaconatu, Acolito, Exorcista. mixtus.*
Infimus		*Lectorali, Ostiariali, Tonsorali.*

Monachatus autem ad Tonsoralem connectitur chorum, quoniam est, vt medium inter laicos, & Clerum.

Aug. in ciu. Dei. li. 1. c. 28 Ambr. li. d Viduis Matt. 13.

Tres sunt status bene viuentium in Ecclesia, nempe Virginalis castitas, Vidualis continentia, Thori coniugalis fides. de quibus Matthæus in parabula seminantis, in qua ponit Triplicem differentiam bonæ terræ, reddentis fructum,

Centesimum, Sexagesimum, Trigesimum.

Ternarius numerus in his qui seruant diuina præcepta.

Gregor. Nazi. in S. Bapt.

Eorum etiam qui salutem assequuntur Tripartitus est ordo; Primus est Filiorum, cum quis Dei amore flagrans, præclare vitam instituit: quandoquidem filius, nec verborum metu, nec præmij, ac mercedis spe, sed amore patrem colit, atque obseruat: Medius Mercenariorum, cum quis futurorum bonorum pollicitatione illectus, probis, atque honestis actionibus se ipsum addicit: Postremus Seruorũ, cũ quis suppliciorũ metu, virtutis studiũ amplectitur

Tres

Tres sunt viri apud Ezechielem, quos Deus de magna tribulatione liberaturus est, Noe, Daniel, Iob. Quibus tres in ecclesiastica hierarchia fidelium distinctiones significantur. iam enim illi Tres viri dormierant, & apud Deum sunt spiritus eorũ; quare nullam timent, a qua liberari debeant, tribulationem. In Noe significantur Præpositi boni, qui in tentationum fluctibus regunt, & gubernant Ecclesiam, quomodo Noe in Diluuio gubernauit arcam. In Daniele (cuius mira abstinẽtia describitur) omnes sancti continentes, qui de rebus Mundi quas possidẽt, dum pia opera faciunt, quasi per terræ viam ad celestem patriã tendunt. In Iob omnes coniugati iuste & bene iuuentes. In tribus igitur ordinibus sancta Ecclesia constat,

Aug. lib. de Vrbis excidio. Ezech. 14. Gregor. mor. lib. 1. c. 13. et lib. 32. c. 19.

Rectorum, Continentium, Coniugatorum.

Sic in Euangelio Dominus, dum alios in agro, alios in lecto, atq; esse in molendino alios perhibet, Tres proculdubio in Ecclesia ordines ostendit. Siquidem in agro sunt qui gubernant Ecclesiam, & vineam illam Domini electam excolunt; quẽadmodum Vas electum Paulus, dicens de se ipso: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autẽ incrementum dedit: in lecto vero dicuntur esse qui amant quietem Diuinæ contemplationis, & ab huius seculi turbine, fluctibusq; semoti, in tranquillitate & ocio seruiunt Deo: denique in molendino esse dicuntur, qui vitam huius Mundi negociosam sectantes, soliciti sunt, & turbantur erga plurima, instar molæ assidua vertigine se rotantis, varijs & inquietis actionibus occupati, atq; distenti. Hosce Tres hominum status in prædictis Tribus viris Augustinus voluit expressos, cuius hæc sunt verba in expositione Psal. 132. Noe significat Rectores Ecclesiæ; Daniel vitam quietam elegit, et in cœlibatu seruire Deo, eos insinuans qui in mentis quietudine secretius Deo vacant; Iob vxorem habens & filios, amplasq; diuitias, eos indicat, qui actionibus huius Mundi exercentur. Itaque Noe assumendos de agro: Daniel, de lecto: & Iob de molendino recipiendos in gloriam designat.

Matt. 24.

1. Cor. 3.

De sacramen. lib. 2. par. 18. cap. 21.

Beatitudo nostra Trinitate perficietur secundum Hugonem a sancto Victore.

Ibi enim { Esse, Nosse, Amare } nostrum non habebit { Mortem, Errorem, Offensionem;

sed ibi { Vacabimus, Videbimus, Amabimus } & { Videbimus, Amabimus, Laudabimus.

Idem testatur Aluarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ. lib. 2. artic. 63. dicens: In superna patria, anima sancta capax erit Aeternitatis, Sapientiæ, & Dulcedinis Dei. quia

Memoria retinebit, Scientia cognoscet, Amor amplectetur } Deum sine { Obliuione, Errore, alterius rei affectione.

Et ita perficietur Trinitas animæ illa ineffabili vnione Trinitatis increatæ; pro qua Dominus orat Iohan. cap. 17. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, id est, vniantur, sicut & nos vnum sumus in natura, id est, vnius essentiæ.

Et secundum Bernardum in Cœlis constituti Tripliciter Deo fruemur, videntes. s. eum in omnibus creaturis; habentes eum in nobismetipsis; ipsamque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine vllo enigmate mundo cordis oculo contemplantes.

Mor. lib. 30. c. 18.

Greg. Aperte, inquit, tunc videbimus quomodo & Vnum diuisibiliter Tria sunt: & indiuisibiliter Tria vnum.

Tria rursum principalia erunt in Paradiso, quę commemorat Psalmographus.

Psal. 111.

Gloria, Diuitiæ, Iustitia.

Ecce quid erit in fine sine fine.

TRINITAS in Cęlesti Mundo.

Interrogatus Anaxagoras, cur nam se natum arbitraretur, respondisse fertur: Cęli ac Solis videndi caussa. digna profecto Philosopho sententia. Nam qui rem totam pensitarit comperiet cælestem

clari-

claritatem adeo præcellere naturæ quadam præsigni maiestate, vt in illa vitali luce Diuinæ Triadis mysterium facile sit deprehensurus, quando Vertiginosus ille motus ampliorem nobis indicat Potestatem; Lux nitidissima, Sapientiam; Calor suauissimus, Amorem. quibus, videlicet: Potestate, Sapientia, Amore, a Deo mouentur, illustrantur, perficiuntur atq; seruantur vniuersa.

Triplex dimensio reperitur in Cęlo relato ad terram, seu ad centrum. sunt enim Tres viæ continuæ, nempe Longitudo a summo ad imum, vel e conuerso; Latitudo a dextro ad sinistrum; Altitudo ab ante, & retro. In Cęlo igitur ad terram relato, relatio circumferentiæ ad centrum caussat longitudinem ascendendo & descendendo. ordo autē signorum in circulo aliquo facit altitudinem, quia ab Occidente, in Orientē facit ante; sed retro est ab Oriēte, in Occidentem. alius vero motus facit latitudinem, id est, dextrū, ad sinistrū.

Triplex est planetarum circulus,

Deferens, Aequans, Epicyclus.

Triplex quoq; gradus in quinq; planetarum cursu, quia quandoq; planeta est Retrogradus, quādoq; Stationarius, quandoq; Directus. Quasi Stationarius Pater a nullo est procedēs. Sed quasi Retrogradus est Filius carnem assumens. tunc enim Sol retrocedit ad decimam lineam, quemadmodum figuratum Esaiæ cap. 38. id est, vsq; ad humanam naturam, quæ quasi decima est post nouem Ordines Angelorum, vt aperte monstratur numero Denario. Quasi Directus est Spiritus sanctus, qui missus est ad directionem fidelium. Vnde Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me.

Planeta	Stationarius,	Pater,
	Retrogradus,	Filius,
	Directus,	Spiritus sanctus.

Cęlestia luminis subiecta, & luciferæ faces sunt Trinæ, Sol; ceteri Planetæ, qui erratici dicuntur; & stellæ fixæ. Sol enim fons est & lucis initium, a quo in ipsos errones, & in Firmamenti stellas deriuatitia lux transfertur.

Corpora cælestia diuiduntur in Lucentia, Non lucentia, & Diaphana. Lucens est Sol: Non lucens, stella & planeta. lumen enim suum a Sole recipiũt: Diaphana corpora sunt omnes sphærę cælestes.

Corpus cęlest. { *Lucens,* *Sol,* / *Non lucens,* *Stellæ,* / *Diaphanum,* *Sphæræ.* }

Tres & sphærarum sunt status.

Baptist. Egnat. racemat. 21

Centrum, Dimetiens, Circumferentia.

Syderum quoque totidem.

Propodismos, Hypopodismos, Achronychia.

Triplex in sphæris cęlorum est differentia. est enim aliquod cælum mobile & stellatum, vt Firmamentum, cum quo septem planetarum orbes sub eo exsistentes computantur; Aliquod vero est mobile, sed minime stellatum, vt nona sphæra; Tertium quod nec est mobile, nec stellatum, sicut Empyreum, quod est Beatorum locus, ad quod raptus est Paulus Apostolus.

2. Cor. 12

Cælum { *Stellatum mobile,* / *Mobile carens stella,* / *Immobile sine stellis.* }

Etiam Tres cęlos in Sacris litteris agnosces si hac vtaris distinctione, vt Primum cęlum sit in quo aues cęli commorantur, aere & igne constans, e quo pluuias cadere sæpius audimus: Alterum illud in quo planetæ, & cætera sydera, de quo loquitur scriptura Diuina, dum dicit stellas cęli. diuersos enim cęlos diuersis planetis adscribere, & octauum fixis stellis tribuere Sacræ litteræ non videntur: Tertium cœlum (vt diximus) est Empyreum, in quo Deus singulari quodam modo dicitur habitare. vnde orantes dicimus: Pater noster qui es in cœlis.

Gen. 22. 26.

Matth. 6.

In Sole enitescere signum Diuinæ Trinitatis mirum.

De Sole dicendum est. nulla siquidem magis re imaginari Diuinam maiestatem congruentius possumus, quam per splendidissimum

Solis lumen. Sol enim inter cæteras erraticas principem locum tenet; cui tantum luminis inest, vt eius splendore cęlum omne illustretur. Quo factum est, ut Orphæus hunc ipsum æternũ Mundi oculũ appellauerit, quandoquidem eius lumine omnia illustrantur, sicut Deus lux vera illuminat omnem mentem. Quinimo contendimus Solem in Mundo esse, tanquam in sacratissima æde, admirabilem Dei statuam. Quapropter apud Aegyptios aureis notis inscriptio inerat Mineruæ templis: Ego sum quidquid est, quidquid futurum est, quidquid fuit. velum meum sustulit nemo. quem fructum protuli Sol est. Plato quoq; in sexto de Rep. Solem aspectabilem Dei filij inaspectabilis filium, & imaginem appellauit. quasi per hunc tamquam per quandam Diuinam imaginem, ineffabilem Dei naturam concipere valeamus. Nam quod sensibilibus rebus est Sol noster; hoc intelligibilibus est Deus. Ille enim Mundum hunc aspectabilem illuminat: hic inuisibilem collustrat. Ille corporis oculos, ita afficit, vt lumen ipsius intueri possint: hic mentes deiformes reddit. Atque vt ille cum, & his quæ oculorum sensu prædita sunt, & his quæ in aspectum cadunt, hanc vim tribuat, vt & illa videre, & hæc visu percipi possint, interim tamen ipse omnia, quæ oculis subiecta sunt pulchritudine antecellit: eodem modo Deus, cum tam his, quæ intelligentia vtuntur, quam quæ mente & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, vt & illa intelligant, & hæc intelligentia percipiantur, ipse tamen intelligibilium omnium summus, & vertex, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, nec supra eum vsquam fertur. Rursus vt Sol plenus semper conspicitur, nec vnquam diminuitur: pari analogia Deus perpetuo perfectus exsistit, plenus potentia, intellectu, sapientia, immortalitate, & reliquis bonis omnib. Quemadmodum Sol, quantum quidem ad lumen attinet, circumscribi non potest; quantũ aũt ad orbem suum circumscriptus est: eo fere modo Christus (qui in Sole posuisse legitur tabernaculũ suum, & a Malachia, Sol iustitiæ nuncupatur) quantum ad Diuinitatẽ, nullo modo circũscribi potest;

Gregor. Naz. De laudibus Athanasij.

Psal. 18.

Cap. 4.

quantum autem ad partem visibilem, idest, ad carnem, circumscriptus est. Præterea sicut Sol quantitate æqualis est, vt nec augescens nec decrescens, qualitate etiam similis, vt qui nec seipso calidior, nec frigidior fiat; non dissimili ratione, Diuina illa & immutabilis natura, neq; secundum quantitatem, neque secundum qualitatem, neq; secundum vllam aliam motus speciem mouetur. Ad hæc quemadmodum prius lumen conditum est, deinde illa luminis domus, hoc est, Solis corpus: eundem in modum Christus lux illa vera, secundum Diuinam suam naturam prius erat; secundum posteriorem autem humanitatis, & carnis assumtionem, Solis corpori comparari potest. Sunt & aliæ caussæ cur Christus dicatur Sol. sicut. n. Sol anno vertente, ad idem punctum, a quo cursum auspicatus fuerat, reuoluitur: eodem modo Christus a Diuina gloria citra egressionem egressus dispensationis suæ cursu peracto, rursus ad seipsum reuersus est, hoc est, ad pristinam gloriam, & potestatem. Hinc sane Christus profectus est, atque huc venit, hoc est ex Patre & cœlo, quo, confecto salutis nostræ negocio, se recepit. Christus etiam dicitur Sol, quia tempora efficit, hoc est, animæ virtutes. Virtutum. n. semina nostris animis insita fouet, atq; ad fertilitatem mouet, non secus atq; Sol sensibilis quatuor anni temporibus vires quasdam inserit, per quas fructus terræ maturescunt, ac perficiuntur. Deus. n. ad vtilitatem omnia dispensat, non secunda tantum, & prospera, verum etiam quæ acerba videntur, sicut Sol non veris dumtaxat, atq; æstatis caussa est, sed autumni, & hyemis. Quare in Diuinis scriptis est Sol hieroglyphicum prosperitatis, et cõsolationis, videlicet cum adfulget & splendet. Psal. 20. Per diem Sol non vret te, hoc est, consolaberis, & eris voti compos. Alias vero per symbolo calamitatum, cum nimirum obscuratur, ac veluti occultatur. Ier. 15. Iohel. 28. Amos. 8. Præterea vt Sol nedum visibilia omnia superat, sed ea quoque omnia quæ viderit (nec. n. cuiusquam oculus diutius eum intueri potest) ita sane Deus a nullo intellectu creato sciri exacte, & comprehendi potest. Sol colores ef-

ficit

ficit (aut certe medium illustrat) & oculos veluti gignit, ac fouet: Deus quoque intelligibilium rerum & intellectuum simul auctor est, & qui solus mentis nostræ tenebras vere ac prorsus discutit. Et sicut nihil est magis alienum a capienda Solis luce, quam elementum terræ, ob sui, videlicet, crassitiem, opacitatem, ac duritiem: eodem modo qui terrenis rebus affixi, & graui ac terreo corde sunt, nihil intelligentiæ Dei admittere poßunt, quamdiu tales perstiterint. 1. Cor. 3. & Iohan. 1. Vt Sol perspicua corpora primum illustrat, & confestim calefacit, atq; opaca e contra primum calefacit, extenuat, moxq; illustrat: pari analogia Deus animas peccatis inquinatas primum depurat, afficitq;, ac postmodum intelligentia donat. unde propheta Regius subtiliter, & apposite dixit, Psal. 33. Gustate, & videte. Vt omnia astra a Sole lucem habent: ita Angeli, & creaturæ reliquæ omnes, Dei insigni quadam liberalitate, esse, sentire, viuere, & intelligere obtinuerunt. Adhuc etiam sicut vnus est Sol, vt ipsum nomen indicat; ita vnus est Deus. In Sole sunt tres quasi personę, Solis, scilicet, substantia, radius, & lumen. Radius discedit, lampadis instar, percutiens terram: Lumen illuminat loca tenebrosa absque radio. Ecce itaq; tres quasi personę, corpus solare, radius, lumen: Non tamen dicimus tres soles, sed vnum: nec vnam dicimus personam, sed tres. Namq; si fueris interrogatus: Quot sint in cęlo Soles? respōdebis profecto vnum esse tantum. At si de personarum numero facta quęstio fuerit, respondebis nimirum: Tres, solare corpus, radius, & lumen. Eandem quippe de Deo responsionem afferre licet, Deus.n. vnus, personę autem Tres, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Vt igitur in Sole tria sunt distincta; ita est & vnus Deus trium personarum. Pater ipse est corpus solare, Filius autem est radius, & Spiritus sanctus est lumen Solis. Et sicut in Sole est corpus solare, est radius, & lumen, & tamē vnus est Sol, non tres; similiter & in Deo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, non tres sunt Dij. Sicut simul sunt corpus Solis, radius, & lumen: sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Gēnadi⁹ Scholarius.

Et quamquam vtriusque principiũ est Pater, non tamen antiquior est, non hercle magis quam Sol illis tempore prior. Et quemadmodum substantia Solis producit radios, & a Sole & radijs procedit lumen: ita Pater generat Filium, & a Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. Et sicut radius Solis descendit de cœlo ad terrã, & corpore solari, & non separatur, & neque a cęlo abest, neque a terra, sed est in corpore solari, in cœlo, in terra, & vbiq; neque sursum, neq; deorsum abest: ita & Filius Dei descendit in terram, & neque a Patre abest, nec a cęlo, nec a terra; sed fuit semper, & est in gremio Patris, inseparabilis, & sursum, & deorsum, & vbique, & nusquam deest. Et quemadmodum est lumen solare & in corpore solari, & in radio, & in cęlo, & in terra, & ingreditur interiora domus, & omnia illuminat: ita & Spiritus sanctus, vbique & cum Patre, & cum Filio est sursum & deorsum, & omnes homines illuminat, & nullibi deest. Spiritus enim, ut ait Paulus, inquirit & profunditates Dei. Sol itaque visibilis & vnus est, & in se habet Tria distincta pariter & vnita. Quare prisca Græcorum Theologia (ut apud Plotinum) Solem venerabatur ut Deum. & Heraclitus Solem vocat fontem cælestis lucis. Profecto qui non videt Solem in Mundo esse imaginem, vicariumque Dei, is certe noctem numquam considerauit, nec Solem suspexit exorientem, nec illius animaduertit munera. Exstat & alia Triadis effigies in Sole, qua Deum veneratur homo, dicente Psalmographo Vespere, Mane, & Meridie narrabo opera Domini. Trib. siquidẽ differentijs mortalium oculis Sol reuelatur, primo in Ortu: deinde in Meridie: tertio in Occasu: in Septentrione autem, & mediæ noctis pũcto nobis est occultus. Sic prisca Theologia Tres regiones faciens, Ortum, Occasum, & Meridiem, Inferos in Septentrione locabat, propterea quod Sol numquam eo perueniat. Ad hoc spectat, quod apud Salomonem scriptum legitur: Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, id est vbicumque homo, qui est tamquam lignum, sibi locum

1. Cor. 2.

Psal. 54.

Ecclesi. 12

Salonius Epis. Viẽnens.

ad

ad futuram sedem præparauerit, ad Austrum cum ceciderit, id est mortuus fuerit in requie Paradisi, et gloria regni cęlestis permanebit in ęternum: si vero male viuendo sibi locum præparauerit, ad Aquilonem, qui frigidus est, inferni pœnas luet in secula. Hoc insinuat & Euangelica Veritas, quæ impios ad sinistram a Deo in extremo iudicio sistendos asserit; sinistram vero in eodem Septentrione esse priscis Theologis quis dubitet? nam T. Liuius lib. ab vrbe condita primo, dexteras ad Meridiem partes Augurum instituto; ad Septentrionem sinistras statutas ait. Atque ad hanc sententiam facit, quod Psalmo octuagesimooctauo legitur: Aquilonem et dextrum tu creasti, quod Septuaginta interpretes Mare sunt interpretati; vnde quia in sinistra constituta sunt mala, per Ieremiam prophetam dicit Dominus: Ab Aquilone exardescēt mala. & rursum: Malum ego adduco ab Aquilone. itē alibi: Vox auditionis ecce venit, & cōmotio magna de terra Aquilonis. Consentiunt Platonici qui asserunt Septentrionales dæmones esse malos. idipsum comprobant Astronomi. Orbe. n. in quatuor quadrantes diuiso, partibus extremis Aquilonarib. Martē, & Saturnum Ptolomeus tribuit. Quare nullum inuenias ad Septentrionē suas fundere preces; sed Lex Hermetis, et Maumethi ad Meridiē adorat: Lex Moysi ad Occidentē: Lex Pythagoricorū, & Christianorū ad Orientem. Pythagorici quidem ideo adorant ad Orientē, non quod in ea parte Mundi Deus aliquo modo circūscriptus, aut specialiter habitet; sed quia Deus lux est vera diciturq; eā ob caussam ad creatum istud lumen conuersi, non illud quod creatum est lumen, sed eius luminis Creatorē adorant, & ex elemento oīum splendidissimo, oīum splendidissimum Creatorem Deū venerantur. Nos autem fideles scimus, quod Apostoli Christianorum Ecclesias, ideo iusserunt Orientē versus orare, ut ad Paradisum respicientes, suppliciter a Deo petamus, vt in antiquam nos patriam et locum, vnde cecidimus, restituere velit. Nempe vbi nostra, qua vtimur, translatio habet Genes. c. 2. Plantauerat aūt Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio:

altera

Matt. 25.

c. I. 4. 10.

D. Athā. lib. quęs. cap. 14.

altera translatio (quam Glosa explicat ordinaria) continet: Plantauit Deus Paradisum in Eden ad Orientem. vt quod nos voluptatis nomine exprimimus, alij nuncupatione Eden signent. & quod domestica nobis translatio dicit: A principio, altera dicat: Ad Orientem. Antiquam igitur patriam requirentes, & ad ipsam suspirantes, Deum ad Orientem adoramus, præcipiente etiam per Psalmographum Spiritu sancto, vt adoremus ad locum, vbi steterunt pedes Domini. Docet autem Zacharias Propheta, pedes Domini stare in Oriente in monte Oliuarum e regione Hierusalem. Appollini quoque, qui idem cum Sole est, Tripos datus est, ob Ternarij numeri plenitudinem. deinde etiam a Tribus æqui distantibus circulis, quorum vnum quidem secat Sol anniuersariũ motum conficiens, ac duos pertingit tropicos. Hinc Albricus lib. de Deorum imaginibus: Apollo, inquit, sub pedibus depinctum habebat monstrum, cuius corpus erat serpentinum, Triaq; habebat capita, Caninum, scilicet, Lupinum, & Leoninum; quæ quamquam inter se diuersa forent, in vnum tamen corpus coibant, vnam solam habentia caudam. Dicebat item Pythagoras vaticinari Apollinem ex Tripode, eo quod per Trinitatem primus numerus.

Psal. 131
Zach. 6. 14.
Phornutus.
Iamblicus in vita Pythagoræ.

TRINITAS in his quæ in Mundo sunt.

Tres in Mundo globi sunt omnibus gentibus conspicui. Sol distinguens tempora, Luna ducens aquas, Terra continens mortalium genus. Qui vero nominum Auctores imposuerunt nomina rebus, cum essent naturæ rerum scientes, tum ad rei naturam respicientes, tum ad maris, & feminę proportionem, qui in mortalibus potissimum animalibus cerni natura solent, haud inconsiderate, sed consulto Solem appellare virilis genere decreuerunt: Lunam, muliebris, ut quę lumen ab illo mutuetur: Terram insuper, quam non Sol modo, verum ipsa quoque illuminat, etiam feminino articulo, nuncuparunt. Cęterum quia Luna Terram illuminans, virili munere fungitur, ideo Aegyptij Lunã masculino articulo nominare consueuerunt, Terrę eam cõferentes. Proinde & in conuiuio Platonico

verba

verba faciens Aristophanes masculum Soli conuenire dixit; Terrę, fœminam; masculofęminam, Lunæ. Nos autem sapientius Aegyptijs facimus, quoniam Luna ratione prima a Sole lumen excipit, quod postea per factam ab ea ipsa refractionem in Terrā transmitttt. Sol igitur primus & per se lucidus, ipsiusq; lucis initium; a Sole lux in Lunam deriuatur; a Sole vero & Luna, in Terram. Sol a nullo lumen recipiens, Pater; Luna a Sole illustrata, Filius; Terra ab vtrisque, Spiritus sanctus.

Sol,	Luna,	Terra.
Per se,	Ab vno,	Ab vtroque.
Pater,	Filius,	Spiritus sanctus.

Ex his, item quæ sunt in Mūdo, manuducimur ad cognitionem attributorum Diuinæ Trinitatis. Mundus enim sine Fecunditate, Prole, & Amore perseuerare non potest. nam his sublatis, Mundū deficere oportet; Et Fecunditate Partu & Amore vnus est Mundus. Vnius igitur Mundi sunt Fecunditas, Partus, & Amor. Nec Fecunditas est alius Mundus; & Partus, alius; & Amor, alius; sed sunt vnus & idem Mundus. Et sic hæc sunt vnius Mundi, vt nihil Mundi sit absq; illis. participatur enim Fecunditas Mundi, & Partus, & Amor in Angelis, angelice; in Hominibus, humanę; in brutis (vt ita dicam clarioris doctrinę gratia) brutaliter; in mineris, mineraliter; in Sole, solariter; in entibus, entice; in elementis, elementaliter; & ita de singulis suo modo. Et vnde habet Mundus illa, vt sit necessario ita Trinus, sicut vnus, nisi a Creatore? Est enim in Deo naturalis hęc perfectio, quam omnibus tribuit, vt sint meliori modo, quo esse possunt. Nam sine hac Trinitate Mundus naturam non haberet; neque naturalem perfectionem; nec benedictionem a Deo possideret, quę in vnitate essentię sic Trinitate lucet. Quemadmodum igitur Creator est vnitrinus; ita & creatum Trinum, & vnum est, cum creatum a se nihil sit, & omne id, quod est in hoc subsistat, quod est imago, & similitudo Creatoris. Trinitas igitur, quæ in creatura videtur, est a Trinitate in-

creata,

creata, tamquam imago ab exemplari; & caußatum, a caussa. In Diuina igitur natura est Fecunditas, Proles, & Amor. Fecunditas Deus est, qui & origo, & Pater. Proles autem ipsius Fecunditatis, Filius. Amor vtriusque nexus, Spiritus sanctus.

Fecunditas,	Proles,	Amor.
Pater,	Filius,	Spiritus sanctus.

Hæc Diuinæ fœcunditatis consideratio reperitur in perfecto magisterio. Quandoquidem in essentia perfecti magisterij, est operatio, ars, & delectatio. ex operatione ars, ex operatione & arte delectatio. Et quia fabricando fabri efficimur, operatio est fœcunditas; ars, proles; delectatio, nexus: & est propinquior similitudo tẽporalis magisterij, ad ęternum magisterium creationis. Sic in essentia exercitij est faciens fœcunditas; id quod fit, proles: & facere ipsum, quod procedit a faciente, & eo quod fit, nexus.

In natura etiam intellectuali speculatiua, quæ magis Deo similis est, quanta sit Fecunditas, Proles, & Amor, ostendunt libri innumerabiles, nam quot theoremata circa veritatem generauit intellectualis Fecunditas? quot delectationes processerunt ab illis, & suauitates spirituales, quę fecerunt illos pro nihilo habere gaudia huius Mundi? Quandoquidẽ in illa natura intellectuali est Fecunditas, quæ de se generat Verbum, seu conceptũ intellectualẽ, & ab ipsis procedit amplexus seu uoluntas. Quando enim mens uerbum generat, seu notitiam, statim procedit amplexus, seu voluntas. sicut enim id quod non scitur, non amatur; ita non potest non procedere a mente & notitia voluntas. Scientia enim est de numero bonorum honorabilium; bonum autem est quod appetitur. omnia enim bonum appetunt.

TRINITAS ad omnem affectum concurrens.

Trinæ actionum nostrarum sunt caussæ; Trina agendorum initia; Tria ad omnem effectum concurrentia. quorum si quid defuerit, nihil absoluitur: &, si adsint omnia, pariter consummantur.

Scientia,

Scientia, Potentia, Voluntas.

Vbi igitur hæc Tria, Intelligere, Posse, Velle, vna, & concordi chorea inuicem colligantur, libera est, facilis, & non impedita actio; si tollas vnum aliquod, perfectionem imminuis. Hac Trinitate rerum conditor Deus opera sua perfecit. nam cum sit ipse perfectus, in ipso perfecta sunt omnia, quæ neque in parte augeri possunt, quia plena; neq; in toto consummari, quia perfecta; neque in unitate diuidi, quia vnum sunt.

Vti Deus vnitas est, ita Ternario distincta, vt ab Vnitatis simplicitate non discedat, sic Trinitatis diuinæ in Vnitate vestigium conspicitur in omni creatura. quæ enim in creaturis Vnitas videtur, Triplici dispertita ratione deprehenditur. Est quidem primum ea in rebus vnitas qua vnumquodque sibi est vnum, sibique constat, atque cohæret. Est ea secundo, per quam altera alteri creatura vnitur, & per quam demum omnes Mundi partes vnus sunt Mundus. vt enim inquit apud Ciceronem Craßus, omnia quæ supra, & subter sunt, Vnum eße, & Vna vi, atque Vna consensione naturæ constructa esse animaduerterunt, & affirmarũt Philosophi. Tertia est qua totum vniuersum cum suo Opifice, quasi exercitus cum suo duce est vnum. Adest Trifaria hęc vnio vnicuique rei per suam vnam simplicem vnitatem deriuatam ab illo vno, quod & premum vnum, & Trinum simul, atq; vnum est; a Patre inquam, Filio, & Spiritu sancto. Nam & Patris potestas omnia producens, suam omnibus elargitur vnitatem: sapientia Filij rite omnia disponens, omnia inuicem vnit, & copulat: Spiritus amor ad Deum omnia conuertens, totum opus Opifici nexu charitatis adiungit.

Io. Picus Heptap. lib. 6.

Aliud Trinitatis vestigium est in creaturis omnibus, quod sexto de Trinitate comprobat August. quando in vnoquoque est, quod ad Diuinas personas, ceu ad caußam referre debeas. quodlibet enim subsistit in suo esse; habet formam, per quam determinatur ad spe=

ciem;

ciem; habet Ordinē ad aliquid aliud. Patrem indicat Substantia; Verbum autem Forma, vt quę ex Artificis conceptione proueniat; Spiritum sanctum nobis præfert Ordo. amor est enim, ac ordo effectus ad aliud quippiam ex creantis voluntate profluit.

Substantia,	Forma,	Ordo,
Pater,	Verbum,	Spiritus sanctus.

quæ significantur ab eodem Aug. lib. octoginta trium quæst. dicente.

Quod constat,		Constat per Substantiam,
Quod discernitur,	Aliquid enim	Discernitur per Formam,
Quod congruit.		Congruit per Ordinem.

Ad hæc Tria reuocantur & illa Numerus, Mensura, Pondus, de quibus meminit auctor libri Sapientiæ: Cap. 11.

	Substantiam,	Mensura;
indicat enim	Speciem,	Numerus;
	Ordinem,	Pondus.

Vniuersa quidem Mensuram habent ab illo artificis spiritu, qui vnicuique conuenientem tribuit portionem; Numerum, ab illa summa vnitate, & fonte omnium numerorum; Pondus, ab illa sapientia, quæ omnia librat.

Nicol. Cus. excitat. lib. 1. In princ.

Quia Trinitas est in vnitate, gerit intra se omne creatum in suo esse Trinitatis imaginem, per hoc quod

habet	Esse,	Virtutem,	Operationem:
est ex	Potentia,	Obiecto,	Actu.

& est ex suis innatis correlatiuis.

Sicut Diuina bonitas est ex bonificante Patre, bonificabili Filio, & bonificare Spiritu sancto; ita bonitas effluxa hoc Trinitatis vestigium intra se gerit, vt nulla bonitas creata esse possit sine.

Bonificante,	Bonificabili,	Bonificare.

Ita quidem de amore, esse, veritate, & ceteris omnibus a Deo effluxis. Ergo in omnibus infimis, & supremis creaturis, vt ait Diuinus Dionysius, est Essentia, de qua generatur Virtus; ex his autē procedit Operatio, quæ fit per motum; omnis autem motus dicitur

Nic. cus. excit. li. 5. Paraeletus.

ſpiritus, ſicut aer motus dicitur ventus, ſeu ſpiritus.

Eſſentia, Virtus, Operatio,
Pater, Filius, Spiritus ſanctus.

Omnis eſſentia cuiuſcumque creaturæ eſt ex
Poſſe, Actu, Vnione.

Poſſe ſe mouet, vt ex ſe eliciat Actum; ex Poſſe, & Actu oritur Vnio quies, & delectatio. Potentia enim uiſiua exerit actum, & oritur viſio, in qua delectatio eſt, & quies viſionis. Item ex potentia intellectiua oritur notitia, ſeu ſapientia, vt intellectus ex ſua potentia actum exerat: atque ab vtroque procedit delectatio, & quies.

In omni creatura alia exprimitur Trinitas, nimirum:

Quia eſt, Quia ſic eſt, Quia ad aliquid eſt.

quodlibet enim creatum quantumcunque paruum, primo habet Eſſe cum omnibus alijs commune; dein & propriam Formam, qua diſtinguitur ab omnibus alijs; poſtremo & ſuum Finem, in quem ordinatur. Nihil enim fruſtra creatum eſt: & quo nobilior in ſe eſt aliqua creatura, eo perfectius in ſe illa habere dignoſcitur. Homo enim habet ſuum Eſſe, ſuam Formam, ſuum denique Finem; ſed omnia hæc perfectius cæteris creaturis.

Tria quoque in quaque creatura requiri ſcribit Auguſt. ſcilicet:

Lib. 11. ciuit. di. c. 23. 24.

Quis eam fecerit,		Deus,
Per quid fecerit,	vt reſpondeatur	Per verbum,
Quare fecerit.		Quia bonus.

Pater enim intelligitur verbi, qui dixit, vt fiat; quod autem illo dicente factum eſt, proculdubio per verbum factum eſt. In eo vero quod dicitur vidit Deus, quia bonum eſt, ſatis ſignificatur Deum nulla neceſſitate, nulla ſua cuiuſque vtilitatis indigentia; ſed ſola bonitate feciſſe quod factum eſt, id eſt, quia bonum eſt. quod ideo poſteaquam factum eſt, dicitur, vt res, quæ facta eſt, congruere bonitati, propter quam facta eſt, indicetur. quæ bonitas, ſi Spiritus ſanctus recte intelligitur, vniuerſa nobis Trinitas in ſuis operibus intimatur.

Gen. 1.

Increa-

In creaturarũ	Magnitudine Dispositione Ornatu	cognoscitur	Potentia Patris, Sapientia Filij, Bonitas Spũs sancti.

Nic. cus. excit. li. 2. Fides cath.

In quolibet indiuiduo inuenies	Virtutem Speciem Vtilitatem	conuenien.	Patri, Filio, Spiritui sancto.

In omni creatura est	Vnitas Veritas Bonitas	siue	Modus Species Ordo	vt sit in omni creatura, quo vna ostẽ-

deretur, principij vnitas; & quo Trina, personarum Trinitas.

Adhuc in omni creatura relucent Dei

Potentia, Sapientia, Benignitas.

Potentia Dei apprehenditur per immensitatem creaturarum; Sapientiam, decor; Benignitatem vtilitas ostendit. Immensitas in multitudine, et magnitudine attingitur; Decor in situ, motu, specie, & æqualitate; Vtilitas in grato, apto, commodo, necessario.

Immensitas, Decor, Vtilitas.

Tria in se genera habet Substantia, secundum Peripateticos; vnum eorum, quæ sensibus subijciuntur, & generantur, & intereunt, de quibus nemo vnquam dubitauit. eiusmodi sunt animalia omnia, et quæ gignuntur e terra: Alterum ea complectitur, quæ licet sub aspectum cadant, semper tamen sunt, neque vllum habent ortum: cuiusmodi illam quintam naturam Diuinam esse arbitrantur Peripatetici, ex qua cælestes sphæræ, & stellæ vagæ, & inerrantes constitutæ sunt: Tertium genus earum substantiarum est, quæ nullo motu agitantur. eas Pythagoras, & Platonici simplices, & ab omni corporis societate liberas esse dicunt; sed hoc tertium genus a Platonicis secatur in duo, Mathematicas, inquam, formas, & Ideas; Verum Pythagorici, & Peripatetici Ideas repellunt; & Mathematica relinquunt.

Triplex est Substantia, Materia, Forma, Compositum: sic &

Triplex

Triplex definitio per Materiam, per Formam, per Compositum; & illę tantum sunt perfectæ. Quę a forma sumitur definitio, principium est demonstrationis: quę a materia, conclusio est: quę vero ex vtraq; constat, efficit demonstrationem positu differentem.

Tria sunt vera principia rerum naturalium omni composito concurrentia, scilicet, Materia, Forma, & Priuatio. nam vnum subiectum (hoc est Materia) quod Gręci hylen vocant, sufficit ad patiendum: & duo contraria, scilicet, forma, & priuatio, ad agendum.

Arist. I. Physic.

Tria generationis & corruptionis principia sunt, Materia, Forma, & Efficiens ad generationem & corruptionem requisita. Nam nihil est mobile, nisi habeat materiam, & materia nuda non potest esse mobilis, cum non possit existere; ergo in motu requiritur forma: Et cum nihil reducit seipsum de potentia ad actum; ergo requiritur Efficiens.

Arist. lib. de Generatione & corruptione.

Tria rerum principia constituit Plato, Deum, Materiam, & Speciem, seu Ideas. Deum quidem effectorem omnium: Materiam autem quæ primæ rerum generationi subiaceat: Speciem vero vniuscuiusque faciundæ rei exemplar.

Tria apud Orpheum ab initio rerum principia pullularunt.

Nox, Terra, Cœlum.

Elementorum quædam sunt simpliciter leuia, vt Ignis; quædam simpliciter grauia, vt est Terra; Quædam grauia & leuia, vt Aer, qui est grauis respectu ignis, leuis respectu terræ; & Aqua, quæ est leuis respectu terræ, & grauis respectu aeris.

Respectu loci est in elementis Trinitas. Tria enim dumtaxat Elementa se contingunt in loco generationis, scilicet, Aer, Aqua, Terra. At vero Hebræorum Rabini asserunt in suo Alphabeto Tres esse litteras, Tria significantes Elementa, Terram, Aquam, Ignem: ex quibus vniuersa componantur, & conglutinentur per aerem, quem non elementum, sed glutinum elementorum esse affirmant.

Trium in Deitate personarũ expressio nobis inuolucro quodam, et velamento imaginis adaperitur in Igne. in eo.n.inuenimus Tres Diuinæs proprietates: prima ipsa est substãtia corporalis quod Ignis est; deinde Splendor eius, qui in ipso permanet; Tertia Calor, qui ab vtrisque procedit. quæ hoc modo æstimanda videntur, vt quod est in igne substãtia corporalis, ita intelligatur in Trinitate quodammodo persona Patris; et quod est in igne splendor eius, hoc sit in Trinitate persona Filij, sicut Apostolus dicit: Splẽdor gloriæ eius; quod autem est in igne calor, hoc est in Trinitate persona Spiritus sancti, sicut legitur in Psalmo: Quis se abscondet a calore eius? In igne igitur primo animaduertitur ipsa fecunditas sensibus nostris prorsus occulta; deinde lux eiusdem manifesta ex ipsa manans fecunditate, ipsique semper æqualis; postremo est ab vtroque propagata vis calefactoria penitus vtrisque par. Ab igne oritur lumen, & calor: a natura Dei, verbum, & Spiritus sanctus. Ignis si non est aliquid quod illuminetur & calefiat ab eo, tamen hic ignis semper habet lumen & calorem: ita & ante creationem Mundi fuerunt Verbum, & Spiritus sanctus potentiæ naturales Dei, & per has Tres proprietates viuit Deus sempiterne etiam ante creationem Mundi, & per has creauit Mundum, & per has regit eum. Et quia hæ Tres proprietates non distinguunt almam & amplissimam substantiam Dei, propterea Deus est, & cum proprietatibus suis vnus Deus, & non Tres Dei, sicut ignis, splendor, & calor, vnus est ignis.

Cass. Sẽ. ĩ psal. 50

Heb. 1.

Psal. 18.

Ignis,	Pater,	A nullo,
Splendor,	Filius,	Ab vno,
Calor,	Spiritus sanctus,	Ab vtroque,

Triplex esse habet ignis. est enim ignis purus in propria sphæra; ignis coniunctus rei combustibili, videlicet, in aliena materia; ignis mixtus, scilicet, in re elementata, in qua secundum quosdam ignis & alia elementa sunt actu, non quo ad esse primum, videlicet, formarum substantialium; sed quo ad esse secundum,

nempe

nempe qualitatum suarum, quæ sunt reductæ ad medium; & ideo sunt ibi sicut extrema in medijs, & secundum aliquos non sunt ibi in actu; sed in virtute.

Tria habet interstitia sphæra Ignis, videlicet, supremum, quod vocatur igneum; medium; & infimum, quod dicimus Olympum.

Tripliciter apparet Ignis, nempe

Flamma, Luce, Carbone.

Tres sunt Aeris regiones, seu partes non solum situ, sed & naturæ proprietate differentes. suprema, scilicet, pars eiusdem elementi & purissimus ignis, quod totum ætheris nomine designatur, vbi pura & immixta sunt elementa; media aeris regio, in qua sublimes illæ impressiones apparent, pluuiæ, niues, tonitrua, fulgura, cometes; infima quæ apud nos sunt, vbi elementum purum nullum, sed mixta omnia ex crassiore parte mundani corporis constant. suprema excessiue calida & sicca exsistit propter ignis vicinitatem, cui contigua est, atque circulariter cum ipso ad motum celorum rapitur. semper enim vnum elementum circundat alterum, & est altero in de cupla quantitate maius; infima simili modo calida, atque humida ob radiorum Solis repercussionem a terra, temperata per accidens: quandoque frigida, ob Solis elongationem, seu distantiam multam; media autem est perpetuo frigida, quia radiorum solarium reflexio eo pertingere nequit; frigiditatem eius, effectus in ea geniti, probant.

Aer	Supremus,	Calidus,
	Medius,	Frigidus,
	Infimus,	Calidus,

Aquarum natura Triplici virtute fungitur, id est: Liquida, Fecunda, Potabili. Hinc Neptunus aquarum præsul Tridentem ferre pingitur, ipsiq. Amphitritem in cõiugium deputăt. Amphi enim græce circum circa dicimus, eo quod omnibus Tribus elementis conclusa

sit aqua, nempe in Cęlo, Aere, id est, nubibus, & in Terra, vt fontes, & putei.

Aquæ locus { *Cęlum, Aer, Terra.* } *Natura* { *Liquida, Fæcunda, Potabilis.*

Potest & alio modo distingui Trinitas in aqua, vt dicatur

Condensata, Congelata, Liquida. } *In* { *Nube, Glacie, Flumine vel fonte.*

Nubes vna & liquida substantia in hæc Tria potissimum, & vsitatissima soluitur

Pluuiam, Niuem, Grandinem,

Quæ tria, sicut distincte sursum nascentia; ita & in imo efficientia vnum, nimirum Diuinarum Trium personarum mysterium nobis exponunt. quod tetigit Dauid hæc canens de eloquio Dei quod Psal. 147. *pluuiæ comparatur & imbri: Qui emittit eloquium suum terræ. & infra: Qui dat niuem sicut lanam. Postremo grandinem submittens, inquit: Mittit crystallum suam sicut bucellas. Per Crystallum, ob similitudinem, intelligens grādinem e nube deorsum in terram labentem; non autem terrestrem crystallum in subterraneis locis nascentem, quæ haud aliter, quam securibus inde euelli & auferri queat. Quod si non de grandine, quæ cito liquefit a Sole, velit quispiam intelligi; sed malit verti debere intelligentiam ad veram solidamque chrystallum, quam frigus intensissimum vsque adeo strinxit, vt nequeat deinceps ab ignis calore, aut a Solis ęstu, instar communis glaciei, dissolui, huius opinioni vltro subscribam. cum etiam in quibusdam plagis, & partibus Orbis in media aeris regione veram crystallum cum communi grandine gigni, & in terras e nube decidere, frequens experientia docuerit; cuius magnitudinem tangens, bucellę similem dicit, tantum, scilicet, quantum potest vna vice ori hominis intrudi.*

Aquarum motus tribus differentijs adimpletur, Fonte, Fluuio,

Mari,

Mari, Fons prima est aquæ apparitio, & ex ipsis terræ visceribus emanatio, Fluuius medius est earum motus, quo in suum naturalem locum deuehuntur; Mare vero earum est receptaculum, congregatio, status, finis.

Motus aquarum:	*Fons,*	*Initium,*
	Fluuius,	*Medium,*
	Mare,	*Finis.*

Est igitur in Aqua quædam Trinitatis imago. Nec mirum, cum ipsa sit vnum ex illis tribus, quæ testimonium dant in terra ipsi Trinitati beatissimæ, Spiritus, Aqua, & Sanguis. Spiritus, inquam, sanctificationis; Aqua ablutionis; Sanguis redemtionis. Extra de celebr. miss. cap. in quadam nostra.

1. Iohā. 5

Arbor vna est, in stipite coniuncta, in ramis discreta; in quibus hæc Tria profert

Folia, Flores, Fructus.

MVNDVS Trinus.

Tres Mundos figurauit antiquitas, supremum omnium Vltramondanum, quem Theologi Angelicum, Philosophi intellectualem vocant; quem a nemine satis pro dignitate decantatum Plato inquit in Phędro: proximum huic, Cęlestem: postremum, Sublunarem hunc, quem nos incolimus. hos Tres Mundos a Moyse in tabernaculi constructione figuratos fuisse constat. partitus est enim tabernaculum in partes Tres, quarum singulæ, singulos (quos diximus) mundos referunt. Etenim prima pars nullo defensa tecto, imbribus, calori, frigorique obuia, in qua non modo homines, sed et iumēta, sublunaris mundi simulacrum est; Reliquæ duæ partes, obtectæ, & ab omni peregrina iniuria liberæ; quemadmodum vterq; mundus, cęlestis & Angelicus, nec iniuriæ capax, nec contumelię. Ambę item sanctitatis nomine honestatæ, ita tamē vt secretior Sancti sanctarum; altera Sancti dumtaxat titulo decoraretur. in illa enim sacratissima, alata Cherubin erant, Angelicum mundum representantia: hanc, quæ tota auri splendore fulgebat, candelabrum

Io. Picus in Hept.

illuminabat ſeptem lucernis tanquam ſeptem Planetis diſtinctum. Hinc patet myſterium, nam quoniam nobis ad Mundum ſupercęleſtem, reſerata eſt via per Chriſti crucem, ideo illo occumbente, ſciſſum eſt velum templi, quo ſancta ſanctorum ab alijs partibus diſcludebãtur. quo ſignificabatur nobis patere aditum ad Dei regnũ, ad Deum ipſum, qui volat ſuper Cherubin antea ob peccatũ protoplaſti, iuſtitiæ legibus occluſum. Hic autem illud notandum, eſſe hos Tres Mundos, Mundum vnum, non ſolum quia ab vno principio, & ad eundem finem omnes referantur, aut quoniam debitis numeris temperati, & harmonica quadam naturæ cognatione colligentur; ſed quoniam quidquid in omnibus ſimul eſt Mundis, id & in ſingulis continetur, neque eſt aliquis vnus ex eis, in quo non omnia ſint, quæ ſunt in ſingulis.

Eſt.n. { *apud nos* / *in cęleſtibus* / *in Angelicis mẽtib.* } { *Calor qualitas elemẽtaris,* / *Virtus excalſactoria* / *Idea caloris* } { *Ignis,* / *Sol,* / *Seraphic' ĩtellect'.* }

Eſt eodẽ modo { *apud nos* / *in cęlis* / *ſup cęlũ* } *aqua* { *elementaris* / *huius motrix & dnã, veſtibulũ.ſ. cęlorũ Luna.* / *mentes Cherubicæ.* }

atque idem de cęteris elementis iudicari poteſt.

TRINITAS in humano intellectu.

Intelligibilis, immortalis, & incognita animę ſubſtantia ad imaginem, et typicam ſimilitudinem incogniti, & immortalis Dei exiſtit. ſicut enim Deus non eſt aliquid eorum quę ſunt, ſed ab omnib. diuerſus; ita rationalis anima diuerſa eſt ab omni creatura. nam neque Dei, neque rationalis animę ſubſtantiam quiſpiam hominum nouit a Mundi origine. Quis enim auſit affectare, ſeu ſperare ſe poſſe, vel animę, vel Dei ſubſtantiam per imaginationem, nedum verbis concipere? euehit enim ſuper hominis captum. quandoquidem cum Deus ſit vnus, ipſa quoque vnica eſt, non ex partibus, vt corpus, compoſita, ſed eſt ſimplex natura. Et quemadmodum Dei locum neſcimus, vbi habitet, ſed tamen credimus quoniam ſemper

vbique totus est in toto orbe, & totus in qualibet parte, vniuersa viuificans & gubernans, vt in Actis scribit Lucas, dicens, quod in eo viuimus, mouemur & sumus; pari ratione animę locum ignoramus, sed tantum scimus, quia in orbe suo, id est, corpore vbique tota in toto, & tota in qualibet parte corporis est, & operatur, illud viuificans mouens & gubernans. neque enim in maioribus sui corporis membris maior, & in minoribus minor; sed in minimis tota est, & in maximis tota. In hoc etiam ad Dei similitudinem existit anima, quia neque substantiæ Dei rationem humana mens valet comprehendere, neque animę hominis essentiam valet inuenire, vnde, & quomodo ad esse prouenerit. Atque sicut Dei essentia ex his tantum percipitur, quæ in suis creaturis agit & operatur; sic vtiq; cum omnia quæ penes animam ipsam sunt, ignoremus, ex solis quas exercet in corpore actionibus, illius essentiam, atque pręsentiam percipimus. omnis quippe animæ definitio, est tantum quasi nominis expositio, cum reuera essentiam, atque formam animę naturalibus rationibus assequi nequeamus; vnde a fine, & effectis, & accidentibus, tanquam a posteriori, eam notificamus; quod accidentia ad cognoscendum, quod quid est conferre videantur. Præterea sicut Deus, vnus cum sit, nomine non indiget, multis attamen signatur nominibus, quippe qui nomina sortiatur, non ab essentia, sed ex ipsis operibus, quibus maxime viget. ipse est enim Charitas, quę credentes perducit ad Deum: ipse est lux, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc Mundum: ipse est ianua, per quam si quis introierit, saluabitur; sic vtique anima cum sit vna, simplex, innominabilis, indiuisibilis, compositionis, & concretionis omnis expers, plurimis tamen facultatibus & virtutibus instructa, quas per varias edit corporis partes, etiam varias sortitur appellationes. Anima dicitur, quia corpus ex se mortuum animal: Ratio, quia verum a falso tanquam radius quidam Diuinitatis discernit: Mens, quia præterita cogitat, recolit, & meminit: Animus, quia animos inerti præbet corporeæ moli: Sensus deniq;, & Intellectus, quia sensibilia

Cap. 17.

1. Ioh. 4.

Iohan. 1.

Iohã. 10.

& intelligibilia comprehendit. In hoc alio ad Dei imaginem facta legitur anima nostra, quia Deus est Memoria, quæ sui & omnium quæ sunt meminit, quæ Pater nominatur; ex qua nascitur Intelligentia, quæ & vniuersa quæ sunt, intelligit, quæ Filius nuncupatur; ex vtraque Dilectio procedit, quæ se, & cuncta quæ sunt, diligit, quæ Spiritus vocatur. Ipsa anima itidem ad huius imaginem conditur, dum ei Memoria, Intellectus, ratio Dilectionis inditur. præteritorum namque meminit; inuisibilia intelligit; mala respuens, bona diligit. Amplius tres potentiæ Memoria, Intellectus, Voluntas in vna sunt anima; quemadmodum Pater, Filius, Spiritus sanctus sunt vnus Deus. Ex memoria quidem formatur intelligentia. neque enim est ex quo formetur intelligentia ipsa, nisi ex memoria, secundum quod memoria est notitiam rei apud se habere. Nisi igitur apud animam sit notitia, non est quo formetur intelligentia. Intelligentia autem extendente se & notitia, & accipiente id quod verum est in ratione boni, & conuenientis, statim ex memoria & intelligentia formatur appetitus, qui est voluntas, sicut facile a quolibet sapiente intelligi potest. nec enim anima perfecta esse potest, sine his tribus, nec horum trium vnum aliquid, quantum ad suam beatitudinem pertinet, sine alijs duobus integrum constat. sicut igitur ex memoria formatur intelligentia; sic ex Patre in diuinis generatur Filius. & quemadmodum ex memoria & intelligentia extensis, & quasi spirantibus bonum, formatur voluntas; sic ex Patre & Filio, tanquam ex vno spirandi principio, procedit bonum, quod est Spiritus sanctus. intelligentiā & voluntatem tam pro potentia, quam pro actu sumendo. Ipsa quippe Diuinæ Trinitatis imago, vt placet Scoto in primo lib. dist. 3. quæst. vlt. non in solis primis animæ actibus consistit, sed in primis & secundis simul sumtis. Ibi enim non tantum Diuinarum personarum distinctio, origo, atque productio optime refulgent, uerum ipsarum quoque identitates, ac diuinæ essentiæ vnitas expresse repræsentatur. Sicut enim Pater, Filius, et Spiritus sanctus, non sunt

Aug. lib. De cognitione veræ vitæ.

Petr⁹ Galatinus. lib. 2. c. 8. de Arcanis catholicę ueritatis.

Aug. de Spiritu, & anima.

tres

tres Dij, sed vnus Deus, personis excellens Tribus; ita memoria, intelligentia, & voluntas non sunt tres animæ, sed vna solum anima dignitate insignis triplici. Est itaque anima vna, & indiuisibilis substantia, sine sui diuisione trina, discreta in memoriam, intellectum, & voluntatem. Memoria non est intellectus nec voluntas. Intellectus non est memoria, neque voluntas. Voluntas neq; intellectus, neque memoria. Sunt tamen hæc inuicem correlatitia, æquata, & similia, vna insuper eademque animæ substantia. Quare in his tribus Diuinam imaginem gerit in sua natura noster interior homo. In memoria siquidem imago Patris relucet, quia memoria fecunda cum actu dicendi producit verbum. Intelligentia vero imaginem exprimit Filij, quia Filius per modum intellectus & naturæ gignitur. vnde Filius in Diuinis est notitia genita, qua se Pater cognoscit. In uoluntate autem imago Spiritus sancti insinuatur, quia Spiritus sanctus per modum voluntatis a Patre & Filio, tanquam ab vno principio, & vno spiratore procedit. Quare Spiritus sanctus non est nisi amor, quo Pater et Filius se mutuo amāt.

Inest animæ alia Triadis consideratio, adest enim ipsa substantia incorporea rationalis, in qua nunc intellectus & vita est: & quod est in anima substantia, hoc intelligatur, si dici fas est, in Trinitate persona Patris. quod autem est in anima, virtus & scientia, hoc intelligatur in Trinitate Filius, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. & quod in anima viuificandi proprietas, hoc & in Trinitate intelligatur Spiritus sanctus, per quem viuificandi opus multis locis prædicatur impleri, sicut ait Petrus in epistola prima: Mortificatos carne, vificatos autem spiritu. item Apostolus: Littera occidit, spiritus autem viuificat. Et in Euangelio Dominus ait: Spiritus est, qui viuificat. nam caro non prodest quicquam. Hæc autem quæ diximus tria singulariter sequestrata nullatenus inueniuntur, quamuis intellectus noster ea distincta possit aduertere; sed ita naturaliter sunt vnita, vt dum vnum horum se obtulerit, simul Tria semper occurrant.

Cassiod. i Psal. 50

1. Pet. 3.
2. Cor. 6.

Io. 6.

Anima,

Anima,	*Pater,*
Virtus, & scientia,	*Filius,*
Viuificandi proprietas,	*Spiritus sanctus.*

Possumus & alio modo ex his quæ his quæ in nobis sunt, ea quæ supra nos sunt intelligere, atque imaginari. in nobis enim & Mens est, & Sermo, & Spiritus. Hæc autem tria inseparabilia sunt, & æqualia. Et quidem Mens Sermonem impatibili modo gignit; Sermo autem sine Spiritu ex Mente progredi nequit. Ita fit, vt quamquam in nobis Tria sint, unus tamen homo sit, iuxta id, quod in Tribus personis intelligitur, eo quod Mens & Sermonem, & Spiritum habeat. Eodem modo Pater, Filius, & Spiritus sanctus Tres quidem personæ inseparabiles, vnus autem Deus. Et Pater citra passionem Filium generat, Filius rursum sine Spiritu non est.

Mens	*Sermo*	*Spiritus,*
Pater	*Filius*	*Spiritus sanctus.*

Est item anima nostra vna persona; anima vero producit Sermonē, & Sermo producit Spirationem, sunt ergo Tria, Anima, Sermo, Spiratio. Anima est ad modum Patris; Sermo animæ, ad modum Filij & verbi Dei; Spiratio animæ, ad modum Spiritus sancti. Anima est ingenita, Deus Pater ingenitus est. Sermo generatur ab ipsa anima, et verbum Dei a Patre generatur. Spiratio ab Anima et Sermone, Spiritus sanctus a Patre, Filioque procedit. Anima, Sermo, & Spiratio, anima vna, & non Tres: ita & Pater, Verbum, & Spiritus sanctus vnus Deus, & non Tres. Inseparabilis anima, & Sermo, & Spiratio, vna anima & non Tres. Inseparabilis Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.

Anima	*Sermo*	*Spiratio,*
Pater	*Verbum*	*Spiritus sanctus.*

Adhuc Tria considerantur in Homine, Esse, Nosse, Velle. Sum enim, & noui, & volo; sum sciens et volens; & scio esse me, & velle vt sim; & volo esse, & scire. In his tribus quam sit inseparabilis vita, & vna vita, & vna mens, & vna essentia, quam

Aug. lib. Confess.

denique

denique inseparabilis distinctio, et tamen distinctio, videat qui pōt.

Potest & alio modo distingui Trinitas in Anima: Mens, Notitia eius, & Amor, Tria sunt. Mens nouit se, & amat se; nec amare se potest, nisi se nouerit. Duo autem sunt Mens, & Notitia eius. Duo item sunt Mens, & Amor eius. Cum ergo se nouit mens & amat se, manet Trinitas, videlicet, Mens, Amor, Notitia. Hæc autem tria, cum sint a se inuicem distincta, dicuntur tamen esse vnum, quia in Anima substantialiter exsistunt. Ecce iterum mēs intelligit se, diligit se. hoc si cernimus, Trinitatem cernimus. Mens rationalis est vna, & de se generat intellectum, vna vnum; quem nnnnunquam dum conspicit quam subtilis, quam verus sit, & quā iucundus, mox diligit eum, & sibi complacet in ipso. Considera ergo tria hæc, Mentem, Intellectum; Amorem. De Mente nascitur Intellectus; de Mente pariter & Intellectu Amor oritur; de sola Mente, Intellectus; quia Mens de se gignit Intellectū; Amor vero nec de sola Mente, nec de solo nascitur Intellectu, sed ab vtrisque procedit. sicut Pater generat Filium, à Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus; sic Mens generat Intellectum, a Mente & Intellectu procedit Amor. Amplius, sicut Mens, Intellectus, & Amor vnum sunt; sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnum sunt. Tres vnum sunt, quia in Tribus personis est vna substantia. Tres vnus non sunt, quia ille, qui genitus est, non potest esse ille, a quo genitus est. neque item ille, qui a gignente, & genito procedit, ille esse potest, qui est gignens, vel genitus. Quare inexpugnabili veritatis ratione cogimur in Deitate personarum, Trinitatem, et Vnitatem cognoscere substantiæ.

Aug. de Trin. lib. 9. cap. 4.

Aug. de Tri. li. 14. cap. 7. Pet. Lōb. sentēt. 1. dist. 3. Hugo a S. Vict. libro de Trinitatis summe p visibilia agnitione cap. 21.

Tres sunt partis Animæ principis operationes, quas anima ēt extra corpus, absq; organorum adminiculo, vel etiam a corpore segregata, post mortē potest exercere. eas Philosophi uocant mere animales operationes, quia sine corpore, vel extra corpus a sola Anima queunt effici. Ipsæ sunt Tres animæ rationalis vires,

Intellectus, Affectus, Voluntas.

quarum

quarum duæ posteriores recte etiam appetitus intellectiuus appellantur. Et sic est quidam animæ motus, quo localiter anima mouetur, etiam extra corpus & a corpore separata, quo moueri oportuisset animam Hermothæi Clazomenij, si verum fuisset ipsam extra corpus errare in longinqua consueſſe, ac inde redire in corpus. qualem fingit & Diuinus Plato in fine de Repub. Socrat. de anima Heri Armeni genere Pamphili, qui, cum duodecimo post mortē die in rogo fuisset positus, reuixiſſe dicitur. Hoc motu non organico motæ, & regressæ sunt animæ suscitatorum, puta Lazari quatriduum iam mortui. Tali motu feruntur iam beatorum, & damnatorum animæ, sicut & appetunt iam affectu, vel appetitu intellectiuo, non organico.

Plato de Republ. lib. 10.

Plato ex Timæo Locrensi, et cęteris Pythagoreis Tres enumerat animæ partes, siue potentias: Iraſcentiam, quam statuit in corde; Concupiscentiam, sub medio septo, in iecore & splene; Rationem, in cerebro, tanquam in arce mandatricem operum (vt inquit Claudianus) prospecturamque labori. Per concupiscentiam ad Dei amorem excitatur: Per rationem vero scientiam, & sapientiam ab ipso Deo accipit: Per iram spirituales nequitias repellit & abdicat. In qua quidem diuisione imago Dei rursus describi potest. omnes. n. tres partes vniuersitatis, cęlestia dico, terrestria, & quæ infernorum sunt, tribus modis dispensat & gubernat, conditrice uidelicet potentia, sapiente prouidentia, & expultrice vitiorum clementia. omne. n. quod facit, secundum aliquem horum Trium modorū perficit, aut condendo, aut præsciendo, aut castigando. Concupiscibilitas igitur animæ quodammodo conditioni Dei aſſimilatur. si quidem concupiscentia producit concupiscentem ad actum; Rationalitas autem Dei præscientiam imitatur; sed iraſcibilitas ad Spiritum sanctum pertinere videtur, iuxta illud: In Spiritu Dei eijcio dęmonia. & illud: Cum venerit Paracletus arguet mundum de peccato &c. Ex concupiscibilitate ratio emanat & iraſcibilitas. nā antequam loquatur puer, vbera concupiscit, & somnum appetit. similiter autem ratio iraſcibilitatem præcedit; etenim ante quam discernat,

Hugo Eterianus lib. de regreſſu animarū ab īferis. Philip. 2.

Matt. 12.

Iohā. 16

scernat,

scernat, nequaquam irascitur virtus, sunt tamen tria simul in anima, sed non simul apparentia. Quemcumq; igitur scire delectat quomodo ad imaginem Creatoris sui formatus sit, hæc scrutetur, suæ ipsius naturæ constitutionem perquirat, quæ sint huius partes, & quæ sint partes partium; quomodo cum vna sit anima in Tribus consideretur; & cum vna sit in substantia, nõ tamen vna est in speculatione suarum partium, cum habeat concupiscentiam, rationem, & iram. Si concupiscentiam boni ab anima separas, desinit esse anima; si rationem seiungas, irrationalem ipsam constituis; si mentem amoueas, erit vtiq; mortua, et non viuifica. liquet igitur Tria esse in anima, secundum rationem, vnum secundum naturam, & secundum substantiam. hæc autem Tria incomprehensibilia, & indiuisibilia. semper enim est anima vna.

Anima rursus in Tribus corporis partibus præcipue residet. secũdũ Peripateticos.n. sedem suã habet in corde; secũdum alios, in posteriore parte capitis, quæ caua vocatur; et in basilicis seu regijs venis. In his Tribus corporis partibus viget anima. quare si cor vulneretur, aut ex basilica vena aliqua multum sanguinis effluat, aut si caput ac cerebrum cædatur, vel gladio secetur et abscindatur, statim a corpore secedit anima, & mortuum corpus relinquit. In istis porro Tribus partibus anima principaliter sedem habens, in totum corpus vitam distribuit. In hoc etiam ad Dei imaginem factus est homo, quod Tres sunt facultates principes, corpus humanum quandiu sua integritate fruitur, dispensantes.

Martianus Capella.

Animalis *Vitalis* & *Naturalis*.

mysterium quidem Diuinæ Trinitati simile. Nam sicut Deus vnus, Trinus, ac perfectus vniuersa complectitur, implet, fouet, superexcedit, & ambit; ita & anima Tribus hisce facultatibus per totum insinuatur corpus, non quidem locali extensione, sed ita vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte. Animalis facultas ex Platone & Medicis fere, in proprio cerebri temperamento sedem habet, vnde in omnes corporis partes sensum & motum habituras

bituras per neruos distribuitur. hæc Trium est generum, Mouens enim alia est, alia Sentiens, tertia Princeps. Mouens agit ope musculorum & neruorum; atq; itidem Sentiens, quæ in sensibus exterioribus apparet, & consistit. Princeps complectitur.

Rationem seu dianoeam, Memoriam, & Phantasiam.

Vitalis sedet in corde, vnde calor innatus & vita toto corpori maxime per arterias dispensatur. Vitalis autem facultatis insignior, & euidentior actio, pulsatio est, & peruix illa cordis & arteriarum agitatio, quæ corpori Triplicem præstat vsum. Cordis.n. atq; arteriarum dilatatione Spiritus vitalis allecti aeris beneficio, fouetur; contractione cordis fuligo repurgatur; vtroq; autem corporis vniuersi calidum innatum temperatur. Naturalis potissimum facultas secundum Platonem & Medicos, sedem sibi præcipue delegit in iecore. hæc nonnullis dicitur anima Vegetatrix, uegetans etiã plantas nedum corpora animalium, in Tres alias rursum facultates distincta. Anima .n. Vegetatiua est actus substãtialis corporis naturalis organici, quo id ipsum nutritur, augetur, & generare potest, sicut anima plantæ est vis, qua planta nutritur, crescit, & seminalem vim habet ad propagandam suam speciem. inest siquidem plantis sola vegetatiua anima. Quare ex prædicta definitione Tres animæ vegetatiuæ operationes eliciuntur.

Pulsationis vsus triplex.

Nutritio, Augmentatio, Generatio.

Nutritio est alimenti extrinsecus aduenientis conuersio in substantiam nutriti corporis, per vim caloris naturalis, qua recuperat corpus quod perdiderit, cui Tres a Philosophis animæ operationes attribuuntur, dimissa expultrice.

Attractio, Retentio, Digestio seu concoctio.

Attractio, seu assumtio alimenti Trino fit actu. aut per propriam virtutem attrahendi seu occultam, vt magnes attrahit ferrum; aut per vacui impletionem, quod nequit admitti, sicut aqua sursum attrahitur; aut transuersum per siphones; aut per calorem stomachi

& hepatis, vt lychnus, ardens in lampade, attrahit oleum, aut alium humorem pinguem.

Attractio alimenti trino fit actu vel per { Virtutem occultam: Vacui impletionem: Calorem stomachi & hepatis.

Digestionis seu concoctionis, qua alteratur alimentũ, & digeritur per calorem naturalem et humorem, Tres sunt operationes prima est emollitio, et maceratio alimenti in humido, vt in plantis: secunda est quædam ceu coctio, & elixatio alimenti in stomacho corporis animalis, quemadmodum caro elixatur in olla: Tertia fere est assatio, cum assatur alimentum, solidiusque fit, a quo etiam nutriuntur ossa, & cartilaginea membra, nedum carnea, vt aliqui sentiunt. Tres igitur sunt operationes Digestionis,

Emollitio, Coctio, Assatio.

Habet & augmentatiua operatio Trinitatis perfectionem. Quẽadmodum.n. Nutritiuæ operationis est Alere, Nutrire, et Mouere substantiam corporis animati; sic Augmentatiua potentia corporis animati auget quantitatem in Longum, Latum, Densum. Quare & Medici illam vocant naturalem crescendi Virtutem, quã sic diffiniunt: Augmentatio est conuersio alimenti extrinsecus aduenientis in substãtiã corporis, vel membri alti, per naturalẽ calorẽ, qua corpus vel membrum recuperat plus quam perdit crescens in Longitudinem, Latitudinem, Densitatem. Ceterũ sicut augmentatio, & nutritio ad conseruationem pertinent indiuidui; pari ratione ad suæ speciei conseruationem valet generatio. ea.n. sic deffinitur: Generatiua potentia est qua corpus animatũ anima uegetatiua, gignit ex se aliud animatũ corpus, simile sibi in specie, ad cuiuslibet animatæ speciei perpetuam conseruationẽ propagationis, cui Tres a Medicis operationes attribuuntur, Spermatica seu virtus, qua alimentum & humor in semen commutatur: altera immutatrix, qua semen in partes corporis generandi incipit transmutari, vt in sanguineum, carneum, osseum. Plasmatiua vel informatiua

tertia,

tertia, qua semen mutatur forma in germen, vel embrionis formam, id est, in factum nondum perfectum, neque animatum.

Generatricis potentiæ trina operatio { Seminatiua, Immutatrix, Plasmatiua.

Hominis nutritio Trinis membris perficitur, Ore, Stomacho, Hepate. cibus enim ab ore assumitur; recipitur, continetur, & conseruatur in stomacho; postremo ab hepate concoquitur, & digeritur transiens in venas, & tandem in animalis substantiam. Quemadmodum autem illis Tribus corporis partibus confertur alimẽtaria substantia, priusquam vertatur in sanguinem; ita & intellectualis species, priusquam mentem pascat sapientis, Tres in animo recipit status, primum in Intellectu; secundum in Memoria; tertiũ in Contemplatione, per quam iterum confertur intellectui. Est.n. Intellectus Ori: Memoria Stomacho: Contemplatio vero Hepati analoga. Os siquidem & Intellectus, anteriores sunt partes naturalesq; valuæ, quibus tam corporea, quam spiritualis alimonia est introducenda: Stomachus vero & Memoria interiores partes sunt corporis & animi, quarum ille procedens manansque ab ore, excipit alimentum; hęc autem irrumpentibus per intellectum notionibus, it obuiam, illasq; colligit, & conseruat: Hepar autem et Contemplatio hac ratione respondere probantur, quod illud quidem introductam ab ore, & a stomacho conceptam alimoniam coquit, digeritque in sanguinem; hæc vero pariter immissam per intellectum, & a memoria conceptam, atque reseruatam notionem, digerit, ordinat, rursumque intellectui offert. Has autem corporis, & animi functiones hac verborum serie exprimere vel facile possumus.

Os	Stomachus	Hepar
Cibi asumtio	Conseruatio	Coctio
Intellectus	Memoria	Contemplatio
Speciei apprehensio	Reseruatio	Representatio

Primum,	Secundum,	Tertium,
Per se,	A primo,	Ab vtroq;
Pater,	Filius,	Spiritus sanctus.

Trino rursus calore atque igne præparatur, & concoquitur hominis cibus; primo quidem Cęlesti; secundo Elementari; tertio Humano: Sole, Igne, Hepate. Hisce tribus ignibus præparatur alimentaria hominis substantia, priusquam ex materia conuertatur in sanguinem. Nempe a Sole maturantur fructus, herbæ, plantæ, & animalia gignuntur; deinde ab elementari igne, quidquid in eis cruditatis, contrarij, & superflui humoris est, exhalatur ac resoluitur; postremo in homine, hepatis calore, in sanguinem omnia conuertuntur.

Trinus calor,	Cęlestis, Sol,	Proprietates	Maturitas,
	Elemētaris, Ignis,		Coctio,
	Humanus, Hepar,		Digestio.

Tribus etiam speciebus pascitur, & eruditur Anima.

Marsi. fic. Theol. Platon. li. 4. c. 2.

Sensibili,	nempe a	Mundo,
Imaginaria siue phantastica,		Corpore,
Rationali seu intelligibili,		Seipsa.

Mundus. n. sensibilem mittit, vibratque speciem. Corpus imaginationis speciem, vt spectrum animæ præsentat, proponit, & offert. Rationalis species, & in anima subsistit, & ab anima animæ præsentatur; Et in hac sola consistit Hominis

Scientia, Eruditio, & Consummatio.

Bona omnia, & Hominibus expetibilia, sunt in triplici genere, nam vtilia, aut honesta, aut delectabilia, Vtilia quidem sunt corporis bona, naturalesq; corporis necessitudines, vt vestes, cibus item et potus, sine quibus saluari nequit humanum corpus. Honesta vero bona sunt disciplinæ omnesq. Virtutes, quæ propria sunt animi bona. Delectabilia autem sunt sine quibus esse quidem pōt ani-

malis corpus, hilaritatẽ tamen & iocunditatem præstant, vt varij flores, & vnguenta; quo fit vt hominem partiamur Tres in partes. Corpus, Animam, Totũ. vt bona Vtilia referantur ad corpus: Honesta, ad animum: Delectabilia, ad compositum. Alia quippe sunt Corpori propria; alia Animo; alia Vtriq; communia, quæ composito sunt propria. Corpus per se deorsum ad inferiora rapitur, Anima suapte natura ad superiora tollitur, Compositum vero nexus est, et amor vtriusq;, quo continentur ambæ partes in medio. Itaque alia sunt bona ob quæ disquirenda deprimitur diciturq; corpus in Mundum: Alia vero quorum amore oblita nesciaq. corporis anima, se se quodammodo illius claustris exerit tollitq; pro viribus ad Sydera: Alia denique sunt, quæ vtrique parti epithalamiũ siue hymenæum canunt, quibusque coercentur in medio, copulantur inuicem, coeuntq. in toto. Erit igitur trina rerũ positio seu susceptiua potentia et locus,

Plato de legibus lib. 4.

Corpus, Anima, Mundus.

quod vniuersa hominis bona sint, vel in Corpore, vel in Anima, vel in Mundo, tamquam in potentia, in subiecto, & in continenti loco.

TRINITAS in sensibus exterioribus.

Eodem modo Tripartiti sunt sensus, Vtilium, Honestorum, Delectabilium. Tactus & Gustus fere vtilium sunt bonorum; visus & Auditus, honestorum; Odoratus, delectabilium. Tactus .n. & Gustus omnibus animalibus ad naturalium necessitudinum prouidentiam a natura deputati sunt: ita vt præsente tactu, statim id cui inest dicamus esse animal atque eo absente non esse animal. Comitatur autẽ Gustus Attactum, nec ab eo vnquam separatur. Vt .n. is iudex est naturalis, conuenientisq. loci: ita & ille prætentator naturalis conuenientisq. alimenti. Visus & Auditus disciplinæ sensus vocantur omnium præstantissimi et liberalissimi, qui vt Gustus & Tactus ad corporis carnisq. salutem; ita & ipsi ad spiritus, atque animi pastum, eaque haurienda, quæ animum erudiunt virtuteq. consumantur, facti atque instituti a natura videntur. vera .n. animi bona sunt disciplinæ, scientiæ, omnesque virtutes, & quacumque

cumque

cumque propter se bona sunt, quæ liberalia, & honesta nuncupantur. Odoratus autē, qui æqualis mediusq. sensus dici potest, honestior quidem & liberalior est Gustu, & Tactu; minus tamen liberalis visu & Auditu, minusq. animo aut corpori proprius, quam extremi. is. n. factus est partim vt animam in corpus temperet, carnemq. emolliat odoribus suaue olentibus, qui magis in hominum oblectamentum, quam per necessarium vsum multo sumtu comparantur. Adhuc etiam in quolibet sensu exteriori relucet qualecumque vestigium Trinitatis. nam vt vno testimonio vtamur oculorum, quando quod vnus renunciat etiam in ceteris valet, visio, res visibilis, videns, tria hæc sunt consideranda cum aliquod corpus videmus, primo ipsa res quam videmus, vtpote turrim, quæ vtiq. iam esse poterat antequam videretur; deinde visio, quæ non erat priusquam obiectam sensui turrim sentiremus: tertio quod in ea re quę videtur, quandiu videtur, sensum detinet oculorum. In ijs igitur tribus manifesta est distinctio, & discreta natura.

Humanitas vitrina.

Visus,	Visibile,	Videt:
Auditus,	Audibile,	Audit:
Odoratus,	Odorabile,	Odoratur:
Gustus,	Gustabile,	Gustat:
Tactus,	Tangibile,	Tangit.

TRINITAS in materialibus cognitionibus.

Sex sunt materiales cognitiones, internus sensus vnus qui communis dicitur, & externi quinque, in quibus miro responsu, & congruentia, Trinitas elucescit. sensuum enim alij sunt præsentatiui ministrantes, & obiectitij; passibiles alij inferiorum iudices arbitri præcipui, & eorum quæ ab illis offeruntur susceptiui. Manus enim quę tactus quidam sunt, oculis ministrant scripturas, colores, & omnium picturarum varietates; Os auditui vocis concinentiam omnemque harmoniam offert; Odoratus cerebrum imaginationis locum varijs inspirat odoribus. Tres igitur sunt qui offerunt & ministrant sensus,

Carolus Bouil. li. de sensibus.

Tactus, Gustus, Odoratus.

Tres item quibus ministratur,

Visus, Auditus, Imaginatio.

Tria sunt et quę offerũtur, quibusq. hi ab illis pascuntur et aluntur,

Color, Vox, Odor.

Insunt igitur sensibus trinæ Trinitates; prima ministrantium sensuum; secunda eorũ quibus ministratur; tertia obiectorum, quæ ministrantes præstantioribus offerre iubentur.

Humanitas vnitrina.

In Humanitate, quadam participatione, videmus trinum, et vnũ Deum. quanto magis.n.creatura Deo similis, tanto magis trina, & vna. Video quidem vos oẽs esse homines; per essentiã igitur Humanitatis estis homines. Video plures esse in essentia humanitatis, et id per quod subsistit Hominũ pluralitas, & sic est Unitas, quia Vnitas est ex qua pluralitas, quoniam pluralitas est explicatio Vnitatis. Video vos esse inæquales. Vnde sicut inæqualitas sequitur pluralitatem, et ex ea oritur; eodem modo in essentia Humanitatis, ab Humanitate exoritur substantia inæqualitatis. Inæqualitas aũt per æqualitatem subsistit. Quare in essentia Humanitatis est Vnitas, a qua æqualitas. Video vos diuisos, & ab inuicem separatos, sed diuisio seu separatio procedit a pluralitate, & inæqualitate. quare in essentia Humanitatis reperitur id, in quo subsistit diuisio, quod procedit ab Vnitate et æqualitate, et id est cõnexio. habemus igitur Diuinę Triadis imaginem in simplicissima essentia Humanitatis, ex qua per quam, et in qua Homines id sunt quod sunt, propter quod nisi Humanitas vnitrina esset, per ipsam Homines esse non possent.

Etiam ex tribus personis manuducimur ad Diuinæ Trinitatis inspectionem, & contemplationem. Non ita dicimus esse plures Humanitates, sicut plures Homines; sic non idem est Humanitas & Homo. sed idem est Deitas, & Deus, propter simplicissimam essentiam Diuinam; vnde sicut non sunt plures Deitates; ita nec plures Dij, & non sunt nisi tres personæ in Humanitate, videlicet: Ego, tu, ille, vnde vere dicere possum,

Ego

Ego ſum homo, Tu es homo, Ille eſt homo.

Et ſunt tres illæ perſonæ eiuſdem Humanitatis. Vnde igitur haberent hoc tres illæ perſonæ, niſi Creator Deus eſſet ſimili modo Trinus in perſonis, & Vnus in eſſentia? Pōt igitur Deus dicere:

Ego ſum Deus, Tu es Deus, Ille eſt Deus,

eiuſdem Deitatis. & non ſunt tres Dij; quia non ſunt tres Deitates; ſed ſunt vnus Deus, quia vna Deitas, quæ Deus. Certum eſt tres perſonas in vnitate non eſſe vnitatem, ſeu ſingularitatem; & tres perſonas in numero non eſſe niſi numerum & pluralitatem. Et veraciter dicimus tres eſſe diuinas perſonas vnitate, non in numero; & tres humanas perſonas in numero dicimus, ideo plures homines.

TRINITATIS veſtigium in hominis creatione, & propagatione.

Humana ſpecies tantum vna eſt, Trino tamen actu a Deo ſubſtantialiter condita atque perfecta. Adam primus homo, & per ſe, & a nullo; Eua ex Adam, ab vno; Seth ex Adam, & Eua, ab vtroq;. Quid tādem Adam erat? Dei figmentum. Tum quid Eua? figmenti ſegmentum. Quid autem Seth? vtriuſq; ſoboles. Quæ eiuſdem inter ſe ſubſtantiæ ſunt. non idem autem figmentū, ſegmentum, & ſoboles. Eua.n. & Seth ex eodem Adamo ſunt. ex quo.n. alio? non tamen ſimiliter ambo ex eo progeniti ſunt, quia altera ſegmentum eſt, alter proles. Atqui omnes inter ſe ſpecie idem ſunt. hoīes.n. nemoq; eſt qui inficietur. Adaperit hoc Diuinæ Triadis myſterium Iohannes de Silua, hunc in modum ſcribens Tract. de Beneficio: Moriente aliquo campanæ debent pulſari; pro Muliere quidem bis, pro eo quod ipſa inuenit alterationem. primo enim fecit hominem alienum a Deo, quare ſecunda dies non habet benedictionem. Pro Viro autem Ter pulſatur, quia primo inuenta eſt in nomine Trinitatis. primo enim formatus eſt Adam de terra; deinde Mulier ex Adam; poſtea homo creatus eſt ab vtroque. & ita eſt ibi Trinitas. Protulit igitur Diuina Mens primo humani generis Actum, Virum; deinde ex Actu, potētiam, id eſt,

Par. 1. q. 5.

Mulierem, eduxit; tertio ex ambobus extremis actu s. & potentia, viro & Muliere, eorum medium, amborum scilicet, Filium, per quē humana species Trinū, totum perfectumq; esse naturaliter est adepta. Mitto tria hominū genera apud Platonem Marem dico, et Feminam, tertium ex vtroq; cōpositum, cuius integra cuiusq; hominis species, atque rotunda, dorsum, & latera circum habens, manus quattuor, & paria manibus crura, vultus duos, Masculinum genus Sole genitum dicentes, Femininum Terra, Luna promiscuum.

Plato in Sympo-sio.

Trini sunt infantis status,

In vtero, In natiuitate, Post natiuitatem,

In minore mundo, id est, in suæ conceptionis loco, cum adhuc matris vtero inest: In maioris, & minoris medio. medius .n. status est natiuitatis tempus: In mundo maiori, quo ætate proficit, & sapientia consummatur.

Homo trinis positionibus in loco & quiete variatur & differt. aut enim Iacet, aut Sedet, aut Stat.

Iacere noctis est, & somni positio: Sedentaria positio medij temporis est matutini, aut serotini, cum aut somno expergiscitur, aut incipit dormire: Stare vero perfecta est, & meridiana hominis positio.

Gradus omnes humanę vitæ ad Trinitatem reuocari.

Seruius Tullius, vt ex Tuberonis historia refert Gellius lib. 10. vitam omnem in tres partes distribuit. Prima hoc est pueritia nihil magnifacit, vt pote quæ nondum integra est & perfecta: vltima, videlicet, senectus, eodem quo prima modo nihil boni in se habet, vt quæ debilis, marcida, sine viribus, sine memoria, plerumque & delira: media est, in qua discimus, sapimus, docemus, valemus, honores gerimus, res magnificas & memoria dignas facimus. Huius ætatis perfectione Propheta regius priuari nolebat, quando Dominum his verbis suppliciter orabat: Ne reuoces me Domine in di-

Psal. 110.

in dimidio dierum meorum. Quare Hesiodus poeta sapientissimus illud præceptum memoriæ dandum existimabat. Incipiente vini vase, & in fine pota quantumlibet, veluti non ita perfecto; in medio autem tamquam perfecto, vtere parsimonia. quod licet aliqui de vino dictum putent, quoniam vinum in summo vasis, & in infimo insuaue est (optimum enim mel in infimo, vinum in medio, in summo vase oleum); sapientes tamen allegorice ad humanam vitam referunt, ita interpretantes vt in pueritia, & in senecta teras & abutare tempore vt libet; & eas ætates, quæ nihil fere vtilitatis in se habent, nihil facias; mediam vero ætatem magnifacias, & non consumes, sed parce expendas, quoniam ea est perfecta, &, vt medium in vase vinum, suauissima. Ad hos humanæ vitæ gradus referunt Theologi Tres vigilias, de quibus apud Lucam dicit Veritas: Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. & si venerit in prima vigilia, & in secunda, & tertia, & inuenerit sic facientem, beatus ille seruus. quem Euangelij locum dilucidans Haymo hunc in modum scribit: Varietas vigiliarum, diuersitatem significat humanæ vocationis. prima. n. vigilia primæuum est tempus nostræ ætatis, idest, pueritia: secunda vigilia, adolescentia, vel iuuentus, quæ pene idem sunt, Salomone dicente: Lętare iuuenis in adolescentia tua: tertia vigilia est senectus; cum vero Dominus nonnullos in pueritia bene operantes ab hac vita vocat, quasi ad seruos vigilantes in prima vigilia venit. si quis ergo in prima vigilia vigilare noluerit, saltem in secunda vigilet, idest, si quis in pueritia a bono opere torpuit, saltem in adolescentia, vel iuuentute somnum torporis a se excutiat, & dum virtus corporis viget, in bono opere se exerceat: si quis autem tam negligens, & desidiosus fuerit inuentus, vt nec in prima, nec in secunda vigilia vigilauerit, saltem in tertia, idest, in senectute iam resipiscat, & tunc vigilare non timeat, cum parum vigilaturus sit. neq;.n. sero conuersos Diuina pietas despicit, qui per Prophetam

Cap. 12.

Eccles. 11.

ait: Peccator quacunq; die conuersus fuerit, & ingemuerit, saluus erit. Hactenus ille. Hi sunt Tres anni, in quibus venit Dominus vineæ quærens fructum in ficu, & non inuenit. Solet.n. scriptura diuina vocare ficum, animam quæ tenetur in peccatis; & vineam, fidelium Ecclesiam. Quoniam ergo in Ecclesia multi viuentes non pro dignitate fidei, non vitis appellantur, sed ficus, vt qui ab ineunte ætate mores non mutauerint; iuremerito lenis ac patiens Deus dicit viticolę, seu Angelo Ecclesiæ: Ecce iam tres annos venio quærens in hac ficu dignos pœnitentiæ fructus, & non inuenio. excinde eam, nam cur terram toto vitæ tempore frustra occupat?

Luc. 13.

TRINITAS in hominis compositione.

Hominem Tribus ex rebus constare, Anima.s. Corpore, & Spiritu astruit Apostolus. Non quod secundum substantiæ vim aliud sit spiritus, aliud anima. neq;.n. duo rationalia insunt homini; sed quod ratione sola, ea seorsum considerantes, aliud esse spiritum dicamus, aliud animam. vocamus.n. spiritum, actum ipsius animæ dexteriorem humilioremq; vim, qui spiritus est idem, puto, qui & intellectus, siue ipsa mens, sicut in Esdræ libris accipi animaduertimus. Spiritus, personæ Patris figuram repræsentat; & corpus personam Filij; & anima quasi vtriusq; naturam participans, ab vtroq; procedentis personam Spiritus sancti.

1. Thes. 5. Hebr. 4. Olympiodorus in Ecclesiasten.

Inter partes corporis organicas Tres etiam existunt, quarum potentia corpus administratur, quas ob id regentes, & principes, quod alias omnes regant, appellant Iecor, Cor, & Cerebrum. Principes autem dicuntur, non quod ad vitam necessariæ sint. nam ventriculus, aspera arteria, pulmones, renes, vesica, & aliæ similes partes ad vitam fortasse æque necessariæ sunt; sed quod ex illarum trium qualibet vis aliqua, potentia, & facultas, aut etiam materia, in vniuersum corpus dimanat vniuerso corpori necessaria, cum nihil tale a reliquis partibus influat. Namq; a Iecore materia ad alendum idonea per venas in totum corpus distribuitur; a Corde

de vis vitalis per arterias diffusa, vniuerso corpori vitam impertitur; à Cerebro per neruos vis in omnes corporis partes deriuatur, quæ motum & sensum ipsis elargitur.

TRINITATIS vestigium in Humano corpore.

Tribus suturis humanum caput distinctum est, anterior vna quæ Coronalis dicitur, Lambdoides posterior, media Sagitalis. Eas Theologi Trium in Diuinis personarum significationem optinere opinati sunt, quæ cohærentes, eademq; sentientes illud procrearunt, & vti supera contempletur, formauerunt. Quod vero ipsæ Tres suturæ in vnum denuo coeant, substantialem, naturalemque ac vnius potentiæ vnitatem sub vna potestate repræsentant.

Meletius de Natura hoīs.

Sicut digitus cum manu & brachio, manus vero & brachium vnum sunt corpore in natura; ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Tres quidem sunt personæ, vna autem substantia Diuinitatis. Hinc in Euangelio Digitus Dei, singulariter, Spiritus sanctus accipitur, à quo Spiritu sancto Lex scripta narratur.ipse.n. scripsit, qui scribenda dictauit, id est, Spiritus sanctus.

Luc. 11.

Est pręter hęc in Humano corpore quoddam Trinitatis diuinæ vestigium. cum enim Tres pręcipue numerentur sensibilis Mundi partes,

Firmamentum, Sol, Terra,

(quandoquidem vniuersam sensibilis Mundi fabricam nuncupamus quod est a cētro terrę ad conuexū et ambitum firmamenti, qui est terminus uisus, totiusque sensus finis) in humano corpore Trias hęc inuenitur Mundo proportionabilis. Hominis cęlum, siue Firmamentum, aut stella est eius cerebrum. Hominis Sol seu Planeta, est eius cor, situs in eius medio. Hominis elementum, aut terra est eius venter, aut ima pars ventris, natura humida, a qua cordis calor non secus, quam Sol a terra nubes & vapores eleuat, tollitque ad animalis culmen.

Mun-

Mundus	*Terra,*	*Sol,*	*Firmamentum:*	*Proportio-nabilia.*
	Elementum,	*Planeta,*	*Stella fixa:*	
Homo	*Venter,*	*Cor,*	*Cerebrum:*	
	Ima pars,	*Medium.*	*Suprema pars.*	

Secundum distinctionem mundi angelici, cælestis, & elementaris, sunt in humano corpore tres partes, ita disclusæ & separatæ, vt tribus mundi partibus proportione respondeant. Prima quidem et suprema, caput; secunda quæ a collo ad vmbilicum protenditur; tertia quæ ab vmbilico extenditur ad pedes. est in capite cerebrũ fons cognitionis: est in pectore cor, fons motus vitæ & caloris: sunt in postrema parte genitalia membra, principium generationis. Sic & in mundo, suprema pars, quæ est mundus Angelicus seu intellectualis, est fons cognitionis, quia facta est illa natura ad intelligendum: pars media, quæ est cęlum principium vitæ motus & caloris, in qua Sol veluti cor in pectore dominatur: est infra Lunam, quod omnibus notum, generationis principium & corruptionis. Vide quam apte Tres maioris & minoris mundi partes inuicem congruant.

Mundus	*Supremus,*	*Medius,*	*Infimus:*	*Proportionabilia*
	Intellectualis,	*Cælestis,*	*Sublunaris:*	
	Angelus,	*Sol,*	*Elementum:*	
	Cognitio,	*Vita et calor,*	*Generatio:*	
Homo	*Caput,*	*Pectus,*	*Postrema pars ventris:*	
	Cerebrum,	*Cor,*	*Genitalia:*	
	Suprema,	*Media,*	*Infima.*	

TRINITAS in Artifice.

Nic. Cusa. excit. libro 8. Sanctus.

Ars oritur de exercitio artificis, & est artificium in arte, vt Pater in Filio; et ars in artificio, vt Filius in Patre. hoc autem quod conseruat operantem in opere, est delectatio, quę est hoc bonum quod procedit ex exercitio, & arte. Tres igitur caussas ex artificiato deprehendimus, scilicet, efficientem, formalem, & finalem,

& vna

& vna non est alia, coincidunt tamen in vnitate magistri, qui est caussa,

Efficiens, Formalis, Finalis.

TRINITAS in omni opere intellectualis naturæ.

Sicut Creator omnium est purus intellectus, qui de se generat suum verbum, seu conceptum, siue ideam rerum creabilium, & ex ipso patre, qui purus intellectus, & verbo eius procedit spiritus, seu voluntas, quæ mouet vt fiat creatura: sic fiunt omnia opera intellectualis naturæ; puta intellectus meus vult sui ipsius similitudinem in nobis formare, concipit primo seipsum, generando de se verbum suæ intelligentiæ, in quo seipsum intuetur, et facit conceptum illum quandam ideam seu formam exemplarem, ad cuius similitudinem vult formare naturam intellestualem, quæ est in interiori homine nostro. & quia hæc forma est ei grata, ipsam amplectitur tamquam bonam. & quia bonum est sui ipsius communicatiuum, tunc oritur motus in voluntate, & mouet linguam & omnia alia, vt formetur vox quam exspiro, in qua voce sensibili & formata, est spiritus desiderij mei, in quo est verbum conceptus mei, & in conceptu intellectus qui est pater verbi. Vnde in omni opere intellectualis naturæ relucet similitudo creationis Dei. Et videtur quomodo perfectio requirit Trinitatem, scilicet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Tria in Homine inuisibilia.

Quemadmodum inuisibilis est Diuina Trinitas: eodem fere modo Tria sunt in Homine inuisibilia, & indiuisa, & in vnum conglobata, & virtutis efficatia redundantia, Vox genitrix Verbi, ex Verbo simul cum Voce procedit efficatia, quæ facit alterum consulem fieri, alterum trucidari. Sunt autem ista tria Vox, Verbum, Efficatia, vnum. Qui.n. fieri potest, vt diuidas Vocem a Verbo; & Efficatiam a Voce, & a Verbo? Vna itaq; est in his subsistendi potentia, Voce, Verbo, Efficatia, Tres vero personæ.

Agnellus L. de rõne fidei.

Tria versantur in Voce, nempe Nomina, quæ sunt signa eorum

quæ

Clemens Stro. 8.

quæ principalter cogitantur, per consequentiam autem etiam subiectorum. secundo cogitata, quæ res subiectas referunt & exprimunt; vnde sunt omnibus eadem cogitata, propterea quod ex subiectis rebus eadem forma, & typus ingeneretur omnibus, non itidem etiam nomina propter diuersos sermones. tertio numerantur loco res subiectæ, ex quibus imprimuntur nobis cogitata.

Nomina, Cogitata, Subiecta.

Tria doctrinæ insignia.

Ternario quoq; comprehenduntur humanæ mentis notæ, & expresiones, Conceptio, Vox, Scriptura. in quibus aut vniuersa disciplina continetur, aut eorum medio disciplina paratur. Et ab his signis humanæ animæ Trini procedunt disciplinares actus,

Conceptio, Locutio, Scriptitatio.

Trini aīę orbes.

Quo fit vt anima nostra in Trino resideat orbe, Trinisq; inuestita, & circumuallata sit orbibus.

Intellectuali,		Proprio,
Vocali,	seu	Corporeo,
Scripto,		Mundano.

Carol. Bouil. li. desensib. cap. 26.

Est quidem in Anima ignis, interior orbis, quo essentia Animæ exprimitur: Aer, orbis secundus, intellectualibus notionibus plenus: Aqua, orbis tertius, vocibus refertus: Terra, orbis vltimus, scripturis plenus. Anima in interiori orbe, s. in igne, est, sed nihil agit: In secundo orbe, scilicet aere, intelligit: In tertio orbe, nempe in aquis, loquitur: In quarto, videlicet terra, scribit. est itaq; tantum Vnum; sed Tria profert. Nam vnica illi, & simplicissima adest essentia, sed Trinipara, Triumue specierum fecunda,

Conceptuum, Vocum, Scripturarum.

Menti quoque Aristoteles Tres attribuit species, ex quibus Tres ideæ exortæ, Natura, Disciplina, Exercitatio.

Ipsa rursus cognitio, quæ de possibili est, perficitur Tribus, nēpe Sensu, quo manuducimur. Imaginatione, qua indagamus verum ex his quæ manuducunt. Intellectu, quo conspicimus inuentum.

Tria

Tria sapientiæ genera.

Musas, quas Alcander dixit genus ducere a Ioue, & Memoria; & reliqui Poetæ & Scriptores vt Deas habent et colunt, Tres tantum esse voluerunt Antiqui, quod Tria quoq; fecissent sapientiæ genera, quibus tota philosophiæ ratio impletur, immo vt Aug. verbis vtar, tripartitam esse sapientiæ disciplinam animaduertere potuerunt. neq; n. ipsi instituerunt vt ita esset, sed ita esse potius inuenerunt, cuius vna pars appellaretur Theoretica, altera Logica, tertia Ethica, quarum nomina latina iam multorum litteris frequentata sunt, vt Speculatiua, Rationalis, Moralisq; vocarentur. At cum iam facultates istæ multis post temporibus latius se proferrent, ac eas in partes seu formas diuiderent, cognouerunt vnamquanque Tria in se continere discrimina, vt in se ducta conspiceretur Trinitas. nam Rationalis, quæ circa orationem & disserendi subtilitatem versatur, Tres in partes est pariter distributa, nempe in Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Moralis, quæ vitæ actionibus occupatur, in Monasticam, Oeconomicam, Politicamq; diuiditur. Theoretica seu speculatiua, cuius finis est veritas, secatur in Physicam, Mathematicam, & Theologiam. Physica de inuisibilibus naturis rerum visibilium disputat. Mathematica de inuisibilibus formis rerũ visibilium agit. Theologia de inuisibilibus essentijs & earundem naturis agit.

Phornut. in spec. de natura Deor. Clemens Alex. oratione ad Gentes. Augu. in Ciu. Dei lib. 11. c. 7. & 25.

Sapientiæ disciplinæ
- *Logica,*
  - *Grammatica,*
  - *Rhetorica,*
  - *Dialectica.*
- *Ethica,*
  - *Monastica,*
  - *Oeconomica,*
  - *Politica.*
- *Theorica,*
  - *Physica,*
  - *Mathematica,*
  - *Theologia.*

Atq; has Theoreticę partes Theologiam dico Mathematicam, & Phy-

& Physicam, sunt qui Palladis nomine, quę Dea fingitur sapientiæ, significari putent, Triplicique proinde subnixam veste, vel vt scribit Albricus triplici colore

Albr. lib. de Deorũ imaginibus.

Aureo, Purpureo, Cælesti,

distinctum habentem pallium, quod omnis doctrina Trino subiaceat numero. Cum igitur scientia & ars, quæ ratione & sermone absoluitur, in Tria genera diuidatur, atq; horum vnumquodq. in in Tria singularia deducatur, cuiq; suam contingere Musam eius fouentem ornantemq. facultatem, opinati sunt Philosophi, nouem fingentes Musas, vt apud Hesiodum in Theogonia.

Origenes li. 1. in cant. cantic.

Generales disciplinas quibus ad rerum sapientiam peruenitur, Tres esse voluit & Salomon, quas Græci Ethicam, Physicam, & Theoricen appellarunt, nos has dicere possumus Moralẽ, Naturalem, & Inspectiuam. Moralis dicitur per quam mos viuendi honestus aptatur, et instituta ad virtutẽ tendentia præparantur: Naturalis dicitur, vbi vniuscuiusq; rei natura discutitur; quo nihil cõtra naturam generatur in vita; sed vnũquodq; his vsibus deputetur, in quos a Creatore productum est: Inspectiua dicitur, qua supergressi visibilia, de Diuinis aliquid & cęlestibus contemplamur, eaque sola mente intuemur; quoniam corporeum supergrediuntur aspectum. Tres has disciplinas distinguere abinuicem, ac secernere volens Salomon, tribus eas libellis edidit, suo quoq; ordine singulis cõsequenter aptatis. primo in Prouerbijs Moralẽ docuit locum, succinctis breuibusq; sententijs vitæ instituta componens: secundam, quæ Naturalis appellatur, cõprehendit in Ecclesiaste; in quo multa de rebus naturalibus disserens, & inania ac vana ab vtilibus necessarijsq; secernens, relinquendam vanitatem monet, & vtilia rectaq; sectanda: Inspectiuum locum in Cantico canticorum tradidit, in quo amorem cęlestiũ Diuinorumq; desiderium incutit animæ, sub specie sponsi & sponsæ, charitatis & amoris vijs peruenendum docens ad consortium Dei. Logicen quam nos rationalem possumus dicere, non extrinsecus, sed per has tres, quas memorauimus

morauimus disciplinas, innexam consertamq; per omne corpus esse censuit sapientissimus omnium Salomon. ea. n. in vnaquaq; disciplina per se ipsa conseritur, & instar staminis, ad firmitatem contexta, cuiuscunq; subtegminis laborem admittit, siue pexum plumatile, siue beluatum opus intexere volueris. per eam morum rationes varias edocemur; per eam naturæ vim perscrutamur; per eam deniq; ipsam Diuinarum rerum imaginem intelligimus. Nam cum omnis per sermonem fiat institutio, quomodo quispiam probabilem sermonem suum efficiat, nisi ita loquatur, vt ipsius rei, quæ in promtu est ratio, verisimilitudo ipsaq; veritas deposcere videatur? Et licet post has disciplinas tradita fuerit Logicæ methodus; prius attamen quam esset Grammatica, & scribebant, & loquebantur homines; priusquam esset Dialectica, ratiocinando verum a falso discernebant; priusquam esset Rhetorica, iura ciuilia tractabant; priusquam esset Arithmetica, vsum habebant numerandi; priusquam esset Musica, canebant. Iuremerito igitur Logice, vtpote cuiuslibet institutionis ministra, in partem non admissa.

Hugo Victor: Didasc. li. 1. cap. 12.

In Psalmis etiã cęlestis philosophiæ verus ordo prolatus est, vt primus ad Moralem pertineat disciplinam, de quo & bonus imbuitur, & peccatorum mens scelerata terretur: secundus ad Naturalem, id est, substantiam humanitatis, & Diuinitatis Christi: tertius de resurrectione ipsius loquens, Inspectiuam quodammodo continet partem. quæ ratio per omnes diuinas scripturas decurrit. inde & Isaac Patriarcha Tres puteos fodit, demonstrans præcepta Domini doctrina triplici contineri. Sic & sapientia monet vt describamus eam nobis in corde tripliciter.

Cassiod. in Psal. 3. Gen. 26. Prou. 22.

Cælestis Philosophia { *Moralis, Naturalis, Inspectiua.*

His similia videntur, quæ de Deo Abraham, Deo Isaac, & Deo Iahacob habentur in sacris litteris. nam quod Abrahã vbiq;

Exh. 3. 4.

locorum

locorum se morigerum, & obsequentem Deo præbuerit, moralem innuit: Isaac dum scientiæ puteos fodit, profundaq; & abdita quæq; rimatur, naturæ indicat philosophiam: Contemplationis vero munus Iahacob ostendit, ob inspecta cęli castra, Dei sedes, & Angelorum vias, scalas quippe a terris in cęlum vsq; subuectas, de quibus in hanc sententiam omnes Theologi plurima disputarūt. Hanc totius philosophiæ in Tres partes sectionem ab Hebræis desumtam, pleriq; Græcorum sapientes, tamquā propria inuenta sibi vendicantes protulerunt, & institutionum suarum voluminibus comprehensa, posteris tradenda reliquere. vt.n.refert Laertius lib. quem de viris sententijsq. Philosophorū conscripsit, miscuit Plato Heracliteorum, Pythagoræorum, & Socraticorum rationes. At in ijs quidem, quæ sensibus subiacent, Heracliti partes tuebatur: Quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ acquiescebat: In rebus ciuilibus Socratem suum maxime amplectebatur. Atque ita in vnum corpus triplicem Philosophiæ compegit rationem.

Platonica philosophia	Heracliteorum,	Sensibilium,
	Pythagoræorum,	Intellectualium,
	Socraticorum,	Ciuilium.

Diog. Laer. li. 10. Tres in partes diuidit etiam Epicurus vniuersas Disciplinas:

Physicam, Canonicam, Ethicam.

Physica naturæ totam continet speculationem: Canonica accessum continet ad opus: Ethica de electione disserit & fuga.

Iam vero & Poetæ Tripartitam fecere humanitatis vitam.

Theoricam,	Practicam,	Philargicam:
Contemplatiuam,	Actiuam,	Voluptuariam.

Contemplatiua ad sapientiam, & veritatis pertinet inquisitionem, quam apud Ethnicos gesscre Philosophi, apud nos Episcopi, & Sacerdotes, quos nulla lucri cupiditas, nulla furoris insania, sed tantum indagandæ veritatis cura macerat, fama ornat, pascit spes. Actiua tantum vitæ commodis anxia, habendi insatiabilis, rapiēdi

cauta,

cauta, seruandi solicita geritur, hanc vitam penes antiquos Tyranni, penes nos Mundus omnis gerit. Voluptuaria libidini tantummodo obnoxia, vitæ solam appetit corruptelam, penes illos Epicurei & voluptuarij, penes nos huiusmodi vita natura non crimen est. Hanc Trinitatem considerantes Poetæ trium Dearum certamina posuere, id est, Mineruam, Iunonem, & Venerem, de formæ dignitate certantes. Ideoque Iouem non posse de his iudicium proferre, siue quod præfinitum mundi iudicium ignorabant, siue quia in libertate arbitrij constitutum hominem crederent. Minerua enim vitam theoreticam & contemplatiuam figurat, quia de Iouis nata est cerebro, in quo positum est ingenium: Iuno actiuam figurat, quasi a iuuando dicta, ideo Regnis præesse dicitur, quod hæc vita diuitijs dumtaxat addicta sit: Venus voluptuariam vitam figurat, Venerem dicentes bonam rem, secundum Epicureos, vt pote qui voluptatem maxime laudarent. Hinc factum est quod Minerua, si pro ea iudicasset Alexander, Paridem omnium artificiosissimum futurum pollicita est: Iuno, si victrix discederet, in omnibus terris regnaturum, & ditissimum fore. Venus autem Helenam omnium mulierum formosissimam se in coniugem daturum promisit.

TRINITAS in prima littera alphabeti.

Quemadmodum apud Italos, Latinos, Græcos, Aegyptios, & ceteras linguas A primum in Alphabeto continet locum secundum ordinem aliarum litterarum; ita & Deus respectu creaturarum, a quo, diuino ordine emanant omnia. Et sicut A Tribus lineis construitur, & est Triangulus figuræ Trium æqualium, et rectorum angulorum, quem peritissimi Trinitati superbenedictæ compararunt; eodem modo et Deus est Trinus in personis, et vnus in potẽtia. Et quẽadmodũ A, suapte natura nullius, veluti reliquæ, instrumẽti indiga, vtputa linguæ, dẽtiũ aut labiorũ, et libera pronũciatur, et prima in infantibus articulata dignoscitur, solaq. in corde et imo barathri caussatur, vt E, in gutture, I in capite gutturis,

Nic. cus. de docta ignor. li. 1. c. 12.

O in faucibus, & V in labijs; & consonantes ab his vocalibus originem trahunt: sic vniuersæ creaturæ, a Deo effectiue, quorũ caussa caussatissima dicitur. Et idem etiam dici potest de corde respectu aliorum membrorum, quorum vita ab ipso corde pendet. Quare per allegoriam Anima dicitur cor, vt apud fatidicum vatem: Qui requirunt Dominum, viuet cor illorum in seculum seculi: & apud Ieremiam: Laua a malitia cor tuum Hierusalem: & ad Rom. Obtenebratum est cor.

Psal. 21. Ier. 4. Rom. 1.

Tres oratoriæ partes.

Tria numerantur Rhetoricæ genera Δικανικὸν, *id est, Dicanicũ, seu Iudiciale;* πανηγυρικὸν, *id est, Panegyricum siue Demonstratiuũ;* Συμβουλευτικὸν, *id est, Symbuleuticum, vel Deliberatiuum, quæ Gregorius Theologus, necnon interpres Hesiodi symbolice per chimeram intelligunt caput habentem leoninum, ventrem caprinum, & caudam draconis, vt apud Homerum.*

Iliad. 2.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

vt Leo Iudiciale præferat genus ob terrorem, quem reis incutit; Chimera vero, id est, capra Demonstratiui obtinet typum, quod in eo genere plurimum lasciuire soleat lætius simul qui dicit, simul & qui audit; Deliberatiuum deniq; genus canis, seu vt vertit Lucretius Draconis esse dicunt, ob argumentorum uarietatem, copiam, uehementiam, & contentionem, longioresque circumductus, & spiras quibus in persuadendo opus est.

Lucr. libro 5.

Tres quoq; Oratoriæ sunt facultates.

Exornatio, Consultatio, Iudicialis facultas.

TRINITAS in Dialectica.

Omnis perspicua docendi uia, seu disserẽdi ratio, auctore Platone, diuiditur in Definitiuam, Diuisiuam, et Analyticen seu Resolutoriam, quæ Tria sola docet Dialectica. per eam .n. habetur docendi scientia, et sine hac Trinitate philosophia non põt esse consummata.

Definitio, Diuisio, Argumentatio.

Tres etiam apud Dialecticos sunt partes propositionis, subiectum: prædicatũ, et verbum substantiuũ, quod copulam dicunt, quia subiectum cum prædicato coniungat. in verbis. n. naturaliter inest copula, vt Planetæ non scintillant, id est, planetæ sunt non scintillantes.

Omnis Dialectica ratiocinatio Tribus terminis coalescit:

Primo,	Maiori extremitate,
Medio,	Medio;
Vltimo:	Minore extremitate.

quibus tres procreantur syllogismi partes.

Propositio, Assumtio, Complexio.

Est aũt prima præmissarũ, vt intellectus; secunda siue assumtio, vt memoria; tertia, quæ duabus pręmissis et extremitatibus infertur, velut vtriusq. species, status, finis. Cũ igitur tres sint partes syllogismi, fit vt Trina positione medij, totidẽ ratiocinationum figuras eliciãt Dialectici. Prima, qua medius terminus in primo prænũciato subijcitur, in altero prædicatur: Secũda, qua vtrobiq; medius pędicatur: Tertia, qua vtrobiq; subijcitur medius terminus. Primus autẽ in ratiocinatione terminus est, qui superior ac cunctis amplior de ceteris rite dicitur, et enunciatur: Vltimus, qui ceteris subest, ac de quo ceteri dicuntur. Medius, qui cum vni subsit, alter ei subest.

Tres syllogismorum figuræ Trina positione medij.

Prima,	Vltimum,	Medium,	Primum.
Secunda,	Vltimum,	Primum,	Medium.
Tertia,	Medium,	Primum,	Vltimum.

Triplex est materia propositionum.

Necessaria, Contingens, Remota, seu impossibilis.

Hinc similiter Triplex discrimen propositionum:

Necessaria, in qua est definitio, aut pars definitionis, vel genus, vel differentia, vel proprium:

Contingens, vbi accidentia prædicantur de subiecto:

Remota, cum diuersæ species connectuntur.

Sic & Tres syllogismorum species:

Necessaria, Possibilis, de Inesse.

Tres item demonstrationis (hæc est syllogismus necessarius) species, seu genera secundum Auerroem & sequaces: Demonstratiuum Quia, seu ab effectu; Propter quid, seu caussæ: Et vtriusque. In prima acquiritur cognitio rei quod sit; in secunda, per quid sit; in tertia, quod sit, & propter quid sit, vno & eodem tempore.

TRINITAS in Amicitia.

Clemen. stro. 2.

Triplex est amicitiæ genus, & eorum quidem primum, optimum & præstantissimum iudicatur id quod est ex virtute. valida enim est quæ est ex ratione dilectio; secundum autem, & medium, ex remuneratione. est autem hoc genus aptum ad societatem, & communicationem, libenter impertiens, & vitæ conducibile, communis enim est, quæ ex gratia amicitia. tertium & vltimum, nos quidem dicimus id quod est ex consuetudine; alij vero id, quod ex voluptate verti, mutariq. potest. Ac mihi quidē pulcherrime Hippodamus Pythagoricus videtur Ternario describere amicitias. Vna quidem ex scientia Deorum; altera vero, ex hominum suppeditatione; tertia, ex voluptate animantium. Quo fit vt vna sit Philosophi amicitia; altera, Hominis; bruti, tertia. Re vera enim Dei est imago Homo bene faciens; qua in re ipse etiam beneficio afficitur, sicut gubernator simul seruat, & seruatur. & ideo cum quis petens, quod petijt fuerit consecutus, non dicit danti: Recte dedisti; sed: Recte accepisti. Ita accipit quidem, qui dat; dat autem, qui accipit.

Amicitia ex	Virtute,	Philosophi,	ex	Scientia Deorum,
	Remuneratiōe,	Hominis,		Hoīnū suppeditatiōe,
	Voluptate,	Aīalis bruti,		Voluptate animaliū.

Phædrus apud Platonem Tria ponit Amoris exempla; primum feminine ad masculum, vbi de Alceste Admeti vxore loquitur, quæ pro marito mori voluit; secundum masculi ad feminam,

vt

vt Orphei ad Eurydicen; tertium, Patrocli ad Achillis virtutem: vbi ostendit nihil fortiores homines reddere.

TRINITAS in pulchritudine.

Quod Amor sit pulchritudinis desiderium, de pulchritudine dicendum, nam & ipsa Trinitate perfecta. Ex plurium sane Virtutum concinnitate in animis gratia est; Ex plurium colorum, linearumq; concordia, in corporibus nascitur gratia; Ex vocum plurium consonantia, gratia in sonis maxima est.

Triplex igitur pulchritudo.	*Animorũ,*	*cognoscitur*	*Mente,*	*Hinc fit*	*Intellectus, seu (Mẽs*	
	Corporum,		*Oculis,*		*Visus,*	
	Vocum:		*Auribus,*		*Auditus.*	

TRINITAS in coloribus.

Licet a priscis ingenijs singulis planetis colores singuli dicati reperiantur; ex Platonicis tamen minime ignobiles exstiterunt qui vniuersales, præcipuosq. Mundi colores ad Trinitatis numerum redigerunt, scilicet, Viridem, Aureum, Saphyrinum, quos Tribus cęli gratijs dicatos aiunt, Viridem Veneri simul atq; Lunæ; Aureum Soli, a Ioue tamen, & Venere non alienum; Saphyrinum vero Ioui maxime prædicant accomodatum, cui & Saphyrus dicitur consecratus.

TRINITAS in Aeternitate.

Statuit Omnipotens Deus corporeum hunc visibilemq; Mundũ in tempore, definiuitq; illi extrema, principium & finem, librans illum inter duplex æuum. In prima æternitatis parte, nil creatũ est, solusq; fuit Deus: In præsenti seculo, et in tẽpore hoc profert Deus, quæ in futurũ æuum introducet, Angelos, inquã, quos creauit in instanti, & in temporis initio, Materiam post Angelos in instanti, ex qua sensibilium creaturarũ species, in tẽpore, et in numero sex dierum perfecit. Rationalem item animam sexta die protulit, ex qua, & ex materia humanam substantiam compegit: In futuro æuo animas, & materiam in æuum introducet. namq; ex materia instaurabit humanum corpus.

TRINITAS in Tempore.

Ternario numero ipsa quoq; tempora designantur, quibus leges a Deo hominibus traditæ ad vitæ formationem, & rectam viuen di formam. est enim tempus

Naturæ, Legis, Gratiæ.

Naturæ tempus locũ obtinuit a Mundi productione ad vsq; Abraham, cui successit Moyses: Legis deinde tempus ab Abraham, cui datum fœdus circuncisionis, vel ab ipso Moyse, cui tradita Lex scripta ad Christum vsq; vim, & efficatiam sortita: tertium tempus est a Christo per quem nobis gratia, ad finem vsq; Mundi duratura. Quod si cuiq; eorum mysticum diem assignaueris, primum quidẽ legi Naturali, secundum Mosaicæ, & tertiũ Euan gelicæ: videbis aperte Christum pro sua benignitate, Tertia die nos visitasse, per exortum ab alto, & nostræ infirmitatis susceptionem; quemadmodum per Osee prophetam fuerat prænuntiatum, his verbis: Viuificabit nos Dominus post duos dies, in die Tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurq; vt cognoscamus Dominum. vbi a Propheta nouissimum tempus Tertiæ diei appellatioue significatur. quoniam non primis, neque medijs, sed nouissimis temporibus propter nos homo factus, naturã nostrã lapsam reparauit. Quare apud Iohannem cap. 2. die Tertio, post ea quæ cap. 1. Euangelij sermo descripserat, nuptiæ factæ referuntur. vt Tertio tempore seculi Dominũ ad adoptandam sibi Ecclesiam venisse designetur.

Cap. 6.

Primum,		*ante legem*	*Patriarcharum exemplo,*
Secũdum,	*seculi tempus*	*sub lege*	*Prophetarum scriptis,*
Tertium,		*sub gratia*	*Euangelistarũ præconijs,*

quasi Tertiæ diei luce Mundo refulsit, in quo Dominus, pro redemtione generis humani, in carne natus apparuit. Hi sunt Tres dies quibus apud Marcum Turbæ Domino perseuerant, quia totis his Tribus temporibus viri sancti, Spiritu Dei pleni, in Christũ credunt, Christum exspectant, eiusq. panibus et doctrina magno desiderio

Matth. 15. Mar. 8.

siderio refici cupiunt, nec habentes quod manducarent, quia panis viuus qui de cælo descendit, nondum eis appositus fuerat; Tertio igitur die, id est, hoc Tertio suæ incarnationis tempore turbas reficit, neque vlterius eas fame perire patitur. Sic dies Tertius quo Abraham primus patriarcha filium Isaac immolauit, indicabat hoc tempus gratiæ, quo gratum sacrificium offertur Deo per Christum. Ad huius numeri sacramentum referri possunt Tres Missæ, quas Sacerdos celebrat die Dominicæ natiuitatis. Quandoquidem quæ noctu Missa canitur, illum refert statum qui fuit ante legem, quando scilicet, omnes erant in tenebris: Quæ vero in aurora cantatur Missa, refert tempus sub lege, in quo iam incipiebant ex parte Christum scire; sed non plene propter dicta legis & Prophetarum, & ideo celebratur inter diem, & noctem: Tertia cantatur in die, qua designatur tempus gratiæ. In his tribus temporibus clamat scriptura Enoch iustum, Heliam prophetam, & Iohannem euangelistam fuisse in longiorem vitam translatos, ad destructionem, vt creditur, Antichristi, qui se Christum filium Dei finget. Diabolus .n. licentius in vltimis temporibus, propter peccata nostra, omnibus suis viribus vsurus est, vt etiam Electi, si possibile sit, in errorem contrudantur. Oportuit autem vnum ex illis mittere, qui ante legem fuerunt: vnum qui sub lege; tertium sub gratia, qui Christum ipsum viderit, & allocutus fuerit. Quare Tres falsitati resistent testes Enoch, cuius ante diluuium iustitia claruit, quando nullum aliud mandatum hominibus exstabat, quam quod natura in singulorum pectoribus insitum est; Helias, qui vel mortuos in vitam restituit oratione, & sub lege coruscauit; Iohannes, quem Dominus plurimum dilexit, Apostolorum sanctissimus.

Gen. 22.

Gen. 5. 4.Reg. 2. Iohan. 21.

Georg. Trapez. libello de hoc edito: Sic eũ volo manere, quid ad te. Hyppolitus oróne de Consummatione seculi, & Ambrosius Catharinus in cap. 2 Gen. Genes. 5. Eccli. 44. Eccli. 48. Malach. 4.

Tria sunt temporis spacia, Præteritum, quod fuit, & iam non est: Præsens, finis præteriti, & initium futuri, quod alioqui instans, & nunc dicitur: Futurum, quod modo non est, sed aliquando erit. Preterita, Presentia, Futura,

Ternario cõcludi totam tẽporis mẽsuram.

quasi vnum corpus æternitatis perficiunt. Præterita amare, insipientis est: præsentia, stulti; futura, prudentis. Preteritorum pietas est; præsentium, cupiditas; futurorum, charitas. Tria hæc temporis spacia in animo requirenda videntur secundum Isidorum Preterita reminiscēdo, Presentia contuendo, Futura exspectando. Recolimus transeuntia, Intuemur presentia, Speramus aduenietia.

TRINITAS in loco.

Aug. lib. de tripli- ci habi- taculo.

Triplex est locus rationali creaturæ deputatus, locus summus videlicet, celum, vbi sola lætitia: locus infimus, scilicet, infernus vbi sola tristitia: locus medius, qui est mundus sensibilis, in quo sunt summa speranda, & infima timenda. Philip. 2. In nominē IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et inferorum. Hinc patet cur vita præsens dicitur medium, & tolli de medio pro tolli de hac vita 23. q. 4. cap. hæc vita. & Glos. in proœm. Clemen. in ver. de medio.

Locus

Summus,	Medius,	Infimus,
Celum, seu paradisus,	Mundus,	Infernus.

Vbi

Summum bonum,	Summa speranda & infima timenda,	Summum malum,
Sola lætitia,	Vtrumque,	Sola tristitia,
Boni tantum,	Boni & mali,	Mali tantum.

Tria præter hæc sunt mortuorum loca. Vnus quidem beatorum quem Paradisum dicunt. sanctorum enim & iustorum animas in celo esse, ac superbenedictæ Trinitati assistere, suam deniq; felicitatem consecutas esse nemo Christianorum dubitat: Alter delinquentium est, qui sunt inferi, eorum animas tenens, qui sine penitentia mortem obierunt: Qui vero confessi, sacratissimum Christi corpus, absq; tamen penæ præuia satisfactione, sumunt, continuoque moriuntur, hi dubio procul in igne, quod Purga-

torium

torium vocant, expurgantur. Possunt autem coadiuuante Ecclesia, Sacerdotum precibus, Missis, & eleemosinis expiari, & ab igne ad supernam patriam quantotius euolare. sunt igitur in altera vita Tres loci hominibus deputati.

Cęlum, Infernus, Purgatorium.

TRINITAS in Mathematicis disciplinis.

Artes Mathematicas Pythagoræi secant in Arithmeticam, Musicam, & Geometriam, cui coniuncta est Astrologia, vt Musicæ, Poetica.

Plutar. Sympos. li. 9. q. 14.

TRINITAS in Monade.

Refert Minar libro antiquitatum Sissenios maxime vnitatem adorasse, vt quæ similis esset Diuinæ creaturarum origini, æternoque principio. Hanc autem Pythagoras vir clarissimus & suo æuo auctoritate irrefragabili Trinam esse probauit. est enim Vnitas æterna, nec vllum numerorum enuntiare poteris supremum esse Vnitatis partum, quod enim omnem alteritatem præcedit, æternum est. Alteritas nempe idem est quod mutabilitas; sed omne quod mutabilitatem naturaliter præcedit, immutabile est, quare æternum. Alteritas vero constat ex vnitate, & dualitate, quare alteritas, sicut numerus, posterior est Vnitate. Vnitas ergo natura prior est alteritate; & quoniam eam naturaliter præcedit, est Vnitas æterna. Amplius omnis inæqualitas est ex æquali, & excedente, inęqualitas ergo est natura posterior ęqualitate, quod per resolutionem firmissime probari potest. omnis enim inęqualitas in ęqualitatem resoluitur. ęquale enim inter maius & minus est. si igitur demas quod maius est, ęquale erit; si vero minus fuerit, deme a reliquo quod maius est, & ęquale fiet. Et hoc etiam facere poteris quousque ad simplicia demendo veneris. Patet itaque quod omnis inęqualitas demendo ad ęqualitatem redigitur. ęqualitas ergo naturalitar precedit inęqualitatem.

Sed

Sed inæqualitas, & alteritas simul sunt natura, quia vbi inæqualitas, ibi necessario alteritas, & e conuerso. inter duo namque ad minus erit alteritas: illa vero ad vnum illorum duplicitatem facient, quare erit inæqualitas. Alteritas ergo, & inæqualitas simul erunt natura, præsertim cum binarius sit prima alteritas, & prima inęqualitas; sed probatũ est inæqualitatem pręcedere natura inæqualitatem, quare & alteritatē. æqualitas ergo æterna. Amplius si duæ fuerint caussæ, quarũ vna sit altera prior, erit effectus prioris natura prior effectu posterioris; sed vnitas vel est connexio, vel est caussa connexionis. inde.n.aliqua connexa dicuntur, quia simul vnita sunt. Binarius quoque vel diuisio est, vel caussa diuisionis. binarius enim (vt suo dictum est loco) prima est diuisio. si ergo Vnitas est caussa connexionis, binarius vero caussa diuisionis, ergo sicut vnitas est prior natura binario: ita etiam connexio prior natura diuisione; sed diuisio & alteritas, simul sunt natura, quare & connexio, sicut vnitas, est æterna, cum prior sit alteritate. Probatum est igitur quia Vnitas ipsa æterna est, & æqualitas æterna, similiter connexio est æterna. Sed plura æterna esse non possunt. si enim plura æterna, alterum alteri deesset, ideoque nullum illorum perfectum esset; & ita esset aliquod æternum, quod non esset æternum, quia non esset perfectum, quod cum non sit possibile, hinc plura ęterna esse non possunt. Sed quia Vnitas ęterna est, ęqualitas ęterna est, similiter & connexio, hinc

Vnitas, Aequalitas, Connexio,

sunt vnum. Et hęc est illa Trina Vnitas quam Pythagoras Italię, & Gręcię decus docuit adorandam. Non tacendum hic, quod res quęlibet a Deo Patre habet esse; quia vnitas est; Et a Deo Filio habet specificatum esse; quia Aequalitas; Et a Deo Spiritu sancto habet perfectum esse; quia Nexus.

Quemadmodum diuina vnitas Trinitate gaudet personarum; pari analogia interna vnitatis fecunditas Triade absoluitur. Vnitas .n. in se primum ducta progignit ęqualitatem. dicitur .n. Vnitas

tas (si nobis per vindices linguę latinę conceditur) quasi entitas, & æqualitas Vnitatis, tamquam æqualitas entitatis. est autem entitatis ęqualitas, cum nec plus, nec minus, quod maxime in ortu & generatione perspicuum est. si enim plus, aut minus; iam monstruosum quiddam. Quare vnitatis generatio, sola Vnitatis est repetitio. nam si bis, ter, aut aliquo alio numero, tum non est Vnitatis generatio, sed id creationi respondet, quandoquidem effectus diuersę a sua caussa naturę in esse deducitur. Itaque vnitas ex se gignit æqualitatē. Quod si hanc in ęqualitatem ducis, qui ductus cubicus, idemq. trinus a Pythagoręis appellatur, nascitur etiam Vnitas, Vnitatis & ęqualitatis connexio. Porro ductus ille processio est. nam quid aliud processio, quam quędam ab altero in alterum extensio? Talis autem processio non vnius tantum est, sicuti neque vnius est nexus, sed plurium, ac eorum quæ connectuntur vnio. Atqui non contingit aliquem numerum in se amplius, quam trine duci, vt dicendo, ter tria ter, quater quattuor quater. Et vt radix, & tetragonus in cubo vniuntur, vnaq; tetragoni & cubi etiam in numeris radix est; ita sane Vnitas & ipsa æqualitas in connexione vniuntur, estq. æqualitatis & connexionis vna radix, eaq. primum in numeris originis principium. Tetragonus tamen proxime primoq. loco gignitur a radice, atq; ipsius exprimit fecunditatem. At cubus proxime quidem a tetragono, sed a radice mediate est, vtriusque nihil minus refert fecunditatem; Radice siquidem in semetipsa ductitata, prodit tetragonus, radicalis virtutis expressio, & velut imago quædam; ex ductu vero radicis in suum quadratum, nascitur cubus vtriusq; expressio, et veluti quędam similitudo. Quod si spectes ordinē processionis, vt quod quadratus primo loco a radice, & secundo loco cubus, facies proculdubio quadratum immediatum radici, & secundum; cubum autem mediatum, & tertium; tetragonum autem proximum. Quare ibidem processio quædam dumtaxat immediata est: quædam mediata pariter, & immediata: quæ autem mediata solum, inibi non

reperiri

reperiri potest. Sin vero medij naturam, cuius est ex æquo vnire extrema, cubum, vt qui est radicis & quadrati fecunda vnio, ex ęquo ab vtroque dices procedere, & vtrique perinde immediatum. Porro quidnam hęc vnitatis interna fecunditas Trinitate expressa, & quæ in ea conspiciuntur, aliud sunt, quam Diuinę Trinitatis tā aperta & manifesta symbola quā quę maxime? Quid vnitatem de se simplicissimo ductu gignere ęqualitatem, nisi Patrem summam & superexcelsam vnitatem, de sua substantia Filium gignere suę fecunditatis expressionem consubstantialemq; imaginem? Et quid aliud ductu vnitatis in ęqualitatem, procedere connexionem per omnia vtriq; conformem, quam Patrem, & Filiū sibi consubstantialem amorem, vtriusq; nexum, et Spiritum spirare? Sed quid, quod Trino ductu tota Vnitatis pariter & numerorum fecunditas absoluitur, nisi illo superimmenso Ternario, Diuinam eamq. immensam fecunditatem perfectā, absolutamq. esse? Quid item aliud innuit coincidentia radicis, tetragoni, & cubi in vnitate (est siquidem vnitas radix, est tetragonus, est cubus) quā summam illam coincidentiam trium Diuinarum personarum in natura, substantiaq.? Nonne tetragoni a sola radice emanatio, Filium a solo Patre esse exprimit? Quid radicem non ab alio esse, nisi Patrem a nullo esse? quid cubum a radice & quadrato (nec enim radix sola, solus nec quadratus cubum restituit, sed vtriusq; coniuncta operatio) quam Spiritum sanctum ab vtroque procedere? si enim radicem in se vnice ducis, non habes cubum, nec magis si quadratum in se. Quid, quod vltra cubum non progrediuntur Pythagorici (adeo cubum in Numeris, velut complementum obseruant,) est ne id nobis argumento, quod in Diuinis Tertia persona omnium est consummatio & terminus? Quid cubum mediate a radice, & id spectato progressionis ordine, & immediate a quadrato, quam si spectes ordinem originis in Diuinis Spiritum mediate esse a Patre, & immediate a Filio? sed quid hoc, nisi Spiritum a Patre per Filium procedere, tamquam Diuina motio a Patre per

Filium,

Filium, in Spiritu sancto terminetur? Et id quidem censuere Græci Cyrillus, Gregorius theologus, & Damascenus. Porro quod ibi est immediata processio, est item & quæ mediata pariter & immediata. mediata autem non reperitur. quid istud distat a Sanctorum sententia, qui nullam in Diuinis mediatam processionem asserunt? Et quid medij inspecta natura, quæ est ex æquo extrema vnire, cubum dicere medium, & ex æquo a radice, & tetragono, atque adeo vtrique immediatum? quid inquam aliud, præterquam quod Latini Spiritum sanctum mediam personam facientes, ab vtroque ex æquo procedere asseuerant? sicque non tam in re discrepant Latini a Græcis, aut hi ab illis, quam modo & ratione differendi. Hanc autem concordiam præclare admodum detexit Iacobus Faber Stapulensis in commentario adiecto ad Richardum de S. Victore.

TRINITAS in Numeris.

Tres sunt primæ & præcipuæ Numerorum vnitates,

Linearis,	*Superficialis,*	*Corporea,*

quæ ab eadem oriuntur simplicissima vnitate Denaria, Centenaria, Millenaria. namque inter numerorum sedes, locos, & positiones, quæ decimo quoque loco, denariave distantia notantur, Denarius primus est linearis numerus, Centenarius primus planus, vt quadratus, Millenarius primum corpus, nam cubus:

Linearis,	*Planus,*	*Solidus.*
Decem,	*Centum,*	*Mille.*

Secatur item Numerus in Digitum, Articulum, & Compositum, Digitus continet simplices numeros ab vnitate ad decem. Articulus dicitur quilibet numerus, quem possis in denas partiri partes æquales nullo redundante, vt decem, viginti, triginta, &c.

Compositus

Compositus siue commixus numerus utrumque complectitur, digitum, scilicet, & articulum, ut undecim, uiginti quattuor, Triginta quinque.

TRINITAS in Musica.

Hugo a S. Vict. Didasc. 2 13.

Trinitate distincta est Musica. est enim Humana, Mundana, & Instrumentalis. Mundana reperitur in Elementis, Planetis, & Temporibus; Elementalis in Numero, Pondere, & Mensura; Planetaria, in Situ, Motu, & Natura; Temporanea, in Diebus, uicissitudine lucis & noctis; in Mensibus, crementis & decrementis lunaribus; in Annis, mutatione veris, æstatis, autumni, & hyemis: Humana fit in Corpore, Anima, & in utriusque connexu; Quæ in Corpore, in uegetatione, secundum quam crescit, quæ omnibus nascentibus conuenit; in Humoribus, ex quorum complexione subsistit humanum corpus, quæ sensibilibus communis est; in Operationibus, quæ specialiter rationalibus conuenit, quibus mechanica præest. Instrumentalis seu harmoniæ fit Pulsu, Voce, & Flatu. omnis enim sonus editur, aut pulsu, videlicet per tympana, psalterium &c. aut voce, per fauces; aut flatu, per fistulas. Pulsus secundum Isidorum importat potentiam Patris; Vox, Filij sapientiam; Flatus ad Spiritus sancti uiuificatiuam bonitatem refertur.

Boetius in Musica, & Macrob. 2. Natur. Tria tradunt genera cantus.

Diatonicum, Chromaticum, Enharmonicum.

Terminos item interualla continentes totidem, imam scilicet mediam, & supremam chordam. sicut & Tres symphonias continet harmonia.

Diapason, Hemiolion, Diatessaron.

Sunt & qui Musicorum genus sic diuidant. Vnum, quod carmen fingit; alterum, quod instrumentis agit; tertium, quod instrumentorum opus, carmenq. dijudicat.

Musica

- *Musica*
  - *Humana in*
    - *Corpore*
      - *Vegetatione.*
      - *Humoribus.*
      - *Operationibus.*
    - *Anima,*
    - *Vtriusque connexu.*
  - *Müdana in*
    - *Elemētis*
      - *Mensura.*
      - *Pondere.*
      - *Numero.*
    - *Planetis*
      - *Situ.*
      - *Motu.*
      - *Natura.*
    - *Tēporib.*
      - *Dieb. vicissitudine lucis et noctis.*
      - *Mēsib. cremētis et decrem. lunarib.*
      - *Annis mutatione veris, æstatis, autumni, hyemis.*
  - *Instrumētalis in*
    - *Pulsu.*
    - *Voce.*
    - *Flatu.*

TRINITAS in Poesi.


Sunt & Poematis genera Tria, vt fere Auctores tradunt, Dramaticum, id est, actiuum vel actuosum, in quo personæ agunt solæ absque vlla Poetæ ipsius & auctoris interlocutione, cuiusmodi tragoediæ sunt & comoediæ, & quædam Vergilij Bucolica. Exegematicum, id est, enuntiatiuum, in quo Poeta omnia narrat sine vlla personarum interlocutione; in hoc omnia didascalico more & simplici traduntur, vt Georgica eiusdem Maronis. Mixtum, ex vtroque, in quo & Poeta, & personæ introductæ loquuntur.

Actiuum, *Enarratiuum,* *Mixtum,*

TRINITAS in Puncto.

Demonstremus iam apertius quantum faciant Mathematicæ disciplinæ ad capescendam, intelligendamq. Diuinam Triadem. Punctum quod substantia vnicum est & insectile, quamuis re ipsa indi=

indiscretum, infecundumq; sit, carens personali, realique numero, ratione tamen Trinum reperitur. punctum enim in recta linea medium vnius quidem partis est finis, alterius vero initium, totiusq. medium. Vnde fit vt medio eiusmodi puncto insit Diuinæ fecunditatis, atque Trinitatis vestigium. Nam ex necessitate tres, & non plures, quam tres, id punctum rationes ambit, recipit, & apprehendit. est enim punctum b finis lineæ a b. initium vero lineæ b c. totius autem lineæ a b c, medium. Deesse autem illi aliqua è tribus ratio, aut quarta illi ipsi addi nequit. Id igitur punctum cum se ipsum vnitate substantię, rationum vero per necessaria Trinitate metiatur, non immerito primi Entis internas coniunctiones, atque discretiones innuere videtur. Insunt tamen huic puncto ad extremas litteras a b, & b c, eiuscemodi rationes præpostere, contrarioq. nomine; ad mediam vero, totamq. a b c vnanimi concordiq; nomine ratio exprimitur, est enim prioris finis; posterioris initium; mediæ vero, totiusque lineæ medium:



	{ *Prioris,*		{ *Finis,*
Punctum,	{ *Totius,*	} *Lineæ,*	{ *Medium,*
	{ *Posterioris,*		{ *Initium.*

TRINITAS in Magnitudine.

Tria sunt Magnitudinum interualla, Longitudo, Latitudo, Profunditas, Tres quoque magnitudines, et continuæ qualitates, Linea, Superficies, Corpus, quarum idem fons atque initium, punctum. Linea est tantum producens, & ideo competit Patri, qui est principium, non de principio. Linea enim, secundum Philosophum, dicitur esse producens, quia est principium, a quo superficies fluit; sed dicitur esse non producta, quia licet dicatur fluere

re

re a puncto vsque ad punctum, quod non est in continuo, nisi lineam ducere; non potest tamen habere a puncto aliquam quantitatem, cum punctum sit indiuisibile. Vnde Linea, prout continua non diuiditur in puncta, sed in partes continuas; Corpus vero est tantum productum, quia profundum, quod est corpori proprium; fluit a superficie, alioquin idem produceretur a seipso, si in plano plures essent superficies; sed tamen dicitur corpus non esse producens, quia non intelligibilis vltra corpus alia species magnitudinis differens ab istis. Vnde profunditas siue corpus conuenit Spiritui sancto, quia ab aliquo procedit principio, videlicet, Patre, & Filio; sed nulla alia Diuina persona procedit ab ipso. Superficies autem producens, & producta est. producitur enim a linea, & ipsa simul cum linea producit ipsum corpus, siue profunditatem: & ideo competit Filio, qui nascitur ex Patre: & ab eo simul & Patre procedit Spiritus sanctus. Tria igitur

Magnitudinũ interualla,	Lõgitudo,	Latitudo,	Profunditas;
Et tres magnitudines,	Linea,	Superficies,	Corpus;
Repræsentantes,	Patrem,	Filium,	Spũm sanctũ.

Corporis item superficies Trina. Plana quidem, quorum nulla superficies alteri supereminet, veluti superficies mensæ superior; Concaua, vt interior vasis pars; Conuexa, vt vasis pars exterior.

Ternarius primus est numerorum imparium, & initium corporum solidorum constantium ex pluribus areis. Porro sicut Deus est principium omnium quæ aguntur; eodem fere modo primus Ternarius numerus omnium reliquorum, per se ipsum auctus, Triangulum constituit parium laterum, quæ prima est earum figurarũ, quæ pluribus constant lateribus. Profecto simplex Triangulum æquilaterum, Diuinitatis indicium est, siue rerum cęlestium effigies, vt pote quod sit sibi ipsi æquale. & propterea difficiliter moueatur, & ad malum declinare minime possit.

Psellus de Dęmon. c. 2 Qũo Triãgulus ęquilater9 Diuinę Trin. cõparetur cũ apud alios, tũ apud Nicolaũ Cus. lib. 2. c. 12. de doct.

ignor. doctissime speculantē licet videre.

Ita Pythagoræi non numeros tantum, verum etiam figuras, Deorum nominibus dedicantes, Triangulum æqualium omnium laterum nominauerunt Mineruam e vertice natam, & Tritogeniam; quia tribus perpendiculis eductis e tribus angulis suis diuiditur. Nos autem Goropio assentientes, Triangulo æquilatero diuinam Trinitatem notari posse dicimus. hæc sunt illius verba. Quēadmodum Trinitas prima caussa est oīum rerū; ita Triāgulus prima figura est oīum figurarum rectis lineis comprehensarum, in quam oēs aliæ figuræ soluuntur et terminantur, cum ipsa in nullas alias vlterius soluatur, sed in suam formā duntaxat infinitis vicibus diuidi queat. Triangulus ergo æquilaterus Tribus personis in vno Deo essentia vnitis, cōuenientissimus fuerit et optime delinearit ipsum descensum Opificis ad res creatas, quibus oībus Triangulum suæ Diuinitatis impressit, per quem omnia descendunt, fiunt, et conseruantur. Hæc ille. Tres aūt a Geometris numerantur species anguli rectilinei nempe Obtusus, Rectus, & Acutus. hique Tribus lineis eodem puncto coniunctis clauduntur. Rectus medius & æqualis est; Obtusus, & acutus extremi; hic, recto minor; ille maior.

Hieroglyph. libro 10.

Anguli rectilinei	Obtusus,	Rectus,	Acutus,
	Maior,	Medius,	Minor.

TRINITATIS effigies in Circulo.

Circulum esse æternitatis hieroglyphicum neminem latere potest, qui non prorsus sit rationis impos. In omni autem circulo vel orbe, medietas centrum nuncupatur, quod nihil aliud est nisi punctum, quo circuli vel orbis medium certissima obseruatione distinguitur. ducta autem linea a summo in summum, vt necesse sit illam transire per centrum, Diametros appellatur, diametros autem omnis cuiuscunq; orbis triplicata cum adiectione septimæ partis suæ, mensuram facit circuli, quo orbis includitur, idest, si vncias septem teneat diametri longitudo, & velis ex ea nosse quot vncias orbis ipsius circulus teneat, ternarium duces per septenarium, & faciunt 21. his

adijcies

adijcies septimã partẽ, hoc est vnũ, & pronunciabis viginti duabus vncijs huius circuli esse mensuram, cuius diameter septem vncijs extenditur. Ceterum cum nihil a Diuina Trinitate descendat, in quo non sit vestigium aliquod Trinitatis, cum semper gignens geniti sui ipsius imprimat characterem, quæ alia spectabilis Trinitatis species magis dici potest, quam dum Patrem centro, Filium circulo, Spiritum sanctum diametro centrum & circumferentiam coniungenti, & ab vtroq; progresso comparamus? vt intelligamus ipsum Filium toti vniuersitati per diametrum ter acceptum designatæ (Spiritus.n.ter maximus omnia complet & permeat) addere vnitatem ad totam integritatem sic absoluendam, ne quicquã omnino restet lacunæ. Mercurius Trismegestus dicere solitus erat quod Monas gignit Monadem, & in se suum reflectit amorem, quod nos ad personarum diuinarum trinitatem trahere possumus. Vnus.n. Pater vnicum generauit ante secula Filium, cũ quo etiam simul ab æterno spirat Spiritum sanctum, qui est nexus, & amor amborum. Nam Deus Pater ab æterno se profecto intelligit, & intelligendo se diligit, quam dilectionem extra se ad alium non extendit, sed in se reflectit, quia ad intelligentem, & intellectum, ad Patrem, & Filium, a quibus procedit ipsa dilectio, ad modum circuli in seipsum reflectit. Quare interrogatus idem Trismegistus quid esset Deus? respondit: Deus est sphæra intelligibilis, cuius centrum est vbique; circumferentia vero, nusquam. Cum.n. Deus non sit corpus, nec etiam esse possit, eo quod summe simplex est; quia omne perfectissimum oportet esse simplicissimum, eo quod posterius componentibus sit omne compositum; ideo ad differentiam sphæræ corporalis, dicit esse sphæram intelligibilem. vnde in centro, quod est quid minimum, & simplicissimum, circumferentiæ comparatum, Diuinam simplicitatem intellige; sed per circumferentiam, quæ est maxima, immensitatem Diuinam accipe. Est ergo sensus descriptionis prædictæ: Deus est sphæra, idest, principio carens & fine, multo magis quam circulus siue sphæra, vt sic eius notetur æter-

nitas; intelligibilis, vt notetur eius immaterialitas; cuius centrū, id est, indiuisibilis & simplex essentia vbiq. tota est; sed circumferentia eius, idest, eius immensitas nusquam est, quia a loco comprehendi non potest. Etiam Deum centro comparamus, circa quod omnia sunt, & a quo vniuersa ordine certo in orbem procedunt, donec integra rerum vniuersitas absoluatur. Vt.n. centrum nec magnitudo est, nec circulus, nec orbis, sed omnium & circulorum, & orbium principium: pari mensura et Deus nihil eorum est, quę sunt in Mundo, nec Mundus totus; sed totius tamen Mundi principiū. Ad hoc ergo centrum omnis creaturarum summitas terminatur, perinde atq; in circulo omnes portiones per formā Pyramidis a circumferentia in centrum finiūtur. Adhuc quoq; Deus dicitur sphęra, cuius centrum, id est, Pater, est vbiq; per suam potentiam; circumferentia vero, idest Sapientia, & Filius Dei, nusquam; quia capi nequaquam potest, & vniuersa circumplectitur, vt in Ecclesiastico legimus: Gyrum cæli circuiui sola, & in profundum abyssi penetraui; relatio vero mutua vtriusque centri, videlicet, & circumferentiæ Spiritum, & amorem reciprocum præsignat. Ex hac Trismegisti doctrina accepit Pythagoras noster ceremoniam illam, quam postea tradidit, nempe esse Deum circumactu corporis colendum. quod etiam Numæ Pompilij institutum fuisse auctor est in Hieroglyphicis Pierius Val. præcipiebant enim vt priusquam aliquis Deum coleret, verteret se in orbem, factoque circulo, cultum Deo exhiberet, quia illum venerabatur, qui per circulum, figuram perfectam, erat significatus. Plinius: In adorando, inquit, dextram ad oculum referimus, totumque corpus circumagimus; Hic notare contentus sum (licet parergon fortasse videatur) Circularem motum, per quem corpus ad eundem vnde abscedit, terminum circumuoluitur, expressissimam esse imaginem veræ, & æternæ felicitatis, per quam creatura ad idem principium redit, a quo processerat. Felicitatem enim definiunt, reditum vniuscuiusque rei ad suum principium, quia

Cap. 24.

quia felicitas sit summum bonum. summum bonum id est quod omnia appetunt. quod autem omnia appetunt id ipsum est, quod omnium est principium. at omnium principium est Deus vnus omnipotens. Idem igitur finis omnium, quod omnium principiũ. Hinc binæ illæ Dei appellationes apud Pythagoricos Vnum, scilicet, & Bonum. Vnum.n.cognominatur, qua omnium est principium, quẽadmodum vnitatem diximus esse totius numeri principium: Bonum autem qua omnium finis, omnium quies, & absoluta felicitas. In orbem quidem non mouentur nisi immortalia & incorrupta corpora. Ad Deum non redit nisi immortalis, & æterna substantia. Cęlestia etsi idonea sunt motui circulari, non ipsa tamen sibi sufficiunt ad hunc motum explendum, sed diuino opus est motore, qui illa verset & circumuoluat. Non aliter nobis atq; Angelis accidit. Tales.n. sumus natura, vt non circumagere nos & reflectere, sed circumagi motricis vi gratiæ & reflecti in Deum possumus. Hinc illud; Qui aguntur spiritu Dei, hi filij Dei sunt. Pulsat assidue animum nostrum spiritus motor, si admittamus, statim Deo plenus per Orbem religionis ad Dominum reportamur, in eo semper vitam possessuri, in quo & semper antequam fieremus, vita fuimus. Hæc est hominis vera felicitas, ad quam religio nos promouet, dirigit, & impellit.

TRINITAS in prisca theologia.

Prisci Theologi tres præcipue Deos venerabantur, Iouem, Neptunum, & Plutonem, Saturni, & Rheæ filios, quibus vulgatum est, cęlum, maria, & infera regna paruisse. Nam post Saturniam vnitatem, id est, intelligibilis mundi vnionem intra se omnia implicantis, tres in partes sensibilem mundum partiti sunt, cælestem regionem, Ioui; subterraneam, Plutoni; mediam vero, Neptuno adscribentes. Trifidum præterea fulmen Ioui; Tridentem, Neptuno; Tricipitem cerberum Plutoni tribuere. In quibus Ternarij numeri seruata est ratio, Tres namque fratres, tria regna, tria diuersa sceptra habent, & hęc trifariam disposita.

Triplicem.n.cuspidem, fulmini; Tria cerbero capita dederunt. Adhuc etiã Tres scelerũ vltrices furiæ Alecto, Thesiphone, & Megera. Tresq. humanum sensum perturbantes Harpyiæ, Aello, Ocypete, Celęno. Tria deniq; fata, Clotho, Lachesis, Atropos, in quorum manu mortalium omnium vita posita est, eidem Plutoni destinata sunt. Sed quo tendit huius numeri tam diligens obseruatio? nempe vt vnus omnes, & omnia idem habeantur & sint, quod ipsius Diuinitatis communio. omnes.n. Dij habiti sunt, & idem omnibus nomen probabile reddi. Enimuero, quem cęlo regnare putarunt, Iouem supremum omnium maximum vocauere. hinc trita illa apud antiquos Oratores præfatio, Iupiter Optume Maxume. sic enim ordiebantur; Neptunum vero secundum Iouem appellari Papinius his verbis ostendit.

------dextramq. secundi
Quod superest complexa Iouis.

Aenei. lib. 4. *Plutonem deniq; Stygium Iouem dici satis constat apud Virgil.*

Sacra Ioui stygio quæ rite incæpta paraui
Perficere est animus.

Iupiter igitur cęli rex, Iupiter maris arbiter, Iupiter inferũ rector est. Porro omnibus his locis vnum regnare, & vnum esse Iouem, dicitur quasi præseferat vnũ esse Deum, ac tres, quamuis distinctos, vnum atq; idem habere numen, & in vnam coire potestatem. Tres item Deos, Iouem, Neptunum, & Mercurium, dissimulata personæ suæ magnitudine ad senem quendam Hyreum, ante casam suã stantem venisse canit Ouidius in Fastis. Lib. 5. *Fuit hic hospitalis, & tergiuersantes in tecta sua ducit, mactat bouẽ, & igni torret, pascitq. eos pro pręsenti sua fortuna. Tandem vbi Deos esse senex agnouit, communicati hospitij loco filium ab ipsis Dijs, cum ab vxore sterili tollere non posset, exorauit. Poeticum nempe hoc detortum videtur a Tribus Angelis hospitio susceptis ab Abrahã sedente in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei: Cumq; eleuasset (inquit scriptura) Abraham oculos, apparuerunt ei Tres viri stantes prope* Gen. 18.

eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio taber naculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Domine si inueni gratiã in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillũ aquę, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. ponamq; buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis. Idcirco.n. declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt fac vt locutus es. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei: Accelera Tria sata similę commisce, & fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditq; puero; qui festinauit & coxit illum. Tulitque lauterum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis. Vbi primum ab Abraham habitus est sermo singularis, & tanquam ad vnicum factus; postea vero in plurali commutatus est, vt per illum, singularis & vnica designetur deitatis essentia: per hunc vero, diuinarum pluralitas personarum. quarum numerus. vt ita dixerim, per Tres viros apparentes Abrahæ, in ænigmate, & vmbra ipsi reuelatus est. Mirabile vero quod de Serapidis sorte fertur, qui consultus quisnam eo esset beatior, hoc disticho respondiße fertur.

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυτα δὴ τρία πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα. Id est,

Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus vna est.
Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

Quid de Plotino? cuius etiam liber est de tribus substantijs, siue personis, in quo primum statuit æternum illud atq; perfectum, quod secundum generauit, & mentem æternam itidem & perfectam. Alio in loco Patrem mentem nominat, sed ab eo manasse Verbum, a quibus condita sunt vniuersa. Ita.n. ait in principio libri de prouidentia: Itaque a Mente ipsa, & ab eius Sermone natum hoc vniuersum, & digestum est. Porphyrius hæc principia ponit Patrem, & Filium, quem Gręce appellat paternũ intellectum: quod, quamuis in tenebris, videntur tamen Poetæ attigisse, cum Mineruam suam διόςνουν *faciunt, sine matre, de illius vertice ac capite produ-*

Ficin° li. 4. Theolog.

ctam sapientiam ipsam. Sic Zoroaster & ceteri Magi tres ponūt præcipuos Mundi principes, & trium ordinum dominos, Oromasin, Mithrin, & Arimanin, quos Plato vocat Deum, Mentem, & Animam. Dei enim excelsi proprium est vnitas; Mentis, ordo, vel pondus; Animæ autem, mensura & motus. Tres item Deorum ordines ponit idem Plato, non dignitatis tantū maiestate inter punctos abiunctosq. sed & locorum intercapedine. hi sunt Dij, Dęmones, Heroes. Dij excelsissimum locum tenent; Heroes, infimum; Dęmones, medium. de quibus lib. de legib. 4. & in Epinomide. Et August. in Ciuit. Dei lib. 8. cap. 14. Iam vero libro de legibus 6. Plato noster præcipuam vrbis arcem consecrat Vestæ, Ioui, Palladi: vt intelligeremus in Diuinis tres omnium fontes exsistere. Vestam quidem essendi fontem, Iouem viuendi, Mineruam intelligendi. Sic Socrates Deos tres posuit imitatione Pythagoræ; licet Plato eo modo scripserit, vt inter manifestum, atque occultum sententiam suam cęlauerit, non inuidia quidem neque maleuolentia, sed rerum dignitate commotus, sciens per se bonum vestigari nullatenus posse, Propheta regio dicente: Nubes & caligo in circuitu Dei. Tenebras posuit latibulum suum. quo significatur neminem posse cogitare de Deo pro dignitate ipsius, velut in tenebris latētis, quantum ad homines cognitionis eius splendorem non ferentes attinet, nec obtueri valentes, partim propter mentis impuritatem vinctę humiliato hoc corpore, partim propter eius angustias haud quaquam capaces tanti numinis. Quare vbi in Psalmo quodam alio Interpretū tralatio legit: Te decet hymnus Deus in Syon. Hebraica lectio habet: Tibi sienltium laudis Deus in Syon. quo significat omnē ratiocinandi, omnem intelligendi facultatem feriari oportere, quando postrema rerum cum Auctore copula fit. cum nec amicus Dei Moyses Diuinam faciem videre potuerit; sed ex quinquaginta portis, quæ nos ad Diuinorum cognitionem intromittunt, dumtaxat per quadraginta nouem accesserit, vt asserunt Sapientes Hebręorum. Sic Pythagorici scientes neq; Angelum, neq; Hominem immensitatis

Eusebius de præp. euang. li. 14. c. 2.

Psal. 96. 17.

Exho. 33

Diuinæ

Diuinæ profundum ſcrutari poſſe, negationibus ſubnixi, propius ad ſummum bonum accedebant. quod ſi aliquando affirmationibus vterentur, eas ſemper intelligebãt ad res habere comparationem. Quare dicentes Trinitatem rerum omnium eſſe menſuram, nil aliud intelligi volebant, quam per ſe bonum eſſe principium, medium, & finem. Summus etenim ille Auctor Deus, quæ maxima eſt illius Bonitas, in ſeipſo permanens, producit primo res omnes, mox productas ſua vi incendit, & rapit in ſui cupiditatem, at deniq; accenſas, & raptas ſuæ Bonitatis largitate perficit, atque cõplet. Hinc Hoſpes Athenienſis lib. 4. de legibus: Deus, inquit, vt antiquus quoq; ſermo teſtatur, principium, finem, medium rerum omnium continens recta ſecundum naturam peragit omnia circuens. In eandem ſententiam Ariſtoteles lib. de Mundo ad Alexandrũ hoc modo concludit: Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium, & finem, & media rerum omnium continens, rectaq; linea incedens operatur ille quidem ſecundum naturam e veſtigio comitẽ habens iuſtitiæ pręſidem. Antiquo ſermone ſignificat philoſophus Orpheum, qui vaticinatus, Iouem principium, & finem vocauit vniuerſi. Summus etenim ille Auctor creat primo ſingula, mox rapit, ac denique perficit. Vniuerſa enim ab illo perenni fonte effluunt, dum naſcuntur; deinde in eundem refluunt, dum originem illam ſuam repetunt; poſtremo perficiuntur vbi in ſuum redierint principium.

Tria Diuina principia.

Tres Diuinitatis gradus ſtatuunt Plotinus, Porphyrius, & alij Academici, ſcilicet

Deum, Mentem, Animam.

Deum ſummum dignitatis gradum obtinere aſſerunt ingeneratum, æternum, nullum habentem principium, & a nulla cauſſa pendentem. ſecundum Menti aſsignant. tertium ordine & dignitate ponunt id, quod Animam vniuerſi vocant. Hæc Tria eſſe principia ex his, quæ præ cæteris in Mũdo maxime cõmunia ſpectãtur,

Thom. Gianin. li. de Prouidentia.

non

non leuem possumus trahere suspitionem. Inter omnia Ad bonum propensio tam longe lateq; patet, vt nihil Mūdum habitet, quod bonum non expetat, illiusq; gratia non agat, quicquid omnino rerum gerit: Ab hac sequitur Ordo, quo formæ sunt inter se distinctę: Tertio gradu statuitur Modus, quem dicimus vitalem. In bonum procliuitas pendet a Deo, quem Bonum vocamus. sic. n. omnia sunt condita, vt singulis non solum fuerit impertitum, vt essent, & bene essent; sed præterea facultates fuerint attributæ, quibus hæc assequerentur, quantum cuiusq; vis, ac natura capit: Ad esse data est pronitas, qua se vnumquodq; tuetur ab iniuria corrumpentis: ad bene esse facit boni appetitio, & mali aspernatio. Cum itaq; Deus sit ipsum Bonum, omnia ad Deum habent pronitatem ingeneratā. Ad Mentem spectat Ordo formarū; & partes sunt Animæ Mundi motum vitalem impartiri. Hæc Tria Eusebius Cęsarien. lib. 11. de præp. Euang. Theodoretus lib. 2. de curat. gręc. affect. Augustinus Steuchus lib. 1. de perenni philos. & quicunq; Platonis doctrinam Christianæ religioni conciliare student, vnum re, & idem esse opinātur, scribuntq; quod Plato vocat Bonum, Patrem: Mentem, Filium, Verbūq.; Potentiam vero, quę animet omnia, & viuificet, Animam dico, Spiritui sancto attribui.

His coniecturis fulta humana mens, diuinæ Trinitatis vestigiū aliquo modo eliciet; quandoquidem ab eodem supersubstantiali Diuinitatis fonte manarunt vniuersa & materialia, & immaterialia, visibilia, & inuisibilia, quæ cum Ternario sint vniuersa discreta, rationabile est omnem creatam Trinitatem ab æterna, & increata diuina Trinitate duxisse originem; sed aliter signis, aliter caussis archetypis et exemplaribus eadem insunt. nam cum scire, sit rem per caussam cognoscere, Arist. 1. Poster: incomprehensibilis erit substantia diuinæ Triadis, quod illius essentia sit increata, nec in creatis reperiri possit similitudo necessarium cōcludens, & rem demonstrans; quia nō potest tanta similitudo notari inter creaturam & creatorem, quin sit dissimilitudo maior. In his enim quas appo-

suimus

fuimus coniecturis, plerumq; hæc accidunt, inæqualitas, substantiæ diuisio; prius, posterius; sed ex signorum inæqualitate coniicienda est summa in Deo æqualitas; ex substantiæ diuisione, summa coniunctio, & substantię identitas; & ex posterioritate & prioritate, æternitas. Nam rectilinei anguli tres, obtusus, rectus, acutus; licet eodem puncto coniuncti sint a quo lineæ tres protenduntur; inęquales tamen sunt. Obtusus maior, Rectus medius, Acutus minor. Rursum Conceptus, Vox, Scriptura, æquales quidem sunt. Conceptus enim omnia est, Vox omnia, Scriptura omnia; distincti tamen sunt ab inuicem locoque diuisi; nam Conceptus in mente, Vox in ore, Scriptura in charta. & Conceptus prior est voce, vox itidem prior Scriptura. Et in animæ Trinitate Verbum ab Intellectu nostro productum est, similiter & Amor, & Amor a Voluntate emanans, quorum altero diuinum Verbum, altero autem sanctus Spiritus, qui Amor quidam est, designatur; Intellectus vero habens obiectum presens & producens, Patrem effigiat. sed in hoc differunt quod Verbum in nobis productum, similiter & amor (qui a Scotistis dicuntur actus secundi) in nobis sunt accidentia, in Deo vero substantia, & idem cum ipso Deo. Memoria quoq; quæ in nobis recordatio quędam est pręteritorum, in Deo plenissimus est omnium pręcedentium, pręsentium, & futurorum contuitus. nihil in eo acquisitum, nihil temporaneum, nil inęquale, nil disiunctum atque separatum, nil denique prius aut posterius. omnia quippe in Deo coniuncta, inseparabilia, naturalia, inacquisita, ęqualia, infinita, simul, ęterna.

QVATERNARIVS AD LECTOREM.

BRiſeis, Pandora, Venus, cum Pallade Iuno
Oenone Daphne, Laodamia, Themis.
Nireus, Iliades, nec non formoſus Apollo
Hic fixere ſuos ſub ſtatione pedes.
Omnes ornati, ſimiles vt ſcilicet ipſis
Mittant, aſt abigant queis decus iſtud abeſt.
Vare caue, obliquis qui vix fers cruribus artus
Sunt tibi nulla Deum munera, Vare caue.
Mens mala non animus bonus, imo peſsima cuncta,
Artubus his nulla eſt gratia, Vare caue.
Res quoq; nulla tibi mecum ſtrabo, lumina produnt
Te tua, mox lumen faſcinat iſtud, abi.
In me quid gibboſe ruis, procul aufuge, gibber
Nequitiæ ſpecimen turpe dat iſte tuæ.
O furor, ecce breui breuior pede tendit Erynnis
Nomen vis eius? grammata prima docent.
Vir bone ſis saluus, lepidum caput vnde rediſti?
Si non fallor ades de Phlegetontis aquis.
Claudito Apollo fores, non fallor, venit ab orco,
Labia bile tument, ſulphur at ora vomunt.
Arce dirum omen, niger eſt, mihi lacteus humor,
Virtuti & vitio non patet vna domus.
Dum procul eſt commune malum, præſepibus arce,
Vicini pecoris ne mala damna traham.
Sum formoſus ego, formoſis ianua ſemper,
Formoſis animo, corpore, mente, patet.
Huc igitur formoſe veni, quem gloria & ardens
Virtus, pieria tollit in aſtra via.
Huc alacer propera, media te ſorte virorum
Ereptum, in celebri ponere luce volo.
Te volo cælicolas inter ſacramq. cateruam
Ponere, ſic magnus quo videare Deus.
Corripe lætus iter, ſupera faſtigia montis,
Terreat haud animum cura laborq. tuum.
Nam, ſi parta niſi iucundis gloria rebus,
Nulla futura tua eſt: nulla futura tua eſt.

DE NVMERO IV.

Quaternarij naturam nemo satis pro dignitate laudare potest, quippe quæ omnē dicendi facultatē longe superet: verum quamquam plus admirationis in se complectatur, quam quod oratione hactenus ab vllo sit explicatum, haud tamē propterea tacere, sed audacter aggredi debemus; vt si minus omnia, queq; ipsius maxime naturam exprimunt, ea saltem quę cadunt in nostram cogitationem dicendo aperiamus. Atq; illud primum ad huius numeri commendatione afferri potest, quod primus solidi naturam ostendit, cū pręcedentes numeri incorporeis rebus sint dicati. In vnitate quidem censetur punctum, quod vocant Geometræ; in binario linea, ea est longitudo sine latitudine, quæ ex accessione fit superficies ad ternarium spectans. Hæc vero quo minus sit corpus natura solidum, vna destituitur altitudine, qua iuncta ad ternarium, nascitur Quaternarius, qui primus est corporeus solidusue numerus trigonæ pyramidis, quæ ternario, vnitateque erigitur. ad vnitatis enim apicem, basium vice functa trinitas, arithmeticum primum, ac simplicissimum procudit corpus quattuor dispansum vnitatibus, & hoc arithmetica ratione. Quod si geometrico modo pyramidem conflare volueris, vnitatis vice sumetur punctum, nam punctis quattuor geometricum primum, minimumue corpus vallabis, quam trigonam



quoque pyramidem nuncupamus. hanc enim quattuor puncta angulorum ipsius capita finiunt; lineæ sex dirimunt, ac dispartiuntur; quattuor superficies eandē operiunt; ipsa deniq; corpus vnicum existit sub ipsis cōclusum terminis. quo factum est, vt Quaternarius nō modicā sane sit assecutus dignitatem, quando nos ab incorporea, intelligibiliq. essentia ad considerationem solidi corporis trifariam patentis duxit. Quemadmodum autem vnitas vniuersam numerorum perfectio-

nem

nem in se astringit, nempe in quam cuncti adducuntur numeri; pari filo corpus emergit Quaternario, quod magnitudinum tota perfectio corpore contineatur, non puncto, quod est infimum omnem entis excludens rationem, quippe quod per se neque est, neq; intelligitur. Quare cum de Deo, & Intelligentijs philosophamur, in numeris quidem nostræ mentis artificio texenda per vnitatē philosophia; in magnitudinibus aūt non per punctum; sed per corpus, quod suapte natura primum percipitur visu omnium sensuum nobilissimo. Inter sensuum .n. nostrorum organa, vnum illud eorum, quæ sensui subiacent, euidentissimam obtinet cognitionem, et intelligentiam, nempe visus. Nam quæ formidabilia sunt, nequaquam potest quis auditu internoscere, perinde ac visu. Adde quod alia vis nulla per æque apprehendit quid potissimum expetere debeas, vt visio, quod eandem vim oculus teneat in corpore, quam mens in animo. vtriq; enim cernendi facultas attributa, huic quidem, quæ ratione; illi, quæ sensu percipiuntur. Porro mens ad eas res cognoscendas, quæ corporis sunt expertes scientia indiget: oculi autem ad corporum comprehensionem lucem desiderant, quod eam ad oculorum sensum velut instrumentum maxime necessarium natura suppeditarit. liquet .n. sublato lucis medio tot corporum qualitates, ac tot colorum formarumq; species conspicuas esse non posse. Verū enimuero licet infinita bona nobis afferat Solis lumen, numerorum tamen naturam maxime demonstrat, quæ in bonis præcipuum obtinet locum, quod hominum vita ratiocinatione, numeroq; valde indigeat. Viuimus (inquit Epicharmus) numero, & ratiocinatione. hæc .n. conseruant homines. Porro numerus oritur quando aspectus subsidio lucis in sublime sublatus astrorum æquabilem motum, ratosq. illorum cursus, quæ inerrantia, queq; errantia & vaga dicuntur peruidet, & numeri naturam contemplatur, tempore illam proferente. ad tempora siquidem dimetiēda natæ sunt stellæ, quia ex vno die fit vnū, ex duobus fiunt duo, ex tribus tria, ex mense triginta, ex anno tantus numerus, quantum dierum continetur duodecim mensibus, &

Epicharm⁹ comic⁹ in Republ. & Clemens Alexan. stro. 5.

ex

ex infinito tempore infinitus oritur numerus. Confirmatur nostra sententia a Platone dicente in Timęo. Vt esset quædam velocitatis syderum, tarditatisque mensura certissima, omniumque motuum prodiret in lucem chorea, accendit lucem clarissimam Deus in secundo a terra circulo, quam modo Solem vocamus, cuius splendore cęlum omne illustraretur; & animantes omnes, quæcumq; natura numeri capaces sunt, ipsius particeps efficerentur, vsum numerandi discentes ab illo eiusdem, similisque naturæ circuitu. Hęc Plato. Illam profecto sensibilem lucem, quæ & semetipsam, & cetera manifestissime indicat, Quarto die formatam fuisse describit propheta Moyses. Solus porro Quaternarius ex eisdem, & compositione, & innata potentia consistit; compositione quidem ex duobus & duobus; rursum potentia, ex bis duobus, pulcherrimam quandã præseferens consonantiæ speciem, quæ nulli ex alijs numeris inest. mox.n. senarius e duobus ternarijs compositus haud amplius gignitur his per se multiplicatis; sed alius nempe nouenarius. ex quo fit vt Quaternarius sit amplissimus quadrangulorum numerus. fiunt enim quadrati ex quolibet numero in se ducto, & quotusquisque fuerit in ordine quadratus, totidẽ in latere monades habebit; quare constabit rectis angulis, vt liquet ex figura geometrica. hi rectę rationis sunt significatiui; recta autem ratio perennis virtutum fons est. oportet vero aqualia esse quadranguli latera. Aequalitas porro mater est iustitiæ, virtutum ceterarum ducis, ac principis. Ex his igitur quæ diximus perspicuũ est æqualitatis iustitiæ, omnisq; virtutis signum esse Quaternarium numerum, atq; etiã vtramq; naturæ speciem, videlicet corporis expertis, & corporeæ comprehendere; incorporeæ nimirum in superficie, quam explent tetragoni; corporeæ autem in altera dimensione, quam absoluunt cubi quartam sedem in omni geometrica progressione tenentes. Nam, vt habet Euclidis octaua propositio noni, constitutis ab vno continue similium rationum numeris, tertio quoque loco tetragonus se se ingerit sumendus; itemq. quarto loco cubus; atq; adeo trino progres

Gen. 1.

su ab incorporea non absumus natura. ceterum quaterno adusq; corpoream prolabimur naturam, vt in duplis 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. tertius a primo 4. tetragonus est, a quo rursum tertius scilicet, 16. etiam tetragonus; itemq. tertius ab illo, vt pote 64. idemq. in reliquis excrescente quantumuis duplorum summa. ceterum quartus a primo scilicet 8. cubus est, a quo qui quartus nempe 64. rursum cubus, & ita deinceps. Non secus in triplis, in quadruplis, deniq; in reliquis sumẽdum occurrit. Sed dices fortasse, quomodo quadratus ad incorpoream, si Quaternarius, qui etiam quadratus, ad corpoream naturam refertur? sed id facile diluitur. Quaternarius. n. cum ad ternarium confertur, vt pote in quo nulla crassities intelligi potest, tum sane corporeus est, & pyramidis habens crassitiem. at cum idem quadratus ad octonarium cubum confertur, tum Quaternarius est incorporeus, ac dumtaxat octonarij planities, tetragonusque nullam attollens molem. octonarius autem quarto positus loco prorsum crassus, & corporeus est. ita sane & ipsis accidit rebus. Nam si Angeli ad Deum conferantur, & ad supremam, eandemq. summe simplicem naturam, sunt vt crassi, corporeiq.; si autem ad nos, & ad res sensibiles corporea obductas mole, vere & sunt, & dicuntur incorporei. Incorporeus autem, inquit Damascenus, Angelus & immaterialis dicitur quantum ad nos: nam omne ad Deũ collatum, qui solus incorporeus, crassum & materiale comperitur. sola. n. vere immaterialis est, & incorporea Diuinitas. sic luna in conspectu Dei splendore caret, & stellæ non sunt mũdæ. sic humana iustitia Auctori comparata, iniustitia est. Transeamus ad huius numeri plenitudinem. implet. n. Quaternarius vniuersam numerorum differentiam, primum parem, ac primum imparem in se complectens. nam Plato duo, & item vnum, non tã numeros, quam numerorum principia nuncupauit. implet & numerorum progressionẽ: denarij siquidem omnium absolutissimi caussam ac fontem dicere licet. quod. n. actu denarius est, hoc Quaternarius videtur esse potentia. si enim ab vnitate, vsq; ad Quaternarium

Angelos esse corporeos testatur Basilius, & Michael Psellus.

Iob 25.

narium

narium deinceps componantur numeri, denariũ conficient immensitatis numerorum terminum, ad quem ceu metam circumagũtur, ac se reflectũt. De vnitate quidem, cuiuis est perspicuum; quod vero et ceteros deinceps contineat, ex numerorum supputatione facile colligitur; 1.2.3.4. si componamus, oĩs eximetur dubitatio. ex vno quidẽ et quattuor constat quinarius; ex duobus, & quattuor, senarius; e tribus, & quattuor, septenarius; & triplici cõpositione, ex vno, tribus, quattuor, octonarius; rursum e duobus, tribus, quattuor, nouenarius. denarius aũt ex iam dictis oĩbus: nam vnum, duo, tria, quattuor, vt dictũ est, conficiunt decẽ. Numerus aũt denarius, & quaternarius dicitur oĩs; sed denarius quidem actu, Quaternarius potentia. Et ideo Quaternarium appellãt apotelesmaticon, hoc est, perficientẽ, quoniã ex eius partibus, si reducãtur ad vnitatẽ, cõstituitur denarius. quem, cum vniuersus sit numerus, Pythagorei Cęlum & Omen appellauere, quod ẽt suboscure veteres Theologi significarũt, nouẽ Musis vnũ Apollinẽ pręponentes. De ipso aũt denario, qui est altera vnitas, pari quaternario progressu quadratę radicis attingitur explicatio, nã 10.20.30 et 40. simul iuncta, centenariũ numerũ cõficiũt, qui denarij radicis est quadratura. Cẽtenaria itidẽ vnitas pari motu procreat millenariũ. nã 100.200.300. et 400. simul cõpositis, efficitur millenarius cubus æternitatis. nec amplius, quasi nihil superfit, proceditur. quãuis tã post denariũ, vt in vndenario, vbi post ipsum denariũ ad vnitatẽ fit regressio, quã post millenariũ pariter repetitio non negetur. Sunt igitur naturali influxu decẽ numeri, qui quaterna progressione arcentur, nec vltra solidum denarię radicis millenarium, fit repetitionis variatio, cum hic progressione Quaternaria ter repetita, denario exsurgat ordine. Habes itaq; Quaternarium, vnitatis explicationem vniuersi numeri cõtinere potentiã, Accedit ad hęc quod Quattuor primis cubis ordine dispositis licet reperire centenarium ipsius denarij quadratum. si disponatur progressio cuborum, qui suis sint signati radicibus cubicis, i. numeris ab unitate naturaliter progredientib. vsq. ad Quaternariũ, hoc modo.

1	2	3	4	10
1.	8.	27.	64.	100

Summa omnium cuborum facit numerum quadratum, cuius radix est summa omnium radicum eorundem cuborum. quemadmodum enim 1.2.3.4. simul addita, faciunt decem, consimili modo 1.8.27.64. conficiunt 100. cuius radix est 10. Adhuc Quaternarius præter id quod, vt dictum est, in se potentia denarium continet, quem Pythagoras numerorum supremum promulgauit, vniuersarum quoq; rerum ordines numerat, metitur, & apprehendit, adeo vt nihil ferme in rerum natura compertum habeas, quod non aliquo pacto numeretur a Quaternario. Nã & hunc Hierocles Pythagoræ fidus interpres adeo extollit, vt opificẽ, et oĩum caussam dicat. A Quaternario quippe manarunt totius mundi radices, prima, videlicet, maxima, et simplicissima corpora Ignis, Aer, Aqua, Terra. In imo subsidet terra suo liberata pondere, quo cetera quoq; fulcit elementa; Aqua, et Aer in medijs regionibus sistuntur; Ignis summum obtinet Mũdi fastigium. In his quattuor omnis sensibilis actus in materialibus atomis suffulcitur. quidquid .n. ex materia, formaq; conflatur, natura extra elementum degere, seruarique nequit. De his hæc canit poeta Naso lib. 15. de mutatione formarum.

Quattuor æternus genitalia corpora Mundus
Continet, ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius tellus, atque vnda feruntur,
Et totidem grauitate carent, nulloque premente
Alta petunt aer, atque aere purior ignis,
Quæ quamquam spatio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt, resolutaque tellus
In liquidas rarescit aquas, tenuatus in auras,
Aeraque humor abit, demto quoque pondere, rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes,
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit,
Hic in aquas, tellus glomerata cogitur vnda.

Vt igitur in sphæra centrum, & ambitus maxime distant; ita per situm, et naturã ignis, terraq. plurimum discrepant, quare etiã contraria

traria. Fit igitur, vt Mūdo, qui est sub luna Quaternarius sit addictus. Nam si terra sit, ignem quoq; esse necesse est, quia si vnum contrariorum exstat, alterū etiam exstare necesse. Oportet etiam aerē, & aquam inter hæc collocari. cum.n. inter contraria medium desideretur, quando contraria maxime distant, et absq; medio nequaquā congruant, duobus vt hæc vinciantur opus est medijs, namq. solida nisi duplici medio copulari non possunt. quod si planorum duntaxat naturam saperent, vnum tantum sufficeret medium, quod inter duo plana vnicum sufficiat medium. quod ex numeris cōfirmari difficile non erit. omnes.n. planę figurę, quæ nulla crescunt altitudine, vna tantum medietate copulantur, alia, quæ iungat, reperiri non potest. quod si fuerint cubi, duas habere medietates necesse est secundum geometricam proportionem. Sint igitur duo tetragoni 4. et 9. hos poteris vnico medio deuincire, singula quadratorum latera ductitando, illius quidē latus est 2. istius 3. qui multiplicati 6. restituunt. nam 2. per 3. ductus dat 6. Aut etiam multiplica quadratos inter se, & producti sume radicem quadratam, vt 9. ductus 4. reddit 36. cuius quadrata radix est 6. Profecto sicuti se habet 6. ad 4. pari ratione 9. ad 6. per rōnem vtrobiq. sesqualteram. cæterū gemini cubi, siue proximi, siue distantes in geometrica medietate nisi duobus medijs compingi possunt, veluti 8. et 27. cubi hisce duobus medijs conglutinantur. Sic aūt media analoga datur inuenire. duco minorē numerum 8. in se, fiunt 64. quæ duco in maiorem 27. vnde fiunt 1728. cuius radix cubica 12. primum vtiq; mediū; tum multiplico 12. quadrate, vnde fiunt 144. quæ diuisa per 8. relinquunt 18. alterū medium. Inuenies ēt medios terminos hoc modo, si laterū vtriusq; cubi maius in minus ducatur, deinde idē minus in productum, habebis minorem mediū analogum, nā 8. cubi latus est 2. 27 cubi latus 3. atqui 3. in 2. ductus restituit 6. quę si rursum per 2 minus latus multiplicantur, 12. cōstituunt, primum analogū. secundus item habetur si maioris cubi latus in semetipso acuitur, & multiplicatur, tū minor ducitur in productum. quare ducatur 3. in se

fiunt 9. quæ per 2. minus latus aucta conficiunt 18, secundum medium. vbiq. n. subsesqualtera continua habitudo conspicitur. Hæc autem quam sint vtilia ad intelligẽdam Timæi cosmopoeam, id est, Mundi fabricã, Platonis quæ sequuntur verba testãtur: Quoniã, inqt, Mũdus corporeus, aspectabilis, tractabilisq. futurus erat, ac sine igne nihil videri potest, nihilq. sine solido tangi, et solidũ absq. terra nihil, ideo in operis huius exordio, Deus ignem primo, terrãq. creauit; sed duo sola absq. tertio quodam cõmode cohærere non possunt, mediumq. aliquod vinculum, vtrorumq. desiderant; vinculorum, id est aptissimum, atq. pulcherrimum, quod ex se, & ex his quæ astringit, quam maxime vnum efficit. Hoc maxime proportio, ratioq. alternæ comparationis assequitur. quando. n. tribus in numeris aut molibus, aut viribus medium ita se habet ad postremum, vt primum ad medium, vicissimq. vt postremũ cum medio, ita medium cum primo congruit, tunc quod medium est, et primũ fit, & postremum: postremumquoq. & primum media fiunt, ita necessitas cogit, vt omnia quæ sic deuincta fuerint, eadem inter se sint; eadem vero cum facta sint, efficitur vt omnia sint vnũ. quod si corpus vniuersi latitudinẽ habere debuisset, nullam vero profunditatem, vnum sane tum ad se ipsum, tum ad extrema vincienda interiectũ medium suffecisset. at cum soliditatem requireret Mũdus, solida vero non vno, sed duobus semper copulentur medijs; inter ignem, & terram Deus aerem, aquamq. locauit, eaq. ita inter se inuicem, quo ad fieri poterat, comparauit, vt quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam, sic aqua ad terram congrue conferatur. qua ex coniunctione ita constitutus est Mundus, vt aspici, tangiq. possit propterea ex huiusmodi rebus, numero Quattuor, Mundi corpus cõflatum est, ea connexũ comparatione, qua dixi, ex quo seipsum amicitia cõcordi complectitur. atq. ita apte cohæret, vt nequeat dissolui vllo modo, nisi ab eodem, a quo est colligatum. Hactenus ille. Cæterum vt magis notum faciamus, quãta apud Platonem congruitas mathematicis inest ad Physica, repetenda sunt media duorum solidorum.

Posu-

Posuimus inter 8 et 27. cōpetentia media duo, videlicet, 12. et 18. Duodecim quippe numerus tum ex 8. tum ex 27. nascitur. latus. n. ex quo multiplicantur 8. binarius est: latus vero ex quo 27. ternarius; sed ex binario, ternarioq. ita fit numerus 12. si egeris bis duo ter, vbi duodenarius oriens, duo ab 8. accipit latera, vnū vero a 27. Itē ex binario, atq. ternario ita fit 18. si egeris ter tria bis, vbi 18. numerus nascēs, ab 8. quidem remoto latus vnū accipit, vbi dicitur bis, sed a numero 27. latera duo, vbi ter tria. simili prorsus modo se duo habent inter ignem, & aquā elementa media, dum ex duobus extremis contēperantur, interim a proximo quidem naturas reportant geminas, a remoto vnicam mutuantur. quemadmodum. n. tria in igne, terraq. considerantur, Substātia scilicet virtus, & actio: sic & tres potissimum proprietates, nempe in igne per substantiā subtilitas; per virtutem, acumen; mobilitas per actionem. in terra per substantiam, crassitudo; per virtutem, obtusitas; immobilitas, per actionem. Ignem sequitur aer duplici qualitate, subtilitate inquā, & mobilitate, terram imitatus obtusitate. Terramquoque sequitur aqua duabus, obtusitate dico, & crassitudine, vna tantum qualitate, scilicet, mobilitate ignem imitata.

Ignis.	Aer.	Aqua.	Terra.
8.	12.	18.	27.
2 cuborum,		latera	3
Acutissimus,	Subtilissimus,	Mobilissimus,	Ignis.
Bis,	Duo,	Bis,	8.
Subtilis,	Mobilis,	Obtusus,	Aer.
Bis,	Duo,	Ter,	12.
Obtusa,	Crassa,	Mobilis,	Aqua.
Ter,	Tria,	Bis,	18.
Obtusissima,	Crassissima,	Immobilis,	Terra.
Ter,	Tria,	Ter,	27.

Ex his Quattuor elementis fecit omnia Deus, atq; ipsa Quattuor in singulis eorum in Quattuor considerantur. Ignis quidem in luce, & Stellis, & Luna, & Sole. Aqua autem in Firmamento, & alia aqua super firmamentum, & terrestri, & abyssina. Aerem in Quattuor ventis diuisit. Terram partitus est in Quattuor fines, in qua exortus est Mundo Sol celestis, propter cuiusmodi ortus mysterium, fecit etiam Quarto die Solem. Eo modo quoque in Quattuor generationes terram dispartitus est, herbæ inquam, & fructuum, & animantium, & hominum. Similiter animantia in Quattuor genera diuidens, ea nominauit pecora, animalia, feras, & reptilia. Simili modo Quattuor semina in creatura super terram agnoscuntur, nempe germinantium, & volucrũ, & animalium, & hominum. ea.n.sola in terra, & e terra nascuntur; Pisces autem semen deijciunt in terram, nisi quod citra semen nascuntur ex aquis. Neq. tamen sunt priuati figura Quaternaria, cum habeant figuram crucis, sicut etiam volucres, cum quibus facti sunt. ipsi.n.duabus alis, & capite, & cauda feruntur in aere, & aquis. Pecora quoq. cum sint Quadrupedia, Quartum describunt numerum. Similiter Homo, vt qui sit ad imaginem Christi crucifixi, adorãs, ad formam crucis figuratam habet imaginem; atque etiam ex Quattuor humoribus, quas simplices, & homogeneas partes dicunt, compositus est. Constat.n. humana hæc moles sanguine, pituita, flaua, atque atra bili. & sanguis quidem cum calidus, humidusq. sit, ex aere est vtique; flaua vero bilis, quia calida, & sicca, constat quod sit ex igne; atra autem, & sicca terræ proportione respondet. pituita vero, vt pote quæ frigida, & humida est, aquæ vim referre videtur. Sanguis gustu dulcis est; pituita, salsa; flaua bilis, amara, atra vero, acetosa & flauescens; sanguinis locus, & spiritus in corde est. a dextris quidem huius sanguis: a sinistris vero spiritus consistit. flauæ bilis, in iecinore: atræ, in liene: pituitæ, in cerebro locus est. Atque horum non naturalis excessus, defectusq. & ex loco proprio in aliorum translatio, intestinam

stinam quandam seditionem, & morbos inferunt. Hunc pulcherrimum corporis concentum Dicæarchus ad animam referre non dubitauit, eam dicens esse principium elementorū, scilicet ignis, aeris, aquæ, & terræ, in ipso corpore, cui insidet, infusam, afferentem secum eidem corpori pulcherrimam ex Quattuor complexionibus, & elementaribus qualitatibus harmoniam, & commixtionem. Hinc & Philolaus Pythagoræus, & Medicorum aliqui, vt Hippocrates, animam nihil aliud esse, quam harmoniam, & temperaturam ex Quattuor complexionibus, & qualitatibus, atq; inde ex virtutibus vitalibus ac animalibus dicunt, qua harmonia dissoluta, & qua crasi disturbata, ipsum quoq. corpus animatum dissoluatur, & moriatur, cuius vita omnis alioqui non nisi per istam temperaturā, & proportionem geometricam consistat; porro nobiliores hominis actiones, vt pote intellectum diuinum, rationem, liberum arbitriū, & similia, prouenire a commodiore temperatura, sicut alias complexio humanorum corporum diuersa, variat quasi animi, ac ingenij habitum. Fuit etenim veterum sapientum comprobata sententia, quod Mūdi auctor Deus missurus animam in corpus, velut domicilium, prius id, atq; eo dignum, metitur hospitium, nobilissimumq. animum, etiam specioso corpore condonat, quod tunc etiam animus ipse, diuinitatis suæ conscius, pro habitu suo sibi adfingit, atq; adornat. Absoluta igitur numeris omnibus censeri pulchritudo debet, vbi ista conueniant, animalis virtus, atq; præstantia, tū corporis concinna linearum, colorum, membrorumque compacta, bene neq. constituta proportio. alias mutilata est. Nam corpus, in quo hæc optime inter se consentanea videantur, id primum pulchrum, ac concinnum dicunt; deinde propemodum fieri non posse putant, quin his non insint præstantissimæ animi dotes, qui forma corporis cæteros antecellunt; perinde ac si illorum animus longe potior, diuiniorq. sit, quorum forma corporis, vt pote re vera animæ simulacrū, est honestior. Nam & Porphyrius Dæmones, quorū animi iniqui sunt, corpora item habere deformia pronunciat. Esse quoq; natu-

Diaceti⁹ Panegyrico in amorem.

raliter intus bona statuit Plotinus, quæcumq; sint extrinsecus vere pulchra, quippe quod ex interioris formæ perfectione, atq; seminariæ rationis victoria super materiam proueniat externa formositas. quare Diogenes cum adolescẽtem formosum admodum turpia quædam fabulantem audisset: Non te, inquit, pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium exerere? quasi, vt apud plurimos vulgatum est, Pulchritudo bonitatem semper comitetur; nec fieri possit, vt citra bonitatem sit pulchritudo. quod his verbis comprobat Maximus Tyrius: Quod pulchrum est, id neq; exitiosum vnquam, neque lubricum, neque flagitium aliquod efficit, neque quenquam ad infortunium ducit, aut ad calamitatem deducit, neque in poenitentiam desinit. In quam sententiam Aur. Augustinus pronunciauit speciosos in diuina pagina dici Bonos. quemadmodum legimus apud Prophetam, qui ad ostendendam Saluatoris Christi sanctitatem, vsus est Pulchritudinis voce, cum diceret: Speciosus forma præ filijs hominum. Quid de ipso Dauid? cuius multa virtutum ornamẽta cum celebrasset Oraculum, tum vero quasi omnium summam addidit pulchritudinem: Ecce vidi, inquit, filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, fortissimum robore, virum bellicosum, prudentem verbis, pulchrum aspectu, decoraq; facie. quare meruit, vt, quod testantur diuinæ litteræ, esset Deus cum eo. amat enim pulchra Deus, non quia pulchra, sed quia probitatis insigne pulchritudo est. sic Ioseph Patriarcha, de cuius prudentia testatur æquanimitas perpetua, in tantis circa fortunã eius mutationibus, cum ille tot, & tantos fortunæ ictus recte sustinuerit, ea corporis pulchritudine fuisse legitur, vt amor mulierem adegerit ad insaniam. sic & Achillem, atque Hectora singulari pulchritudine insigniuit Homerus. Virgilius quoque Homerici per omnia perfectionis imitator, a dignitate formæ commendat Aeneam, quem vnum, & Achilli, & Hectori, & Vlyssi virtute, pulchritudine, atq; animi magnitudine comparat. sic enim in quarto Aeneid.

Ser. 11.

In Ciuit. libro 15. cap. 23.

Psal. 44.

1. Reg. 16.

Gen. 39.

--- ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Aeneas.

Ad ea, quæ diximus pertinet, quod apud Spartanos erat Licurgi lege sancitum, vt speciosus puer, & forma liberali publice educari; mancus vero, & deformis in loca vasta, & prærupta exponi, vel in vltimas terrarum oras ablegari deberet. Testatur et Diodorus Siculus corporis pulchritudinem præ omnibus, magno in primis pondere apud eos fuisse, quibus imperauerat Sopithes, atq; in ipsa statim infantia puerorum discrimẽ fecisse, vt, qui membra, ac naturam ad bonum corporis statum, & robur idoneam habere viderentur, eos educarent: quibus corpora essent deformia, ijs alendi curam impendere superuacaneum existimarent, ac mortem inferrent; pariter & in matrimonio contrahendo, neque dotis, neque magni apparatus, sed formæ dumtaxat, & proceritatis corporum rationem habuisse; quasi illud Apuleij ex Apologia secunda iactantes: Virgo formosa, & si fuerit oppido pauper, tamen abunde dotata est. affert quippe ad maritum nouã animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ioannes Boemus Aubanus de moribus gentium: Connubia (inquit) non opibus, & nobilitate, sed formæ præstantia conciliant inter se liberorum caussa, qui in Catheis Indis habitant populi. Memoriæ quoque traditum, Aethiopum populos qui Gymnosophistarum sapientia regebantur, Reges sibi non ex his, qui fortissimi, & opulentissimi essent, creare; sed eos tantum, qui forma essent pulcherrimi, atque præstantissimi. Approbatur hoc auctoritate Cepolæ, qui in tract. de Imper. militum eligendo fol. penult. concl. 10. dicit, in dubio deligendum esse in Imperatorem exercitus, qui forma eleganti ceteros excelleret. Nam & Aristoteles in Politicis suadet illos ad magistratum legendos esse, qui sint forma decenti, & non monstruosa. Et in Ethicis, non satis ad felicitatem idoneum dicit, qui deformis est. Alibi quoque a signatis, cauendum eße monet.

In Alexandro.

Lib. 2.]

Ethic. 1. cap. 2.

Quod in Cain aperto testimonio sacra Genesis testatur historia, qui perpetuo profugus fratricidij signum palam in fronte, Dei decreto, semper portauit. Animum certe ipsum non cernimus, ideo neque illius inspicimus pulchritudinem: corpus autem umbram animi, imaginemq. videmus. Itaq, ex eius imagine suspicantes, in corpore formoso speciosum animum facile coniectamus. vnde & natura comparatum est, vt eos etiam, quos nunquam nouimus, statim diligamus, si corpore insignes fuerint; contra statim contemtui nobis aliquo pacto sint, qui turpi corpore sunt, aut non ita eleganti, vsq; adeo vt si duo virtute aliqua animi præditi sint, longe magis eam æstimemus in formoso, quam in deformi. quod Maro vidit, dum in Heroicis ita cecinit.

Aen.li.5. Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus.

Pythagoram quoque legimus a principio statim adolescentes, priusquam in disciplinam suam admitteret, physiognomoniam consueuisse, hoc est, indolem ex oris, vultus, totiusq. corporis filo, atque habitu scrutari, vt si minus apti ad philosophandi scientiam viderentur, alio potius ingenium, atque studium transferrent, quam cum scholæ, & magistri dedecore oleum, atque operam perderent. quem secutus Plato, diuini plane iudicij vir, quoniam existimaret corporum structuram ingenijs non dissimilem, distorta membra, distortum fere gerere animum, eumq. prauitate, & passionibus immutatum, corpus quoq; conforme sortitum, scholæ suæ talem adscripsit titulum. Ne quis corporis habitudine, & proportione praue dimensa, compage male structa, figura ue deformi illam ingrederetur. quod sentire videntur etiam multi tum prisci, tum recentiores philosophi, qui abditarum in ipsis naturæ penetralibus caussarum secreta mirati, ausi sunt attestari, nullum vitium, nullamque inæqualitatis prauitatem humano corpori insitam esse, quam non itidem sequatur animus vitiosus, atque intemperans, cum sæpe alterum alterius quasi naturam redolens crescat, et adolescat, atq; operetur. Apud Mathematicos faciem inuenias collo, ore, oculis, & toto capitis

pitis gestu tortuosam. idque contradicentem aduersarium significare cuiusmodi simulacrum in decimo Scorpij gradu intulere, eoque supra horizontem ascendente in lucem editum, ceruicis fore indomitæ, futurum esse præsagiunt. Notatum quoque & illud in prisca Romanorum theologia, vt non solum funesti a consecratione, & sacris arceantur; sed & manci, quiq. insignes debilitate corporis, aut membro, velut indigni, qui sacra tractarent. propterea M. Sergium ob prauitatem, imminutionemq. corporis a sacris fuisse amotũ. Quin etiam huius generis homines a propria hereditate perpetuo excluduntur. Vulcanus, quia deformis erat, de cęlo fuit eiectus, et dum caderet, factus est claudus. Miphiboseth, quod interpretatur os confusionis, vel ignominiæ, cadens factus est claudus, & tandem propria hæreditate in dimidio diminutus. Temporalia.n. & æterna sunt duæ partes hæreditatis nostræ; claudis autem hęreditas dimidiatur, quando cęlestia (dimissis eis temporalibus) subtrahuntur. Plutarchus probl. 73. scribit Augures, si vlcera haberent, inaugurandi caussa sedere prohiberi, eiusq; rei caussam recitat, signum hoc esse, quod vlcus mutilatio quædã, & pollutio corporis videatur, significans nõ oportere eos, qui morsum ali quem, aut vlcus & perturbationem in animo haberent, res tractare diuinas. Assentiunt diuinæ legis interpretes, quando ad animi vi tia referri volunt, quæ de corporis deformitate ad Moysen locutus est Dominus, ne scilicet claudus, vel paruo aut grandi nasu vel torto, ne fracto pede, aut manu, nec gibbosus, ne lippus, nec albuginem habens in oculo ad sacerdotium assumatur. In cuius rei testimonium hunc sermonem protulit August. & decreta canonica clamant 41. dist. s. vlt. In compositio corporis inæqualitatem indicat mentis; Vnde historiographus Salustius, cum eius mutabilitatem describeret, cuius conscientia excitata curis mẽtem vastabat, inter cætera hoc etiam notabile indicauit, dicens: Incessus eius modo citus, modo tardus. Apud Marcum Euangelistam, vt insania mentis, motu corporis demonstraretur, ira præceps, & impaciens excu-

tit

Seneca Declamat. li. 4.

2. Reg. 4.

Plinius nat. hist. lib. 7.

Leuit. 21

49. dist. hinc etenim.

Matt. 26. Mar. 24.

tit de solio Caipham summum sacerdotem non inuenientem calumniæ locum in Christo. Quid vero de impio Iuliano scripserit Greg. Naz. audiamus: Hæc quidem de Iuliano alijs ipsa experimenta tradiderunt, & assumta potestas imperij. mihi autem eius mores comperti sunt, cum hunc virum Athenis clarius agnouissem. venerat enim illuc, cũ frater eius Imperatori videretur inimicus, fuitq; aduentus eius ratio duplex. vna quidẽ quasi decentior, qua dicebat se venisse, vt Gratiam, eiusq; scholas videret; altera vero secretior, & ignota plurimis, vt immolatores Dæmonum, & viros fallaces inquireret, quia nondum habebat impietatis suæ licentiã. tunc igitur me non malum huius viri coniectorem fuisse memini. non .n. fortuito ista conspexi, sed faciebat me cautum incõstantia morum eius, atq; incredibilis quædam mentis emotio. Vates siquidẽ egregius est, qui bene considerat. Nullum .n. signum in eo mihi vtile videbatur, ceruix inflexibilis, humeri iactabiles, oculi currentes huc illucq. directi, & furiose respicientes, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemtum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes ac effrenati, consensus & negatio simul, ratio nulla ratione consistens, interrogatio inordinata, atq; responsio nulla congruentia sibi conueniens. Sed quid per vniuersa discurro? talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui. Quod si essent mihi præsentes, qui tunc aderant, testarentur, quod cum hæc vidissem, repente dixi. Quale malum Romanorum terra nutrit. Hæc Theologus. Non solum aũt mali existimantur, qui deformes, sed inauspicatissimi etiam ominis est distorto cuipiam occurrisse. Hinc in deformes foedoque aspectu homines natum adagium: Qui te conspexerit, augurium capere poterit; Clarissimum sane illud Plutarchi in Bruto, qui infaustum pugnæ exitum apud Philippos sibi significari putauit Aethiope illo deformi, qui procedentibus aciebus occurrit. Pari modo Septimus Seuerus Imperator ex occursu Aethiopis sibi mortem cõcepit. autore Aelio Spartiano in vita illius. Simile quiddam & de Adriano fertur,

Lib. 2. In Iulianum.

Vide adagiũ, Ominabit aliqs te conspecto.

fertur, qui ex occursu Mauri, hominis longe omnium distortissimi, ingruere sibi extrema coniecit. Augustus denique Imperator, vt tradit Suetonius pumilos atque distortos, vt ludibria naturæ, malique ominis abhorrebat. quo spectare videtur carmen illud Satyricum Iuuenalis.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem. Saty. 5.

Proinde, non ab re, Philosophus, monstra non putat alenda, cum raro apparere soleant, quin ingentia mala non portendant, Ideoq; antiqui augures, ac Romanorum aruspices, eiusmodi visis, supplicationes publicas decernebant, vt mala impendentia Imperio Romano Iupiter placatus, auerteret. Huiusmodi siquidem humana monstra, mala semper agunt, atque exitium afferre solent; sicut & de his constat qui Saturnini sunt, de quibus his verbis meminit Marsilius Ficinus: Saturnini quidem euadunt immundi, inuidi, tristes, dæmonibus immundis expositi, quorum commercium procul effugito. nam Saturnini venenum alibi sopitum latet, ceu sulphur a flamma remotum; in viuentibus vero corporibus sæpe flagrat, atque vt sulphur accensum, non comburit solum, sed etiam vapore noxio omnia circum implet atque inficit appropinquantes: ita etiam Iouiales præsenti tali aliquo signato infelices euadunt. Hæc ille. Non possum hic nō palam facere, quod de his qui membris aliquibus a natura mutilati sunt, scribens Auctor quidam ab illorum commercio temperandum admonet, & ab his etiam quibus male propitia fortuna est, verbi gratia, quibus mutilati sunt oculi, nares, os, pedes, manus, & qui altero claudicant pede. Quod de rege Spartarum Agesilao claudo, non tantum exitu comprobatum, sed longe etiam antea sapientissimo Apollinis oraculo pronunciatum est his carminibus.

Sis inuicta licet tibi dico Sparta cauebis
Ne claudo victrix patiare incommoda regno,
Includent subito multo te tempore morbi,
Et sęuo bellum prosternens omnia fluctu.

Plutar. in Agesilao

Accedat

Accedat & Thersites Homericus qui vt erat garrulus, factiosus, principibus malus consultor, ac grauissima vniuerso Grecorum exercitui pestis; sic & corpus ad portentum vsq; a capite ad pedes deforme habebat, vt in eo possis intelligere pessimum animum in domicilio se digno habitasse. sic.n. illũ describit Iliad. lib. 2. Fœdissimus omnium, qui ad Troiam nauigauerant, altero oculo strabo, altero pede claudo, curuis humeris, & in pectus contractis, vertice acuminato, rara lanugine. His signis & notis Valerius Martialis lib. 12. Epigrammaton, Zoilum quendam malum esse suspicatur.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine lęsus.
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Exstat & Grecum Epigramma Palladæ in claudum quempiam lib. 2. Epigrammaton.

χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα. καὶ γὰρ ἀληθῶς
εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει. Hoc est.

Pes tibi quod claudus, quod clauda per omnia sit mens.
Interius retegunt extera signa malum.

Est item locus quidam Scripturæ, ad rem de qua nunc agimus, maxime commodus, eadem quæ de claudis, vel oculo mutilatis adduximus, mira contestatione confirmans, in eo libro, qui Regnorum scribitur, in quo ita de claudis, et cęcis scriptum legitur: Abijt Rex Dauid, & omnes viri qui erãt cum eo, in Ierusalem ad Iebusæum habitatorem terræ, dictumq. est Dauid ab eis: Nõ ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc. Cepit autem Dauid arcem Syon. hæc est Ciuitas Dauid. Proposuerat enim Dauid in die illa præmiũ, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatũ fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animã Dauid. Idcirco dicitur in prouerbio CAECVS ET CLAVDVS non intrabunt in templum. Sed quid ex antiquitate huiusmodi exempla eximere conor? cum superioribus diebus in hac vrbe rabulam oculis viderimus, qui vt inter mortales omnes

2. Reg. 5

nes

nes maxime deformis erat; ita etiam animi improbitatem pessimis moribus testatissimam faciebat. Erat quidem Hyperbolus ille adeo breuis pede, vt ambulando toto contorqueretur corpore; sed mirum quanto maiori claudicatione mens illius vacillaret. nihil.n.nisi quod distortum & ab æquitate deuium suscipiebat agendum; quas vidisset caussas, vt iniustas a verecundis & bonis viris reiectas, eas ipse impudentia singulari præditus amplectebatur, existimans mendacem fortunam tantum dominari, quam comitentur scelera, fraudes, periuria, quas iuris formulas vocabat. vbi ergo ad subselia ventum erat, garrulitate scurrili, bonorum conuitio, & maledictis caussas agitabat, quas ob res Bonhomus noster terque quaterque fustibus ac verberibus cæsus est, atque publica iudicum sentẽtia tamquam simia petulantis & effrenatę linguę pœnas dans, turpiter e foro eiectus; in quem postea locum vix supplex, & se grauiter accusans, recantatis opprobrijs fuit restitutus. Neque hic mihi aliquis succenseat, quod Ciuitas Bergomea, quæ semper viris omni virtutum genere ornatissimis floruit, nunc monstrum omnibus flagitijs, ac sceleribus insigne protulerit. Necesse enim fuit vt natura purgandi sui gratia, postquam tot claros Viros ediderat, cum tandem emitteret, in quem vniuersa vitia, quasi excrementa sua conijceret, quo purior & vegetior ad pristinum institutum procreandorum hominum illustrium reuerteretur. Hic tamen etiam atq; etiã considerandum quæ diximus corporis vitia a conceptu ne insita corporibus, an casu contracta fuerint. Nam si qua corporis deformitas fortuito contigerit, cum nulli, neque arti, neque rationi sit subiecta, ea vtiq. nemini vitio verti debet. Quinimmo si ab euentu ratio petatur, pluribus etiam corporis eiusmodi labem maximę laudi, & ornamento fuisse compertum est. Vt.n. ad exempla deueniamus. Sp. Caruilio, cui grauiter claudicanti ex vulnere ob Rempublicam accepto, & ob eam caussam verecũdanti in publicum prodire, mater dixit? Quin prodis mi Spuri: quotiescunq. gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniet in mentem. Horatium Romanum, cui

Cic. de Oratore lib. 2.

ab

ab euentu Coclitis cognomen iniunctum, alterius oculi iactura quam strenue pro patria pugnando in prælio passus est; non deformem, sed potius insignem, & gloriosum reddidit. Hannibal ille militari disciplina, & maximis contra Romanos victorijs clarissimus, simili alterius oculi orbitate, qua in traijciendis Alpibus frigoris violentia affectus est, nō ideo corporis dignitatem, aut rerum gerendarum solertiam, vel gloriam minuit, aut turpauit. Mutium illum alterum nobilem Romanum, cui postea Scæuolæ nomen inditum, clades dextræ manus, quam pro patria a Porsenæ Etruscorū Regis obsidione redimenda incurrit perpetua nominis celebritate insigniuit. Et ut etiam nostri seculi referamus exemplum aliquod illustre. Lactantius Bongus Nobilis Bergomas bellicis tormentis pyrobolis totius exercitus Venet. Præfectus, ictu globi tormentarij in Veronensi expugnatione, quam Venetorum nomine moliebatur, altero femore abscisso, ob eam caussam in maximo fuit honore. Quod si natura, non autem illustri casu id ei contigisset, nequissimi hominis ob illam mutilationem indicium præ se tulisset; At illius uita, & maximæ res pro Veneto imperio gestæ, clarissimum uirtutis prudentiæ, & probitatis testimonium consecutæ sunt. Nunc mihi si tanti Viri gentilis mei recordatione a re proposita aliquantisper euagabor, parcendum existimo. Ille est Lactātius, qui singulari virtute, militari solertia, rerum gestarum magnitudine patriam nostram illustrauit, ita vt omnes fere pro constanti teneant illum, si non fortuna, virtute certe & animi magnitudine & prudentia ad Illustrissimi Imperatoris Bartholomei Colleoni famam, si par vita fuisset (perijt enim annos natus triginta) propius accessurum fuisse. infelici etenim illa tempestate, qua vna cum Iulio secundo Pon. Max. omnes prope Europæ Principes ad delendum Venetorum imperium & nomen conspirasse videbantur, ferroq; & anathemate cum ea Resp. vndiq; præmeretur, acceptaq; illa funesta clade in Glarea abduæ, qua fuerant fere ex omni continēte Italiæ Veneta arma expulsa, hic inquam Lactantius noster, exerci-

exercitus & tormentorum venetorum præfectus, reliquis hostium victoriam sequentibus, vnus prope velut alter Horatius fidem seruauit, atque afflictis Venetorum rebus toto eo bello operam non minus strenuam, quam fidelem præstitit. Quare non solum a Venetis meruit præclara stipendia, et præmia suæ virtutis, & inuictę fidei; sed mortuus etiam publicum funus, & lamentationem adeptus est, publicoq; Senatus Consulto equestris ei statua erecta est. Concludendum igitur corporis defectus, quos casu, non natura quis patitur, nullam animi deformitatem indicare, aut patientem ad aliquod scelus impellere. Quinimo ea est vis humanæ mentis & intelligentiæ ratio, vt aliqua etiam naturali deformitate laborantes, nisi suapte obstinatione, & praua voluntate maligni sint & impuri, Diuina adiuuante gratia, & philosophiæ adminiculo, possint externas omnes virtutique contrarias affectiones exuere, & rebus honestis inuigilare. educatione enim ac philosophiæ studijs fingitur, vt lubet, animus. Quare dictum fortasse est sapientem fortunæ dominari, & suæ vnumquemque fortunæ esse artificem; cum pro comperto videamus, quamuis astris vel natura ad aliud impellatur mens, ratione tamen & libera voluntate effici, vt possit homo sequi quam maluerit viam. Cuius rei argumentum est Socrates ille (de quo nihil satis posset pro dignitate dici, quem fuisse Gentilium omnium sapientissimum constat, proximeque ad Christianam sapientiam vere accessisse) vir temperans, castus, iustus, modestus, iniuriarum patiens. Hic igitur cum a Zopyro physiognomo ex corporis forma libidinosissimus omnium fuisset indicatus, amicos in contrariũ nitentes, hominiq; minitantes, confestim corripiens, asseruit se talem omnino fuisse euasurum, nisi se philosophiæ corrigendum exhibuisset: quãquam tantus postea vir (proh dolor) maleuolorũ linguas felle infectas effugere nequiuerit. Ita .n. natura comparatum est, vt facile de altero malum suspicetur, qui facile ad malum impellitur: quemadmodum simplex animo nec turpe quidquam admittit, nec de alijs temere suspicatur.

Ad Lactantium Bõgũ honestandũ posita equestris statua.

Lud. Vitues i Augus. de ciuit. lib. 8. cap. 1.

Aelianus & Cic. de fato.

Quoniam ergo Philosophus forum circumibat, iuuenesq; ad philosophiæ studium hortabatur, præsertim elegantiori forma præditos, quos ad philosophiam aptos iudicabat, quod, vt dixi, ex liberali forma eosdem egregia animi indole esse conijceret, in hanc pessimam opinionem adducti sunt quidam Athieniensium, vt Socratem puerorum amore correptum, et obscænę libidinis caussa cum Alcibiade consuetudinem habuisse putarent. quod ipse Plato tetigit, dum Socratem loquentem inducit his verbis: Pulcher est Theætetus; pulcher Carmides. Ac plane in Dialogis suis ostendit Socratem apud prophanum vulgus huiusmodi falsa suspicione laborasse. at vero ille quamuis videretur mirari formas adolescentulorum, videretur amare, et zelotypia tãgi; ab his tamen affectibus dis diapason aberat; cum animi, non etiam corporis pulchritudinem intelligeret. Nouerat .n. vt qui omnium sapientissimus Apollinis oraculo fuerat iudicatus, non minus homicidam esse censendum, qui hominem præripit nasciturum, quam qui natum tollit e medio. Audacior profecto qui presentem abrumpit vitam; sed crudelior qui lucem inuidet nascituro; & nondum natos suos filios enecat. Sed iam satis animum meum hac digressione oblectaui. redeundum ad Quaternarij plenitudinem. Implet hic numerus totum anni tempus, quia Sol in Signifero delatus ab Occidẽte in Oriẽtem anni circulum peragit quadripartitis temporum varietatibus; in quibus vniuersa mutantur. namq. ab Ariete incipiens ver ostendit, & Taurum & Geminos transiens idem significat; sed ingrediens Cancrum, & Leonem transiens, & Virginem, ęstatem perficit. at dum Libram ingreditur, ęquinoctium conficit, & autumnũ significare incipit, ab hoc signo transiens ad Scorpium, & Sagittarium. deinde protinus incurrit in hiemalem circulum, & Capricorno, Aquario, Piscibus, hiemem transigit. Hinc Astrologi quattuor hęc signa Arietem, Cancrum, Libram, Capricornum mobilia nominarunt. nam vere germinant plantę, animalia pleraq. coeunt; veluti asini, aues. Aestate vero fructificant plantæ; pulli animalium adolescunt,

aquę

aquæ silent. Autumno cuncta senescunt, & arescunt. Hieme contrahunt, et silent; contra turgent aquæ, et intumescunt. Eadem fere Sol operatur in homine diurno motu, ab Oriente tendens ad Occidentem. Nam vt Galenus in sexto Epidemiorum dicebat, partes diei naturalis partibus ipsius anni correspõdent; matutina quidem veri, in qua homo lætus exsurgit, mouetur sanguis, lætaq; sunt omnia. Post meridiem vero calor ingens, bilisq; feruet. At prima noctis parte, melancholia dominatur, homo arescit ac cõtristatur. Post mediam vero noctem pituita & somnus dulcis, & iucunda quies mortalibus segnisq; torpor accedit. nam quod homines prima parte noctis dormiant profundius, non id contingit ob temporis naturam, sed ob cibos assumtos. Aliam vero partitionẽ affert Soranus dum ait, ab hora noctis nona ad horam vsq. tertiam diei moueri sanguinem. consentaneum .n. est tunc peracta coctione sanguinem abundare. respondet etiam aeris matutina constitutio, & somni suauitas. Flauam aũt bilem ab hora tertia diei vsq; ad horam nonam, circa quas horas etiam in tertianis febribus paroxysmos excitari deprehenditur: et aeris constitutio congruit. Melancholia aũt habet quadrantem diei, qui est ab hora nona diei vsq. ad tertiam noctis, aeris quoq; constitutione ad siccitatẽ & frigus declinante. Phlegma deniq; habet tempus ab hora noctis tertia vsq. ad nonam eiusdem, circa quod tempus non aer tantum ex Lunæ de noctę fulgentis radijs, sed corpus quoq. nostrum humidissimum est, maximeq. flaccidum, somniq. ex copia halituum profundissimi.

Laertius de vitis philosophorum. lib. 8.

Proportione rursus Quattuor tẽporum anni, totidẽ à Pythagora assignãtur humanæ vitæ partes. Pueritia, Adolescentia, Iuuentus, Senectus. harum quælibet viginti continet annos. Pueritia.n. quæ est a natiuitate vsq. ad vigesimum annum, humiditate magis gaudet, quam caliditate, & assimilatur veri: nam cuncta animalia prima in ætate humido abundant, & mollia, teneraq. sunt, sicut illa tempestas sentitur. Sed proxima ætas, quæ assimilatur æstati longe calidior est, quã sicca, et incipit a vigesimo primo anno, annos

complexa viginti, vocaturque adolescentiæ. Tertia, quæ iuuentus dicitur, tanquã deflorescens, & ab interitu non admodũ distans, arida est, autumno similis, incipiens a quadragesimo primo anno. Vltima, senectus in qua animantis est corruptio, ita vt hiems prorsus est frigida, annum octogesimum vt plurimum pro termino habens. Quare prima ætas est incrementi; secunda roboris; tertia sapientiæ; quarta debilitatis. Quattuor partibus anni, & quattuor partibus diei naturalis, & quattuor ætatibus proportione respondent etiam quattuor partes diei ciuilis secundum Almansorem insignem astronomum. Namq. vt pleriq. norunt, Iudaica antiquitas, aliæq. gentes lucis & tenebrarum discreta spacia fecerunt, ac lucis spacia duodenario numero horarum donarunt, ita quidem vt cuiuis, verno æque ac æstiuo, de hinc autumnali pariter & hyberno, duodecim horas æquales attribuerint. de quibus loquitur Plinius lib. 2. capit. 29. Ptolomeus etiã passim in magno syntagmate Astronomico lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 3. & 5. Iuxta quã consuetudinẽ in Euangelio scriptum est, a sexta hora vsq. ad nonam factas fuisse tenebras super vniuersam terram; quod intelligẽdum est a decima octaua hora vsq. ad vigesimam primam diei naturalis, vt nunc horæ aguntur. Eodem modo de his intelligi debet quod legitur in Act. cap. 2. vbi populo ex diuersitate linguarum ebrietatem Apostolorum suspicanti Petrus inquit: Non, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. per quam vel 12. vel 13. intelligit debet, respectu nostrorum horologiorum. Prima igitur diei hora vsq. ad perfectionem trium horarum, est sanguinis; tres vero subsequentes, quarta .s. quinta, & sexta, choleræ rubeæ; at septima, octaua, et nona, choleræ nigræ; tres supremæ, decima nimirum, vndecima, & duodecima, pituitæ. Similiter noctu. id enim temporis non tam in horas, quam in vigilias diuisum fuit. cum enim militibus longum esset per noctem totam excubias agere, in vigilias eam Quattuor dispartiti sunt, qualibet trium horarum spacium æquante; atque harum non aliter, ac horarum apud Auctores multa fit mentio, vt

Proposit. 117.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23.

ut apud Euangelium Lucæ cap. 12. Beati sunt serui illi, quos Dominus, siue circa secundam, siue tertiam vigiliam venerit, inuenerit vigilantes. & Matth cap. 14. Dominus quarta vigilia noctis ad nauigantes venit Apostolos. Plinius secundi libri 70, capite: Canopus in Arabia Nouembri mense prima vigilia occultus, secunda se ostendit. Apud Liuium passim huiusmodi exempla legentibus occurrunt. In his igitur omnibus etiam prima vigilia humida est & calida, sed minus calida, quam humida, sicut ver, quod plurimum habet humiditatis, cum soluto frigore aura calore diffunditur; at secunda calidior, quam sicca, sicut æstas, quod tum Sol proxime verticale nobis punctum feratur; tertia vero pars siccior, quam frigida, nā autumni propria est siccitas, humiditatem tum præterito æstu reprimente; quarta demum frigidior quam humida, sicut hiems, quod tum Sol lōgissime distet a verticali nobis loco. Prima igitur sectio vernalis est calida humida, puerilis, sanguinea in Ariete, Tauro, Geminis. secunda æstiua, calida, & sicca iuuenilis, cholerica in Cancro, Leone, et Virgine tertia autumnalis frigida, & sicca melāncholica, decrescens, Libram, Scorpium, Sagittariumque complectens. quarta hiemalis frigida, humida, pituitosa, senilis continens Capricornum, Aquarium, Pisces. Hinc emanarūt quattuor cardines cęli apud Astronomos. Hinc quattuor orbis terræ regiones habitationi. humanæ assignatæ, & quidem nominatissimæ: de quibus Ezechiel 22. cap. 7. Venit finis super quattuor plagas terræ. quamuis enim totum hoc quidquid idest, cui Mundi, cęlique nomen indidimus, vnum sit, vnoque ambitu se, cunctaque complectatur, partibus tamen differt. vnde Sol oritur, Oriens nuncupatur, aut ortus; qua demergitur, Occidens, vel occasus; qua decurrit Meridies siue mare. ab aduersa parte Aquilo, septentrio ue vocatur. Quemadmodum in Psalmi centesimi tertij explanatione Augustinus mystice explicans id visum quod beato Petro rapto in extasim ostensum est, cum vidit cęlum apertum, & vas quoddam velut linteum magnum quattuor initijs submitti de cęlo in

Act. 10.

terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cęli. hoc autem vas cum voce cęlo delapsa iubēte Petrum animalia illa occidere, & manducare; ter hoc pacto submissum est, atque illi ostensum. Hanc inquam visionem in loco supradicto per tractans Aug. ait: Discus qui Quattuor lineis cōtinebatur, Orbis terrarum erat in quattuor partibus. Has quattuor partes sæpe Scriptura commemorat, Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem. Ideo quia totus Orbis terrarum per Euangelium vocabatur, quattuor Euangelia conscripta sunt. ter autem submissum vas de cęlo; hoc significat, quia dictum est Apostolis: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Proinde cum omnes ad iudicium homines congregandi significantur, apud Matthęum & Marcum dicitur Filius hominis congregaturus Electos suos a quattuor ventis, id est ab omni Mundi parte, quam habitant homines; quoniam quattuor ventis præcipuis totus Mundus perflatur. Apollini deniq. dicata quadriga, quod quadripartito limite diei metiatur spacium. Inde & ipsis equis condigna nomina sunt imposita, id est, Erythræus, qui latine dicitur rubens, quod a matutino lumine rubicundus exsurgat. Actæon dici potest lucidus, quod tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampus lucens, vel ardens dicitur, quod fit, dum ad vmbilicum diei contra Arcticum circulum conscenderit. Philogæus grace terram amans dicitur, quod hora nona procliuior vergens occasui pronus incumbat.

Matt. 28.

Cap. 24.
Cap. 13.

Ezech. 37.

Sed et Apollinis soror Diana facies monstrat Quattuor, quod dispensationibus septenarijs sui luminis vices sempiterna lege varian do disponat: porro primis septem diebus dimidiata semiorbē ostendit; secundis totum orbem complet, fitq; plenilunium; tertijs efficitur dimidiata; quartis fit coitus Lunę cum Sole, quod vocatur interlunium. Facies prima, calida humidaq; censetur, quia nascens Luna humorem assolet concitare; secunda, calida & sicca, adolescente in ea iam luce de Solis aspectu; tertia, frigida et sicca, quasi plus ab ortu remota; quarta, frigida, & humida, deficiente iam lumine.

lumine. Prima rursum est sanguinis; secunda, bilis rubeæ; tertia, bilis nigræ; quarta, pituitæ. ¶ Quattuor præterea sunt, quæ cuncta continent, Ens, Vnum, Verum, Bonum; si ita accipiantur, vt eorum negationes sint, Nihil, Diuisum, Falsum, Malum. Nam quæ sunt post Deum, habent caussam efficientem, exemplarem, & finalem. ab ipso enim, per ipsum, & ad ipsum omnia. Si igitur res consideramus, vt a Deo efficiente constituuntur, sic Entia dicuntur, quia eo efficiente esse participant; si, vt exemplari suo quam vocamus ideam, secundum quam illas condidit Deus, quadrant & respondent, Veræ dicuntur, (vera enim imago Herculis dicitur, quæ Herculi ipso conformatur;) si, vt ad eum, tanquam ad finem vltimum tendunt, Bonæ dicuntur. si vero vnaquæq. res secundum se absolute accipiatur, Vna cognominatur. Est autem hic ordo huius Quaternionis, vt primum vnumquodq; sub Entis ratione concipiatur; quoniam prius efficit agens vnumquodq., quam illud in se sit aliquid; alioquin non, secundum totum quod est, esset ab agente. Succedit Enti vnum. Tertia est veritas, quia postquam est aliquid in se, videndum est an sit tale, quale est exemplar, ad quod fuit formatum; cui si reperitur simile, reliquum est, vt in illud, vtpote affine, atq; cognatum per bonitatem se conuertat. Hæc autē æquali esse ambitu manifestum est. Da aliquid esse, certe & vnum est. nam qui vnum non dicit, nihil dicit, vt ait Plato in Sophista; et qui vnum non intelligit, nihil intelligit, secundum Aristotelem. est enim illud quidquid est a se indiuisum, et ab alijs diuisum, quæ non sunt ipsum. Verum est etiam necessario. nam si homo est, vtiq; verus homo est. idemq. dictu id non esse verum aurum, & non esse aurum. nam cum dicis, verum aurum non est, hoc significas: videtur quidem aurum, et est aliquid auro simile; sed non est aurum. similiter etiam bonum est, quia quidquid est, quatenus est, bonum est. Docet hoc Deus Opt. Max. qui ostēsurus Moysi cuncta creata, inquit: Faciam vt ante te transeat omnis bonitas mea. Quod deinde exponens, dicit: Posteriora mea videbis. Nam Dei poste-

Exh. 33.

quæstio. 23. R. Moyses Aegyptius perplexorũ lib. 1 c. 53. Gen. 1.

riora suffragante columna veritatis Athanasio Alexan. sunt creaturæ, & res, quas vidit, & exposuit, de quibus dictum est: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Neque enim malum substantia ulla est, sed boni priuatio.

Quattuor præcipue sunt, propter quæ vere enunciare possumus stata esse fixa & immutibilia uniuersa, omnem ab eis ortum atq; interitum excludentes, Diuina mens, Angelicus intellectus, Materia, & Humanus intellectus. Diuinæ quidem menti actu insunt omnia ab æterno, eiq; semper super-substantialiter inerunt. Angelicus item intellectus a suæ creationis initio, actu est omnia, semper omnia futurus. Materia, & Humanus intellectus a sua item creatione, quãquam non eodem modo, potestate sunt omnia. i. omnium potentia, eruntq; semper id quod sunt i. vniuersorũ potentiæ.

Lib. de intellect. c. 14.

Quaternis gradibus distincta est omnis cognitio, cum Quattuor sint prima, et præcipua Mũdi entia cognitionis facultate prædita; Deus, Angelus, Homo, Irrationale animal. Diuinam cognitionem Bouillus Mentem dicit: Angelicam, intelligentiam vocat; Humanam, rationem; Animalẽ, sensum. Efficit igitur cognitionum numerus vnum quoddam corpus, cui trini sunt termini, videlicet Animalis, vt punctum; Humana, vt linea; & Angelica, vt planities. Eiusdem autem corporis arcana, propriaque dimensio, Diuina cognitio est. Sunt eodem modo in humana eruditione quattuor elementa: Mentis substantia, Mentis notio siue interna conceptio, Vox, Scriptura. Mentis quidem substantia igni, Diuinæq. cognitioni, & corporeæ plenitudini respondet. Mentis notio, Angelicæ cognitioni, aeri et superficiei comparatur. Vox, quæ prima sensibilis est, sensibili homini, aquæ, et lineę adaptatur. Extrema vero Scriptura, animali rationis experti, terrę, ac puncto comparanda.

Prima Entia:	Animal,	Homo,	Angelus,	Deus,
Cognitiones:	Sensus,	Ratio,	Intellectus.	Mens,
Humanæ eruditiones:	Scriptura,	Vox,	Conceptus,	Mens.

Quat-

Quattuor sunt prima rerum genera; Substantia, Quantitas, Qualitas, Locus. quorum numero comprehensa permanet omnis rerum fluxio, & permutatio. quia in vnoquoq; genere geminæ & contrariæ permutationes contingunt. In substantia quidem generatio & corruptio, qui sunt motus in puncto primi, & abiectissimi. In quantitate fiunt auctio, & diminutio in quadam dualitate, & linea. In qualitate qui fiunt motus, peculiarũ & contrariorum nominum penuria, generatim alterationis vocantur, suntq. vt trinitas, & superficies. In loco, quæ contingit permutatio, hec vno nomine vocatur latio. & hæc fit in Quaternario, in corpore, & in profundo. hæc enim permutationum est præstantissima, tantumque perfectis animalibus, præcipue homini, competit.

Quattuor pari analogia sunt ordines rerum naturalium, Subsistentia dico, Viuentia, Sensibilia, Rõnalia, quarũ singulis singula mutationũ genera tribuuntur, vt peculiaria, et propria. Subsistẽtibus substãtiales motiones generatio, et corruptio; Viuentibus, vitales, quibus viuentia augescunt, aut minuuntur; Sensibilibus, contrariæ alterationes, quibus aut prospera, aut etiã aduersa valetudine variãtur; Rationabilibus vero Latio (supremus motus) in potissima ambulationis, ac erectę stature specie competere probatur.

Rerum genera:	*Substantia,*	*Quantitas,*	*Qualitas,*	*Locus,*
Rerum gradus:	*Subsistentia,*	*Viuentia,*	*Sensibilia,*	*Rationalia,*
Mutationes:	*Generatio,*	*Augmẽtatio,*	*Alteratio,*	*Ambulatio*

Omnis scientia, & disciplina Quaternario vocum, dictionumue numero constat Genere, Specie, Generis differentia, & Speciei proprietate. Genus enim, & Speciem vt præcipua, & substantialia, & recta in linea collocata desumunt; Differentiam uero & Proprietatem, ut eorum circumstantias, & laterales a natura inditas qualitates. sunt enim Differentia, & proprium, generis, & speciei qualitates, quas de genere, aut specie, quale rogantibus


respon-

respondere solemus, nempe interrogati quale sit animal? rōnale, aut irrationale. Qualis vero homo? risibilis respondendum. Nihil infra genus humana disciplina meditatur: nihil quoq. infra speciem concipit. Inchoat omnis disciplina a genere; terminatur in specie: continet se se quadrato generis, speciei, differentiæ, & proprij, aut diuidens genus, aut finiens speciem, aut demonstrans speciei proprietatem. Eadem differentia, quæ diuidit genus, componit, finitq. speciem. Genus vero cum differentiæ quiditate speciei proprietatē eliciunt eamq. demonstrant. Genus est maximum disciplinæ summum & precipuum eius prædicatum. Species disciplinæ vltimum, minimum, et cunctorum subiectum, de qua & genus, & differentia, & proprium in disciplinis enunciātur. Itaq. repudiant omnes humanæ disciplinæ tria hæc: Quod supra genus sit transcendens: Quod sub specie indiuiduum singulare & vnum numero: Quod denique & extra & post proprium accidens.

Tres a disciplinis voces repudiatæ
- *Transcendens Metaphysicū:*
- *Indiuiduum* } *ad mechanicas*
- *Accidens.* } *spectantia.*

Disciplinarū voces quattuor.
- *Genus, Diuisibile,*
- *Species, Diffinibilis,*
- *Differentia, Diuidens et diffiniēs,*
- *Proprium, Demonstrabile.*

Vniuersæ igitur humanæ scientiæ hoc quadrato constant.



Aegyptiorum sapientiā Quaternione cōtineri testantur Iamblichus, Diodorus, Laertius, Philo Alexan. & Eusebius Cæsarien.

Mathematicæ in Quattuor secantur partes quadriuium vocant nostri, Arithmetica de numeris differit, idest de quantitate discreta per se; Musica de proportione, i. de quantitate discreta ad aliquid; Geometria de spatio, i. de quantitate continua immobili; Astronomia de motu, i. de quantitate continua mobili. Est autem elementum Arithmeticæ, Vnitas; Musicæ, Vnisonus; Geometriæ, Punctum; Astrologiæ, Instans. Astrologia rursus circa Quattuor versatur, quæ sunt infra lunarem orbem, elementa. s. mineralia, seu metallica, quæ item vegetantur, & quæ sentiunt.

Musicas et symphoniarū rōnes implet Quaternio, Diatessaron, Diapēte, Diapason, ex quibus cōcentus fit absolutissimus. nā Diatessaron proportionē habet supertertiam; Diapente, sesquialterā; Diapason, duplam. numerus quidem sesquitertius dicitur qui constat ex toto aliquo numero, et ex tertia illius parte, sicut se habēt quattuor ad tria. nam & ipsum totum nempe 3, comprehendit & tertiam eius partem, nempe vnum. Sesquialter vero appellatur quando numerus continet numerum, & illius dimidium, vt tria se habent ad duo. constat quippe ex duobus & ex eius dimidio, nempe ex vno. Duplus autem nuncupatur qui est æqualis duobus numeris, vt duo se habent ad vnum, & quattuor ad duo. nam bis ipsum continent. In his tota viget harmonia. Sed & præter istas, continet Quaternarius alias etiam consonantiæ species, vt triplam in tribus ad vnum; quadruplam, in quattuor ad vnum, ex quibus efficitur Dia pason & dia pente, quam vocant duodecimam; & Dis diapason, idest, quindecimam. Continet & Tonum si quattuor, tria, & vnum, quæ reddunt octo, sumantur; & iterum quattuor, tria, & duo, quæ faciunt nouem, a quo numero ad octo est proportio sesquioctaua, Tonum conficiens. in Quaternario igitur continetur omnis harmoniæ ratio. Tonus quapropter Antiqui eum Pana vocabant.

1	2
3	3
4	4
8	9

Quat-

Quattuor tandem erga nos sunt Dei appellationes

Dei, Hominis, Patris, Magistri.

Nomen quippe Dei competit illi cum primis vt omnium auctori. vox.n.ipsa Diuinæ appellationis, id est, ipsum Dei nomen peculiarẽ quandam inspectionem habet ad creaturas, quæ ab ipsa vnius veri Dei substantia, non necessariam, sed spontaneam originem acceperunt. Exemplum huius rei in promtu est a sacra pagina. quoniam Moyses, qui Diuino Spiritu aflatus, prius ipsam Mundi creationem, & vniuersarum originem supra humanum sensum descripsit, Dei appellatione vsus est, totius mundanæ creationis seriem, incipiens his verbis: In principio creauit Deus cęlum & terram. Sequens Domini appellatio adest ipsi, quippe vt super omnia, & semper, & in omnibus dominanti, & moderanti, & possessori populi a se dilecti, & latarum a se legum iure viuentis. Quare Octauianũ Augustum a Sybilla edoctum, quod quidam nasciturus esset in terris se maior, reueritum fuisse ferunt, ac penitus respuisse Domini appellationem, qua Romani illum vulgo honorandum, censendumque decreuerunt; et loco eius appellationis, se quidem patrem patriæ dici, & nominari voluisse. Tertia appellatio Pater est, ob eã caussam, quia vt ait Merc. omnia gignit. Patris enim officium est generare; quare Plato in Timeo supremum Deum omnium patrem & opificem appellat, angelorum, s. & hominum patrem, vt vocat Homerus; brutorum autem & anima carentium opificem. dicitur quoque Pater Mentis. etenim cum Deus sit uita, & lumen, ex se parit Verbum, tanquam lumen de lumine, Mentem, scilicet, totius Mundi effectricem. adhuc etiam paternum nomen dandum illi est vt Zeloti, & vt naturali bonitatis amore humanum saluari genus cupienti, & ad suorum bonorum participationem, & hæreditatem benigne inuitanti. Magistri deniq; nomen ponendum est illi vt illustratori nostrarum mentium, & vt largitione suæ lucis, ac gratuito dono eminentis scientiæ suæ nos erudienti, & a malis ad bonum conuertenti. Has inquam appellationes inhibuit in

ad Tatiũ cap. 2.

Euan-

Euangelio Deus ab hominibus vsurpari & presumi, cũ apud Mattheum cap.6.nos edocens orare: Sic (inquit) orabitis. Pater noster, qui es in cęlis. Et cap.23. Patrem nolite vobis vocare super terram. vnus est.n. pater vester in cęlis. & ne vocemini Magistri. vnus est .n. Magister vester Christus. Et rursum apud Euangelium Iohannis: Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Quattuor his Sacris nominibus non ab re distinguitur erga nos Deus. Nec plura inuenimus, saltem erga nos, noĩa illius; præter ea, quæ ab his quattuor elemẽtis Substantia, Lege, Regeneratione, & Lumine conflamus. quæ redegimus in sequentem figuram.

Cap.13.

Quadruplicia Dei noĩa erga nos.

Deus,		Substantiam,		Crẽaturas,
Dominus,	Ob	Regeneratione͂,	Ad	Seruos,
Pater,		Legem peccati,		Filios,
Magister,		Luminis donũ,		Discipulos.

Quadruplicia nr̃a noĩa erga Deũ.

Ceterũ quã sanctus, quãq. admirabilis sit Quaternarius, hinc colligitur, ꝙ vniuersę gẽtes proferre solẽt quattuor litteris substãtiã illã sine principio, sine fine, simplicẽ, sine ulla admixtione, inuisibilẽ, incorporeã, ineffabilẽ, inęstimabilẽ, incõprehensibilẽ, in qua nihil adiunctũ, nihil est creatũ; cuius nomen, cũ vna sit, nõ quęrendũ, ꝙ illic tm̃ opus sit vocabulis, vbi proprijs appellationum insignibus multitudo fuerit dirimenda. nã interrogatus Attalus, qđ nomen haberet Deus, legitur respondisse, nullum nomen ei proprie conuenire posse. oĩa. n. noĩa ex quadam singularitate rationis, per quam discretio fit vnius ab alio, imposita esse; vbi vero oĩa sunt vnum, nullum nomen proprium esse posse Hãc igitur substantiam Latini uocant Esse, Hebręi אֶהְיֶה *EHIE, idest, qui fui, sum, et ero. licet nostri aliter interpretentur.*

DEVS

DEVS enim & erat semper, & est, & erit; imo semper est. quandoquidem fuisse et fore, temporis, cui nos subiacemus, articuli sunt, & huius fluxæ naturæ momenta; ille autem semper est. vniuersum enim quod est, in se complectitur, nec principium habẽs, neq; finem. non enim Diuinarum rerum, atq; humanarum idem iudicium. nam cum in motu & fluxu sint ista, eiusmodi etiam earum tempus esse liquet, cuius pars altera præterijt, futura altera est. nam præsens illius nullo modo comprehendi potest, quod, antequam cognitione perceptum sit, auolet ac dilabatur. At rerum Diuinarum alia censetur ratio, quæ cum careãt omni motu, profecto seculum quoque ipsarum & firmum & constans esse necesse est. Quare primum Dei pronunciatum erit ESSE. Hoc sane modo seipsum nominat, cum in Monte Synai oraculum edit Moysi: Ego sum qui sum. vt discant differentiam inter esse, et non esse; & nullum nomen de me dici proprie, cui soli competit Esse. Non dicitur autem DEVS proprie Ens, sed Esse. Diuersum est. n. Esse, & id quod est, quod ipsum esse nondum sit. At vero quod est, accepta essendi forma est, atq; consistit. Quod est, participare potest aliquo. sed ipsum Esse, nullo modo aliquo participat. fit. n. participatio cũ aliquid iam est. est aũt aliquid cum Esse susceperit. Id quod est, habet aliquid mixtum; ipsum vero Esse nihil aliud, præter se, admixtum habet. Diuersum est autem, esse aliquid, & esse aliquid in eo quod est. illic n. accidens, hic substantia significatur. Omne quod est, participat eo quod est esse, vt sit, & alio participat, vt aliquid sit. Ac per hoc id quod est, participat eo quod est esse, vt sit. Præterea cum nominum alia sint concreta vt calidum, homo; abstracta alia, vt caliditas, humanitas, hæc illorum vis est ac diuersitas, vt quod dicitur abstractum, id notet quod a se tale est, non ab alio; at concretum, quod non a se, sed alterius beneficio tale est. Cum igitur ens concreti speciem habeat. idem. n. dictu ens, & id quod est, huius abstractum erit hæc dictio Esse, vt ens dicatur quod ipsum esse participat; quemadmodum calidum caliditate calidũ est, homo humanitate homo. Quoniam vero nihil seipsum participat,

Exho. 3.

neq;

neq; eadem conditio eidem rei, & a se, & alterius participatione inesse pōt, sequitur vt quod dicitur abstractum a concreto denominari non possit. Quare non dicitur congrue calor est calidus, humanitas homo est, esse est ens. nō quia calor frigidus sit, sed quia quod calidum est, caliditate calidū est; quod homo est, humanitate homo est; & quodcunq. est, huius participatione est. Quædam ergo negamus rei cuipiam inesse, aut quia illa non habeat, vt calidum non est frigidum: aut quia excellentiori nota, & perfectiori ratione contineat; quam nos habere eam ex tali locutione significamus, vt cū negamus caliditatem esse calidam, nō quia frigida sit, sed quoniā non solum ideo nō est frigida, quia est calida, quod idem est dicere, quia habet caliditatem, sed quia caliditas ipsa est. Secundum hanc ergo loquendi rationem, entis appellationem non dabimus Deo, cum sit cōcretū, significans id quod ab alio esse participat. sed Esse dabimus illi qui est ipsum Esse. A Romanis dictus est AIVS, eo quod aiebat, & loquebatur. Namq. olim Romæ audita vox est silētio noctis clarior humana voce, quæ iuberet Magistratibus nunciare, & Gallos venire, ac vt prouiderent ne ROMA caperetur a Gallis, vt narrant Arnobius lib. primo contra Gentes, & Cicero libro secundo de Natura Deorum. A Persis dicitur SYRE. A Magorum disciplina vocatur ORSI, vnde Oromasis. Aßyrij, quem summum habent Deum, ac maximum venerantur, ADAD verbo gentium illarum proprio nuncupant. significat aūt nō aliud fere, quam VNVM, de quo Macrobius in Saturnalibus: Ne sermo, inquit, per singulorum nomina Deorū vagetur, accipe quid Aßyrij de Solis opinentur potētia. Deo.n. quem summe maximum venerantur, ADAD nomen indiderunt, quod VNVS interpretatur: hunc vt potentissimum adorant Deum. sic ille. Gothi suū maiorem Deum vocant ODEN, idest, fortiorem: potentissimum aūt Numen THOR appellarunt, vt habet Olaus Magnus de Gentibus septentrionalibus lib. 3. cap. 3. & 4. Vpsalensis Deorum Satrapa, FROE nuncupabatur. Macedonum Sacerdotes, vt scribunt

Cic. de Diuinat. lib. 2.

Neanthes

Neanthes Cyzicenus, & Clemens Alexan. in precibus inuocant BEDY, vt sit eis propitius, & filijs. Mahometistæ vocant ABDI. Apud antiquos Hetruscos seu Tyrrhenos dictus est ESAR, tametsi quidam cum diphthongo scribant, vt Aesychius, & Annius. quibus suffragari videtur quod apud Ioannem Laurentium Ananiam scriptum legimus de nomine Cæsaris Augusti inciso illius statuæ, a quo fulgur e cęlo decidens cum C primam litteram abstulisset, relicta hac voce æsar, eum intra centum dies ex hac vita migrandum, atque in Deorum albo referendum significarunt Aruspices. Germani sua lingua pronunciant GOTT. Belgę GODT. Peones ac Tartari ITGA. Sarmatæ BOVH. & ISTV. Bohemi BVVH. Sclaui auctore Nic. de Cusa BOEG. seu BOOG, a bonitate. Ab Italis appellatur IDIO; Ab Hispanis, DIOS; A Gallis, DIEV. de quo Io. Goropius Gallicorum lib. 3. DIVS, inquit, Gallicum est, & idcirco Sabinum vocabulum non aliud notans, quã Deum. Huius vocis ea est notio, vt ipsa æternitas intelligatur ex Di articulo et euu, quo æternitas notatur. Vnde hactenus Galli DIEV pronunciant, longe correctius, quam vel ipsi sciant, vel quisquam hactenus annotarit. Ex Di-euu namq; DIEV vetustissimi dixerunt, vt æternum Dei esse, quod extra diuinam naturam intelligi nequit, significaretur. Hæc ille. Apud Arabes, Saracenos & Turcas dicitur ALLA. Chaldæa, & Indica lingua vocatur ESGI ABIR, idest, creator vniuersi. Populi quidam noui Orbis appellant ZIMI. Apud Aegyptios nomen summi Iouis est AMVN, quod nos corrupto vocabulo dicimus Ammonem. qua sane voce Manethos Sebennita occultum, & occultationem significari dijudicat. Hecatæus autem Abderita hoc verbo inuicem vti Aegyptios asserit, cum alter alterum uocat. esse .n. vocem inuocatiuam; &, cum principem Deum eundem cum Vnitate putent, ut pote obscurum & absconditum, ab ijs vocari AMVN, dicentibus ut prodat sese, ac conspiciendum præbeat. Opifex intellectus,

Io. Laurẽtius Ananias de natura dæmonum. lib. 1. Excitat. lib. 1. In prĩcipio erat.

Hispanic. li. 4.

Plutar. li. de Iride & Osea- de Plato in phædro.

ait

ait Iamblichus, qui & veritatis est dominus atque sapientia, quatenus in generationem progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem, AMVN ægyptiaca lingua vocatur. Hæc ille lib. mysteriorum. Græci suis litteris ΘΕΟΣ enunciant, quod hinc cæpissent homines Deum agnoscere, cum vidissent stellas tantam concinnitatem efficere, ac dies noctesque æstate, vel hieme suos seruare statos ortus atq; obitus, indeq; terram animantia fructusq; proferre. itaq; pro patre Cœlũ, pro matre Terrã acceperunt; Patrẽ illum, quod aquam instar seminis effunderet; Matrẽ hanc, quod conciperet et pareret. Cumq; viderent stellas perpetuo moueri, & in caussa nobis esse, vt Solem, & Lunam contemplaremur, Deorum his nomen fecerunt, a cursu dictum: quod his verbis astruit diuinus Plato. Videntur mihi Græcorum prisci Deos putasse solos eos, quos etiam his temporibus arbitrantur barbarorum plurimi, Solem, Lunam, Stellas, Cœlũ; quę oĩa cũ perpetuo in cursu esse conspicerent, ab hac currendi natura, lingua sua ΘΕΟΥΣ nominasse: sic Plato. At nos censemus ΘΕΟΥΣ a currendo quidem dici posse, sed illud currere non esse intelligendum de motu locali, transitus videlicet de aliquo, in alium locum; sed de Dei prouidentia & efficaci operatione ad oĩa perueniendi. Alij ΘΕΟΣ nomen dictum volunt, quod ei nihil desit; vel ἀπὸ τοῦ θεῶ quod est video speculor, aut ἀπὸ τοῦ δέομαι .i. timeo, vnde quidam Poetarũ.

Primus in orbe Deos fecit timor. Petroni.

Vtrumq; D. Ambrosius probat his verbis. Deus dicitur quod omnia spectet, & timeatur a cunctis. Athanasius lib. definitionem. Dicitur, inquit, Deus ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν τὰ πάντα, idest, ab eo quod contemplatur omnia. Illud etiam addi potest, vt Græca lingua a Chaldea capit denominationem, sic a Teu, quod bonum significat, nomen istud etymon accepisse, sicut et latine DEVS a ΘΕΟΣ deriuatur. Aegyptij .n. TEVT vocant, quem liquet esse Mercurium, qui præfuit Aegypto, de quo sic in Phædone loquitur Plato: Audiui equidem circa Naucratim Aegypti, priscorum quen-

Nic. cuſ. excit. lib. 1. in principio. Clemens Alexãd. strom. 1. Euſ. de p̃par. Euã-gel. 11. cap. 4.

dam fuisse Deorum, cui dicata sit auis quam IBIM vocant; Dæmoni autem ipsi nomen TEVT. hunc primum ferunt numerum & numerorum computationem inuenisse, geometriamq. & astronomiam, ac litteras. Idem affirmat apud Ciceronem Cotta, licet Eusebius Cęsarien. primo de præparatione Euangelica cõtendat hunc appellari Toit, ac primum anni mensem dici Teut, siue Thoth, qui incipit sexto Kalend Septembris. Nos item IESV a Patre accepimus, quod admiratus Dionysius Areopagita, cuncta Theologiæ mysteria in diuinis nominibus exquisiuit. Est autem IESV non Græci sermonis vocabulum, sed Hebræi. Moyses.n. longe per Dei spiritum præuidens, qui sibi præpararetur successor, & prænoscens quod is qui post se regnum susciperet, maioris sacramenti minister existeret, Iesum cognominauit eum, qui prius Auses parentũ fuerat appellatione vocitatus, sciens quod in huius vocabuli sacramento, cuiusdam maioris glorię rex, quam mortalis natura recipit, poneretur. apud nos.n. IESV interpretatur Saluator. Glo. in cap. decet, de Immunit. Eccles. lib. 6. Scribitur autem Hebraicæ hisce quattuor litteris ישוע *(sumta* ו *Vau, pro consonante) a verbo* ישע *Iasciach, quod significat saluare. Ceterum Iudęi nostrates, odio in Christum concepto, quem messiam esse inficiantur, detracta* ע *postrema littera, tribus duntaxat primis litteris scriptitant nomen IESV, hoc modo* ישו*, quæ secundum notas quas* ראשי תבות *.i. capita dictionis vocant, significant* ימח שמו וזכרו *.i. deleatur nomen eius, et memoria eius. hoc inquam nomine suam ipsorum perfidiam demonstrantes. Græci suis characteribus hunc in modum scribunt* ΙΗΣΟΥΣ, *ex quo factum est vt multi nomen istud cum aspiratione scripserint, rati litteram hanc H, esse aspirationem, cum sit* Ητα *græca vocalis, quæ semper est e, productum tam apud nos, quam apud Græcos. eam enim sic scribunt Græci H, similem prorsus nostræ longiusculæ aspirationi. Eos autem arguens Origines, qui nomen hoc sanctum tribus litteris cum aspiratione, aut etiam quinque scribendum putant, lib. contra Celsum*

Beda.

Matth. 1. Luc. 1. 2. Io. Chrysost. in Matth. hom. 2. Euseb. histo. Eccl. lib. 1. cap. 1.

sum

sum protestatur quibusdam nominibus sacris mirificam inesse virtutem, quæ mutatis ipsis nominibus non inesset, ideoq; illa non esse mutanda. Neque .n. vllus Hebręus cabalista ire potest inficias, quod nomen IESV, si scribatur, et secundum modum et principia cabalæ interpretetur, hoc totum præcise, & nihil aliud significat, id est, Deum Dei Filium, Patrisq. sapientiam per tertiam Diuinitatis personam, quæ est ardentissimus amoris ignis, naturę humanę in vnitate suppositi vnitum. Vnde vas electionis Paulus ad Philipp. scribens, dicit datum esse IESV nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cęlestium, terrestrium, & infernorum, Et in actibus Apostolicis de IESV legimus dictum, non esse aliud nomen sub cęlo, in quo oporteat omnes homines saluos fieri. Hoc est inquam illud salutare gentibus nomen quod protoplasto fuerat ab Angelo repromissum ad humani generis restaurationem. Conditor.n.noster a primis illis hominibus offensus, maledicta super singulos, prout criminis quantitas exigebat, effudit: & quamuis iratus, mox tamen mysterium nostrę salutis, vt bonus Pastor, ostendit. Neque .n. æquum fuerat alio tempore de salutis nostræ remedio cogitare, nisi eo quo mors inuenta fuisset. Non .n. tunc primo Dominus ac Saluator noster promissus fuit, quando clamabat Esaias: Ecce virgo concipiet in vtero, et pariet Filium. nam hoc erat pene iam sero, & tam multa millia Patriarcharum, sine spe mortua videbantur. quibus vtique vita esse non potuit, si Dominum non sperauerunt esse venturum, dicente Paulo: Spe salui facti sumus. Et qualis spes esse potuit, si non fuit repromissa? Fuit autem repromissa. Quo tempore .n. supplicia merebamur, argumentum salutis ostendit; vt intelligere possemus, quantum posset præstare non læsus, qui tantum donaret iratus. In primo igitur homine vt loquebatur statim iudiciarium spopondit auxilium, statim ignotum ipsis Angelis publicauit sacramentum, & terreno Adę ADAM promisit e cęlo. Ex quo colligi pōt ante legem eadem fide patres seruandos, qua et nos modo: illi venturum,

Cap. 2.

Act. 4.

D. Hieronym. ad Cthesiphótem.

Cap. 7.

Rom. 8.

Greg. in Ezechie lē hom. 16.

nos Christum venisse credimus. quam vnam fidem designabat vna mensura omnium thalamorum templi Ezechiel.capit.40. Verum enimuero licet a principio peccati, de remedio salutis Dominus excogitasset, distulit tamen aduētum salutare, ac redemtionem nostram vsq; ad septuagesimam septimam generationem, quo Lamech solueretur impietas. Cyprianus.n sermone de Spiritu sancto: Ipse (inquit) Dominus IESV ab Adam secundum generationes, quas Lucas commemorat, septuagesimus septimus inuenitur, vt vltionem in Lamech septuagies septies promulgatam veniens terminaret. Sic etiam solui potest. Nouum quiddam atq; mirabile futurum erat, quod multis testibus prius erat promittendum ac firmandum, & ideo per multam seriem temporum prædicendum. Nam si subitum atque omnibus incognitum euenisset, nullus fidem tantæ rei habuisset, cum etiam post tot reuelationes, tot signa, tot prædictiones, & tantam temporis moram, pauci admodum inuenti sint, qui Christo venienti fidem præbuerint. Porro si ante datam legem Dominus saluare mundum venisset, aliquis dicere posset, quia superuacaneus esset eius aduentus, cum aliqua præcepta dare potuisset, quæ salutem contulissent. Voluit ergo dominus nos cuncta prius experiri, quo probatum esset homines, nulla alia via saluos fieri posse, nisi per eum; & eius tantum gratiæ vniuersa ascriberentur. Superest tandem vt examinemus & illud apud Hebræos celeberrimum Dei nomen. Habet vtique hebraica lingua diuersa enunciata, quibus diuinam solet inuocare potentiam; non quidem vt Dei natura significetur, quæ quia vnica est, atque simplex, si foret nominanda, vnicum nomen esset illi imponendum; sed vt multa, variaque a Deo profluentia significentur. Quare Mercurius scripsit in Pimandro, Deum habere omnia nomina, quoniam vnus est Pater, & nullum habere, quia Pater est omnium, atque super omnia. proprium vero Dei nomen his quattuor litteris scribitur יהוה, totidē mysterijs personalibus distin-

Cap. 3.

Vide Nicephorū Call. hist. Eccl. lib. 1. cap. 3.

distinctis, quarum י *Iod, quæ prima est, principium interpretatur, eo quod ceterarum omnium principium sit: cumq; ab ea vna quæq; omnes scripturæ originem habeant, ipsaq. a nulla sumat originem, scite Patrem in diuinis insinuat, qui cum a nullo sumat originem, aliæq. personæ ab eo emanent, principium sine principio dicitur. Secunda* ה *He, quæ esse vel viuere significat, Filium in diuinis aptissime innuit, per quem vniuersa quæ facta sunt, esse cœperunt, & quidquid factum est, in ipso vita erat. Tertia autem* ו *Vau, quę copulatiuam dictionem, ET, denotat, Spiritum sanctum optime exprimit, qui cum sit amor Patris & Filij, quo se vicissim amant, recte copula, id est, nexus vtriusque nuncupatur. potest etiam interterpretari Ipse, seu Virtus; quia spiritus spirat omnem virtutem in oĩa, testãte Psalmographo quia verbo Domini cęli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus illorum est. Quarta & vltima est* ה *He, significans humanitatem Christi iunctam Verbo. quæ littera duplicata, duas naturas in vna persona iunctas esse designat, ac ipsum Dei nomen ita ex Quaternario cõstitui, vt a ternario, quo semper gaudet, minime discedat. Porro hoc altissimum nomen a Deo datum non proferebatur, neque pronunciabatur, neque dicebatur, nisi in sanctuario a Sacerdotibus Domini sanctificatis, & solum in benedictione Sacerdotum, & tunc etiam a Sacerdote magno, & nisi in die ieiunij gloriosæ sanctificationis. & vbi in illorum Biblijs hoc gloriosum nomen conspicitur, ibi Rabini pronunciant Adonai, tametsi, suffragante auctoritate Petri Bruti Episcopi Catharen. pronuntiare deberent Adon. est.n.* ארון *Adon, nomẽ absolutũ, sicut et* יְהוָה *Iehouah et horũ quodlibet Dominũ significat. Adonai aũt est nomen cõpositum cũ alio pronomine, quod a Grammaticis Hebręis affixum dicitur, nec Dominum. sed Dominos meos significat, si tamen non asserimus cum Hebręis litteram Iod in nomine* אֲדוֹנָי *Adonai, non affixum: sed substantialem ipsius nominis litteram eße. Huius autem nominis ADON expressionem Theodoretus esse dicit apud Samaritanos IAVE.*

Iohan. 1.

Psal. 32.

In victoria cõtra Iudęos. capit. 2.

quęst. 15 in Exod.

Quidam IOVA pronunciant, unde & Iouis nomen uolunt esse deriuatum, quos iure & merito emunctæ naris viri rident. D. Hieronymus in expositione octaui Psalmi hoc ipsum explicat per verbum IAHO, quod apud nos dicitur Dominus. A Græcis dictum est Tetragrãmaton, quo significãt esse nomen ineffabile, tum quod nulla exprimi valeat voce articulata; tum quod per intellectum sit inconceptibile, nec vlli creaturæ vnquam communicabile factum, cum solam omnipotentis Dei substantiam absque mixtura, nec secundum aliquam particularem virtutem vel proprietates extrinsecas, sed secundum omnipotentiam Deum demonstret. Astipulatur Rabbi Moyses Aegyptius dicens omnia nomina prouenire ab operibus diuinis, præter Tetragrammaton, quod est appropriatum altissimo Creatori, vtpote significans et ostendens Creatoris substantiam, atq; eius quidditatem, ostensione, & significatione perfecta, ac manifesta, in qua non est æquiuocatio, neq; mixtura, id est, nihil est quod commune sit Deo & creaturæ in hoc nomine. reliqua autem ipsius gloriosa nomina significant æquiuoce, & cum mixtura, eo quod sunt ab operibus similibus ijs, quæ sunt in nobis deriuata. De hoc admirabili nomine sic scribit disertissimus Iudęorum Philo Alexandrinus libro de vita Mosis: Cidaris pro diademate imponitur capiti Sacerdotis, cui præfigitur aurea lamina insignita quattuor litteris, per quas Entis nomen aiunt indicari. Et infra: Erat, inquit, lamina aurea quattuor inscripta litteris nominis illius, quod solis aures ac linguam sapientia purgatis fas est audire nominareq. in sacris, præterea nemini, id Theologi esse dicunt Tetragrammaton, quod fortasse significet primos numeros, vnũ, duo, tria, quattuor. Hæc Philo. Ceterum Ludouicus Fidelis lib. de Militia Christi asserit nomen Tetragrammaton cõtinere ineffabile diuinitatis pariter & humanitatis Christi redemptoris nostri mysterium, ideoq; & ineffabile dici, ac Sacerdotum capiti inde poni solitum id nominis, vt Christi nomen preciosum Sacerdotes potissimum coram Gentibus ac Regibus intrepide portent. Legimus in-

Lib. directiõis pplexorũ.

lib.2.c.9

terro-

terrogatum Angelum, quod sibi nomen esset, respondisse: Cur sic quaeris de nomine meo, quod est secretum. sic enim Iudaei exponunt de nomine Iehoua, quod non fuerat publicandum. De hoc ineffabili nomine hunc in modum scribit Merc. Trismegistus apud Lactantium Firm. Caussa autem huius caussae, est Diuini boni uoluntas, cuius nomen non potest humano ore effari. Est.n. o fili secretus quidam sermo sapientiae sanctus de solo Domino omnium praesciente omnia Deo, quem dicere supra hominem est, Hoc neq; cacodemon tacere potuit. nam Apollo Delphicus, interroganti cuidã quisnam esset? respondit de Deo: Cuius nomen verbo capi non potest. His Accedit quod Areopagitae inter cetera Deorum altaria, aram etiam habebant ita inscriptam IGNOTO DEO. Quod vas electionis Paulus tamquam felicem cõcionandi occasionem arripiens, verum Deum adduxit in medium. At neque Philosophos hoc Tetragrammaton latuisse visum est, vt sunt non pauca mysteria ad Ethnicos etiam delata. Nam Pythagorici, quod nos cum Graecis dicimus Tetragrammaton, ipsi, iuxta suae disciplinae morem, Tetractyn vocant, quam omnibus Dijs, ac Deorum virtutibus praeferũt, & perpetuae naturae fontem esse in animos nostros manãtem describunt. Attestatur hoc quod aureum Pythagorae carmen appellant, in quo, iuramenti loco, Tetractys assumitur, tamquam summum quo fides innitatur. Vtque sacrum a prophano segregaret, optima ratione nomen sanctum per Ypsilon, quod apud Atticos notat Quaternarium per centenariũ ductum, scripsit; cum tamen Actis vulgo per Iota scribi consueuerit. Ac vt diuinam essentiam maxime demonstraret, Tetractyn hoc loco egregie in genere masculino protulit, quo quidem more Latiniquoque veteres Cupidinem, aut Venerem masculine pronunciarunt, cum alias instrumentalem Quaternitudinis numerum ipsam Tetractyn genere feminino eloquantur. Porro si Iohan. Picum Mirandulanum sequi voluerimus, Quattuor sunt quae Deus Opt. Max. habet a se, non in respectu ad caussam, quam non habet prorsus. ipse.n. omnium caussa a nullo est:

Gen. 32. Iudic. 13.

D. Hier. in ps. 8.

Lactan. Fir. diu. inst. lib. 7 ca. 7.

De Atheniensium ara lege Oecumenium.

Act. 17.

D. Hier. in ca. 26. Ezech.

Gregor. Naz. lib. de Pentecoste.

Io. Picus lib. de Ente & vno cap. 7.

sunt autem hæc Esse, Vnum, Verum, Bonum. Chaldæi quidem Vnius nomine Deum vocitarunt, vt per hoc significarent non esse plures Deos, sed vnum, atque ita vnum, vt neque ex pluribus sit compositus, neque vlla ratione diuiduus. Hanc nomenclat.o rem Ægyptij retinuerunt; & Platonici apte Deo conuenire multis modis exposuerunt; neque Mundi nomen Deo tribuere voluerunt, quia Mundus significat ornamentum ex pluribus compositum; Deus autem est vnitas simplicissima expers omnis coagmẽtationis, quoniam si ex pluribus esset cõpositus Deus, & minime simplex, ex aliquo constet oportet, quod habeat rationem materiæ, ac potestatis, & ex aliquo, quod sit veluti forma, & actus. Verum si Deus sit huiusmodi, non omni ex parte erit perfectissimus, neque summam vndique habebit perfectionem, cum in eo pars, quæ formæ, & actus obtinet proportionem, alteri, quæ est tanquam materia, & potestas, plurimum dignitate præstet; neque præterea erit agens primum, quia non se toto efficit quicquid molitur, sed altera parte, quæ forma & actus existit, quæque omnem vim prestat composito ad agendum. Deus igitur est vnitas maxime simplex. Quod vero Essentiæ nomen Deo competat satis aperte a nobis alibi demonstratum. Approbantur hæc etiam auctoritate D. Hier. cuius hęc sunt verba Epistola quarta, quæ est ad Damasum. Vna, inquit, est Dei sola natura, quæ Vera est. ad id enim quod Subsistit non habet aliunde, sed suum est. Deinde subdit: Deus solus qui aeternus est, hoc est, qui non habet exordium, Essentiæ vere nomen tenet &c. Quomodo autem hæc seinuicem consequantur, considerandum est. Primo quidem Deum sic concipimus, vt sit vniuersitas omnis actus, & plenitudo ipsius Esse, quam intelligentiam ita subsequitur vt sit Vnus, vt nec oppositum concipi possit, & statim Verissimum est. quid enim habet quod appareat esse, & non sit, qui est ipsum esse? Consequens certe vt sit & ipsa Veritas, sed & ipsa Bonitas. Nam boni tres conditiones, vt scribit Plato in Philebo, vt sit perfectum,

fectum, sufficiens, expetendum. Erit autem hoc, quod tale concipimus, perfectum, quia illi nihil deerit, qui est omnia. Erit sufficiens, quia possidentibus illud, nihil deerit, in quo inuenient omnia. Erit expetendum, quia ab illo, & in illo sunt vniuersa, quæ expeti possunt aliqua ratione. Vnde cum ab incredula Iudæorum turba, secundum carnis aspectum Christus diceretur Magister bonus: Quid me, inquit, interrogas de bono, qui me cælorum Dominum esse non credis? Nemo bonus nisi solus Deus, qui homines facit implere quod boni sint. Deus ergo plenissima Entitas, indiuidua Vnitas, solidissima Veritas, beatissima Bonitas. Atque hæc esse potuit Tetractys, quam Pythagoras vocabat principium semper fluentis naturæ. Principium enim hæc, quæ Vnus sunt, Deus omnium est. Iuramus item per ea quæ sancta, quæ firma, quæ diuina sunt. Sed quid illis aut firmius, aut sanctius, aut diuinius? Neque hic possum inuoluere silentio auctoritatem Isidori asserentis in Deo substantialiter Quattuor considerari, nimirum, Bonitatem, Incorruptionem, Immortalitatem, & Incommutabilitatem. Summum bonum, inquit ille, Deus est, quia incommutabilis est, & corrumpi non potest: Creatura vero bonum, sed non summum est, quia mutabilis est, & dum sit quidem bonum, non tamen esse potest summum. Quid est Dei immortalitas, nisi eius incommutabilitas? Nam, & Angeli, & Animæ immortales sunt, sed immutabiles haud quaquam sunt. Ideo solus Deus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis est. quandoquidem anima morti subditur, dum deserente Deo, de bono in malum mutatur. Sic & Angelus est mutatus, dum derelicto Deo est lapsus. Quod materiam habet vnde exsistat, mutabile est, quia de informi transit ad formam. Quod vero non materiei subditum, immutabile est, sicut Deus vtique est. Quattuor igitur sunt in Deo substantialiter,

Matth. 19 Mar. 10.

De summo bono lib. 1. c. 1

Bonitas, Incorruptio, Immortalitas, Incommutabilitas.

Quibus

Quibus forte Pytagoras instructus, ad hunc modum iurare solitus erat. quemadmodum in aureis eius, vt vocantur, carminibus scriptum est.

Philoaus in Aureis carminibus.

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
Παγὰν ἀενάου φύσεως &c. Quæ verba sic verti possunt

Testor eum, numeri nobis arcana Quaterni
Qui tribuit, rerum caussæ fontisq; perennis.

Adsunt tamen qui Iusiurandum Pythagoricum referant ad figuram Crucis. de qua Dauid dicit in Psalmo Quarto: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. quia sicut nummus imaginem gerit Imperatoris; ita & Fideles signo cœlestis principis imprimuntur ac muniuntur. Hoc vero munimine Diabolus multiformis expellitur, et fraudolenta machinatione non præualet superare tentatum, quem habuit primi hominis suasione captiuum. Crux est enim humilium inuictum tutamen, superborum deiectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum. Aegyptij et Arabes ✠ Crucis effigiem venturæ salutis spem intelligi volebant, ac summam potentiam habere confirmabant, quæq. sit omnium cælestium virium atq; intelligentiarum firmissimum receptaculum, quia ipsa sit figura omnium rectissima, ratione hieroglyphica Quaternarium notans, ex quattuor rectis lineis ab vno puncto sese separantibus, sitque prima superficiei descriptio habens longitudinem, & latitudinem: dicebantque eam cælestium fortitudine conspiratam, quia eorum fortitudo per rectitudinem quattuor angulorum atque radiorum resultat, suntque stellæ maxime potentes, quando in figura cęli quattuor obtinent cardines, atq; radiorum suorum inseinuicem proiectione Crucem constituunt. Sed præstat audire Mars. Ficimū hunc in modum scribētē libro de triplici vita. Crucē (inquit) veteres figurā esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum; ideoque habere summam in imaginibus potestatem, ac vires, & spiritus suscipere planetarum. Hæc autem opinio ab Aegytijs vel inducta est, vel

16. lib. 3. cap. 18.

maxime confirmata, inter quorum characteres, Crux vnus erat insignis, uitam, eorum more, futuram significans, eamq; figuram pectori Serapidis insculpebant. Ego uero quod de crucis excellentia fuit apud Aegyptios ante Christum, non tam muneris stellarum testimonium fuisse arbitror, quã uirtutis præsagium, quam a Christo fuerat acceptura, Hactenus Ficinus. Non temere autem ad denarium significãdum ab antiquissimis latinis philosophis Crux assumta censetur, cum Quaternarius potestate contineat denarium. Quidam rursus haud parui nominis Pythagorici ad ipsam Quaternarij potentiam absolutam hoc iusiurandum referre non dubitarunt; quod omnis perfectio Quaternione sit absoluta, fontem rerũ hunc numerum appellantes maxime propter primaria fundamenta rerum omnium corporalium, quibus omnia elementata in istis inferioribus componuntur, non per modum coaceruationis, sed secundum transmutationem & vnionem. Et si quis hanc elementorum rationem considerauerit, videre facile poterit de promtuario Diuinę mentis pendere. Est .n. Platonicorum omnium vnanimis sententia, quemadmodum in mundo archetypo cuncta sunt in cunctis, ita etiam in hoc corporeo mundo omnia in omnibus esse, modis tamen diuersis, pro natura videlicet suscipientium. Sic & elementa nõ solum sunt in istis inferioribus, sed & in cęlis, in stellis, in Angelis, in ipso deniq; omnium opifice & Archetypo. Sed in istis inferioribus elementa sunt crassę quædam formę, immensę materię, & materialia elementa: in cęlis autem sunt elementa per eorum naturas & vires, cęlesti scilicet cõditione. Plato in Timæo ex Pytagorica doctrina, ait cęlum cõstare quattuor elementis, quemadmodum hęc inferiora corpora; sed dicit illa esse multo subtiliora, et alterius naturæ, quam sint hæc. Idem scribit D. Ambrosius lib. 1. c. 6. Hexameron. Nam cęlestis terrę soliditas illic est absq; crassitudine aquę; et aeris agilitas procul ab efflu ctu, ignis calor ibi, non vrens, sed lucẽs, omniaq; suo calore viuificans. Porro ex stellis ignei sunt Mars atq; Sol ratione Astrologis manifestissima: aerei, Iupiter, & Venus tẽperato

calore

calore viuifica. aquei, Saturnus senex.s. damnatę frigiditatis, & Mercurius uersipelle sidus & transformabilis, ideoq; apud Lucanum Vndę arbiter appellatus. terrei, firmamentum atq. Luna infima ignobilissimaq; omnium siderũm, vti est terra omnium elementorum opacitate, idem substantiæ & maculis illi prorsus similis; quę tamen a plerisq; putatur aquea, quando videlicet, terrę instar, cælestes aquas attrahit, quibus imbibita vicinitate sua illas nobis influit ac communicat. Sũt etiam inter signa, quędam ignea, quædam terrea, quædam aerea, quædam aquea. Sunt præterea in Angelis & Beatis Intelligentijs quattuor elementa. est.n. in ipsis essentiæ stabilitas, terrea vis, qua sunt firma Dei sedilia: est & clementia, pietasq. aqua virtus mundans. hinc a Psalmista vocantur aquæ, vbi de cælo ait: Qui tegis aquis superiora eius: & Aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini. sunt etiam in illis aer subtilis spiritus, & amor ignis relucens, dicente etiam Psalmista: Qui ambulas super pennas ventorum, deinde: Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignis flammam. Adhuc ex Ordinibus angelicis ignei sunt Seraphin, & Virtutes, & Potestates; terrei Cherubin; aquei Throni, & Archangeli; aerei Dominationes, & Principatus. De ipso deniq; Archetypo omnium rerum opifice legitur: Aperiatur terra et germinet Saluatorem. Et de eodem dicitur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuę. Et idem Spiritus spirans spiraculum vitæ. Idemq; etiam (Moyse & Paulo testibus) ignis consumens est. Cum igitur quattuor elementa sint; in Archetypo, ideæ producendorum; in Intelligentijs, distributæ Potestates; in Cælis, virtutes; in inferioribus, crassiores formę: mystice Pytagorici per Quaternariũ iurare solebant. Theodosius Macrobius Pytagoricos scribit hoc iusiurandum ad animam retulisse, hæc sunt illius verba: Qaternarium Pythagorici, quem Tetractyn vocant, adeo quasi ad perfectionem animę pertinentem inter arcana venerantur, vt ex eo etiam iusiurandi religionem sibi fecerint:

Psal 103. & 148.

Psal. 130.

Esa. 45.
Hier. 2.
Gen. 2.
Deut. 4.
Heb. 12.

Iuro tibi per eum, qui dat animæ nostræ Quaternarium numerum.

Cum enim Pythagorici in numerorum linearumque scientia plurimum versarentur, & ex his aliqua etiam mentibus esse dicanda censerent, animā signarunt per Tetragonum rectangulum. Quamuis Architas non in Tetragono, sed in Circulo posuerit animæ finitionem. Atqui hos secutus Diuinus Plato Animam dixit esse numerum harmonicum compositum ex Vnitate, binario, ternario, & quaternario. Item ex proportione Quadrupla. Item quasi ex puncto, linea, superficie, & cubo. Quin & Mercurio, tamquam cuidam animarum præfecto, & custodi, Quaternarium omnium maxime consecratum dicit; multosque opinari natum fuisse illum Quarta die mensis. Quattuor enim sunt animæ, veluti fundamenta, scilicet, Mens, Scientia, Opinio, Sensus: vnde omnes artes, & scientiæ profectæ sunt, ipsique ratione præditi propterea sumus. Mens siquidem est vnitas. Nam Pythagorici vnitatem ipsam omnium parentem numerorum sui tantummodo, non alij præterea similem: non tantum Deum, sed & mentem esse protulerunt, hoc est, animum sui simillimum, totius corporis regem, dominumque actionum vniuersarum. Nam & quæ percipit mens, vnitatis in morem percipit. Exempli caussa: multi sunt homines, horum vnusquisque per se percipitur sensu: numerus eorū definiri nequit a nobis. Vnicam vero mēs hominis notionem concipit, quæ repræsentatur in singulis. idem de equo & ceteris intelligimus, quorū indiuidua sunt innumera. Formæ siquidem siue dicas species, itemque genera cuncta, monadis habent rationem. itaq; singula eorum definientes, dicunt: animal ratione præditum, animal hinniens. Hoc fuit in caussa, cur Intellectus, siue Mens, quæ rerum percipit formas, vnitatis nomine adficiatur. Et hoc quoq; rationi consentaneum est, quod binarius, infinitatis socius, scientiæ accommodatur. omnis etenim demonstratio, omnis ratiocinatio, quæ scientiæ finem parat, ex quibusdam in confesso positis id, de quo disceptabatur concludit, aliudque colligit ex præmissis, quorum apprehensio, cum sit scientia, illam

Io. Bapt. Egnat. li. de diebus.

Plato.

Aristot. Post. lib. 1.

lam binario æquum est comparari. Opinio autem ternarius est, perceptio scilicet probabilis, quæ multarum rerum est. nam multitudinem ternarius notat: distin. 66. cap. reliqui sacerdotes. Ad quam sermonis formam spectat quod est apud Platonem libro de Rep. decimo, vbi agit de his, qui e Poetis sumunt recte viuendi rationem, cum illi pro veris tradant phantasmata: Et cum vident (inquit) illorum opera, non intelligunt ea Tertio gradu a veris abesse. Poetis quidem amplificandi forma a Ternarij numeri additione nimis quam familiaris est.

Horatius Odarum lib. 3.

Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argiuis: ter vxor
Capta virum, puerosq; ploret.

Virg. Maro Aeneid. lib. 2.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum.
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

Et lib. 5.

Ter se se attollens, cubitoq; innixa leuauit
Ter reuoluta thoro est.

Item lib. 3.

Dextrum Scylla latus, lęuum implicata Charybdis
Obsidet, atq; imo barathri Ter gurgite vasto
Sorbet in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

Lambertus Hortensius.

vbi non numerum, sed fluctuum vehementiam indicare videtur satis. n. compertum est, id bis in die fieri, de quo videndus Strabo lib. 1. Geographiæ. vbi Homerum excusat, qui Vlyssee lib. 12. ter id fieri decantauerat. Potest adhuc ternarius significare opinionem dubiam inter tria, scilicet, verum, falsum, & probabile. Quaternario numero sensus insinuari potest, quod hic corporea tantum, & solida quasi sentiat. incorporea enim sensibus haud subiecta sunt. Afferunt Pythagorici alteram rationem, ostendentes animæ conuenire Quaternionem. aiunt enim compactam esse animam ex Quattuor elementis spiritalibus. Experimur quidem in ea quandam spi

ritalem

ritalem vim, quadruplicem ex se motum exerentem, concupiscibilem, irascibilem, rationalem, liberumq., siue voluntarium. Profecto cum anima sit intellectualis naturæ, ideo Quattuor hos motus intellectualiter satagit dirigere, cuiuslibet motus impetum intellectualiter modificando: & modificatio motus concupiscentiæ dicitur Temperantia. modificatio motus irascibilis vocatur Fortitudo. modificatio motus rationalis, Prudentia nuncupatur. & modificatio motus liberę voluntatis, appellatur Iustitia. Quatuor hasce virtutes morales, (quas cardinales vocant) Stoici officiorũ omnium fontes ponunt; nostri vero primarias principalesq; astruũt, ad edomandas animi perturbationes, & vitam secundum rectę rationis leges degendam. quas in libro Sapientię cap. 8. nominatim expressisse videtur Salomon, cum ait de ipsa vniuersali legitimaq; iustitia: Sobrietatem & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. vbi nomine Sobrietatis, temperãtia eius genus accipitur; nomine Sapientię, prudentia, quę est vt quędam sapientia circa agibilia, vnde prudentes, viros sapientes vulgo dicimus: & imprudentes, atq; inconsultos, insipientes. nomine vero Iustitię, intelligitur iustitia particularis, & ęquitas, cuiq; quod suum est reddens. demum nomine Virtutis, fortitudo designatur, non quidem corporis, sed animi contra terrores constantis robur. Ad quas sane quattuor, cęteras omnes virtutes ad componendos mores assignari ab alijs solitas, reduci volunt. Easdem S. Ambrosius diuinat fuisse figuratas in Quattuor animalibus Ezechieli prophetę in visione ostensis, quorum quodlibet habebat quattuor alas, quattuor facies, quattuor manus, quattuor incessus (vt ipse capit. 1. testatur.) & in quattuor animalibus oculatis ante et retro, de quibus loquitur Apocalypsis capite quarto. vt Leo significet fortitudinẽ. Vitulus, Iustitiam, vtpote proprijs contentam laboribus. Aquila, Temperantiã. de hac. n testimonium fertur animali huic. Homo, Prudentiam. Licet Aretas Episcopus Cęsareę Cappadocię per Quattuor animalia, totidẽ intelligat ex-

Plato de Repub. lib. 4.

Lib. 3. de Virgin.

Apoc. capit. 4.

cellentes Diuinus virtutes, qualescunq; illæ sunt, quæ Dei potentia designant, circa Mūdum ex Quattuor elementis compositū; Theodoretus virtutes Quattuor creatas, quas præfecit Deus Quattuor elementis, ex quibus subsistit vniuersum, & quæ ipsum cōseruant; Polychromus Quattuor Angelos quattuor Mundi partibus præpositos; Rabi Salomon Angelos Quattuor, quattuor monarchijs prepositos; Rupertus Tuitiensis Iesu Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, & ascensionem. Ceterum Athanasius, August. Hier. & cum his alij primæ classis Doctores, probant has facies potissimum insinuare Quattuor illos celestes scribas, & verborum operumq; Domini nostri, cum in terris diuersaretur Spiritu sancto dictāte conscriptores, sanctos inquam Euangelistas Mattheū, Marcū, Lucā, Iohannē, pro vt modus sermonis conducere videtur.

Animalium facies.	Athanasio.	Aug. Bedæ, Primasio.	Hiero. Greg. p̄p̄. Theoph. Antioch.	And. Cesariē. Aretæ.
Homo,	*Matthæus,*	*Marcus,*	*Matthæus,*	*Matthæus,*
Leo,	*Lucas,*	*Matthæus,*	*Marcus,*	*Iohannes,*
Vitulus,	*Marcus,*	*Lucas,*	*Lucas,*	*Lucas,*
Aquila,	*Iohannes,*	*Iohannes,*	*Iohannes,*	*Marcus,*

Hier. in psal. 93. *Nec absque rōne mysterij factum est, vt fundamenta legis Quaternario continerentur. cōputantur. n. in Decalogo Quattuor Euangelia, vt quodcunq; dicebatur in Decalogo, Quattuor Euangelijs compleretur, ne lex vetus ab Euangelica dignitate dissentiret. Nisi illud afferri velis, quod cum omnium vnum sit Euangelium, ideo Quattuor demonstrari propter Quattuor flumina Paradisi. nam cum vnus sit fluuius, in partes diuisus est quattuor, quibus Orbis vniuersus irrigari traditur; sicut horum prædicatione totus Mūdus instruendus creditur. Paradisus. n. Ecclesia est. nam de illa sic habetur in Cant. Canticorum: Hortus conclusus est soror mea.*

Primas. in Apoc. lib. 1.

Gen. 2.

Cap. 4.

Vel

Vel forte fluuius iste paradiso egressus designat Dominũ nostrũ a summo cęlo per naturæ nostrę susceptionem egressum ad irrigãdam verbo doctrinę et baptismali lauachro Ecclesiam. Et mystice quidẽ iste fluuius in Quattuor capitalia flumina diuisus est, quia quadrifido Euangelistarum cõtextu, fluenta doctrinæ eius et miraculorum opera, in toto terrarum Orbe aridas hominum mentes irrigant, et ad proferendum fidei bonorumq. operum fructum, eas largiter fœcundant. Vt non solum in ore duorum vel trium; sed istorum quattuor testium, stet omne actionum Christi & doctrinæ verbum. Est & huiusce rei argumẽtum vas Quattuor initijs de cęlo demissum Petro in excessu mentis, quod non aliud significat, quam Euangelium. Licet enim Quadriformi Euangelistarum narratione distinctum, principia Quattuor habere videatur, vnum tamen est Euangelij corpus, eiusdem scilicet Christi natiuitatem pariter ac deitatem, miraculaq; complectens, & passionem. Origenes Adamantius, & Greg. Nazianzenus asserunt Quattuor facies animalium Quattuor designare animæ vires, siue dicas affectiones. Homo vis rationalis est. Leo, vis irascibilis. Vitulus, vis concupiscibilis. Aquila conscientia est, reliquis incumbens, quæ a Paulo Apostolo Spiritus dicitur hominis. Apposite vero hunc animæ Quaternariũ progressum ad vnitatem redigunt Philosophi. nam simplex animæ essentia monade exprimitur; tum quod ipsa quoq; vnitas incorporea sit, sicut anima; tum quod vnita sit respectu partium corporis, & potentiarum eius. Etiam ad ipsam animam congrue ternarius referri potest ob indissolubile mediæ vnitatis vinculum. nã in ternario circa medium eius, idest, vnum, exstat vtrinq; pariter vnum. quasi simplicia & diuina circa diuinum, siue Deum. Sed hæc numeris demonstranda: Dic ter 1. fiunt 3. duc ternarium in seipsum, proueniunt 9. quæ multiplicata per ipsum ternariũ, eliciunt 27. ter 27. dant 81. vide quomodo in quarto gradu tibi occurrit vnitas prima. quod in cęteris numeris euenire liquebit facta semper multiplicatione per ternarium, quem diximus animæ conuenire.

Deut. 19.

Act. 10. Iohã. cassianus li. 3. cap. 3.

1. Cor. 2.

Quaternarius animæ progressus ex proportione tripla.

	3	243	19683	1594323	129140163
Animæ essentia.	9	729	59049	4782969	387420489
	27	2187	177147	14348907	1162261467
Vnitas 1	81	6561	531441	43046721	3486784401

Quod si cordi est scrutari mysteria quaternæ progressionis, diligenter attende quomodo prima progressio animæ est, qua de simplici essentia, quæ monade figuratur, in ternarium sanctum se extendit, vbi iam per concupiscentiam aliud appetat, aliud per iram contemnat, per rationem inter vtrunq; discernat. Et admodum erudite ab vnitate in ternarium profluere dicitur; quia essentia omnis secundum Philosophum naturaliter est potentia sua. Quod vero eadem vnitas in ternario multiplicante ter inuenitur, hoc significat, quod anima non per partes, sed tota in singulis suis potentijs consistat. neque .n. vel rationem solam, vel iram solam, vel concupiscentiam solam tertiam dixeris animæ partem, cum vna, eademque substantia, secundum diuersas potentias suas, diuersa sortiatur enunciata. cum enim asserimus tres esse partes animæ, iram, concupiscentiam, & rationem, non hoc dicimus, quasi anima sit diuisibilis in partes quantitate mensurabiles, vel quasi species a principali separatas, aut inter se inuicem disparatas. Rursus a ternario secunda progressione ad regendam humani corporis musicam descendit, quæ nouenario mensuratur, quia nouem sunt in humano corpore foramina, quibus secundum temperantiam regularem influit,

Aug. lib. de Spiritu & aïa.

influit, & effluit omne, quo vegetatur, ac regitur idem corpus. In tertia progressione per sensus iam extra se profusa, ad hæc visibilia, quæ per 27. qui solidus est numerus, ac trina dimensione ad similitudinem corporis extenditur, figurantur dispensanda per infinitas actiones. Denique in quarta progressione a corpore soluta ad suæ simplicitatis puritatem reuertitur. Ideoq; in quarta multiplicatione, vbi ter 27. in 81. excreuit, vnitas apparet in summo, quo euidenter appareat, quod anima post huius vitæ terminum, qui secūdum Prophetam Regium et Pithagoram Samium per 80. designatur, ad suę simplicitatis vnitatem reditum faciat, a qua prius discesserat, quando ad regimen corporis descendebat. Rationalem nempe animam ante corpus exstitisse asseuerauit Mercurius Trismegistus, qui moriturus ad circumstantes discipulos dicebat: Hactenus filij pulsus a patria, vixi peregrinus, & exsul: nunc vero patriam repeto. Sed & Plato animam docet esse substantiam propriam habentem potentiam, qua & moueatur a se, & cetera moueat. Quemadmodum vero res ex se mobilis rem ab alio mobilem antecedit; sic animam rationalem putat antecedere totam machinam corporalem, cum nullum corpus ex seipso mouere valeat. Ex eo autem, quod animę substantia prior est substantia corporis, concludit etiam, quod anima prius naturalibus sit ditata potentijs, quam corpori misceatur. quod & Pythagorę sententia comprobatur, cum ex vnitate proueniat primo ternarius; ex quo nouenarius. Sed Platonem lib. 10. de legib. audiamus: Recte, & proprie, vereq; & absolute diximus prius corpore animam factam fuisse, corpus vero posterius; atq; secundo animæ, secundum naturam dominanti subiectū. At si antiquior corpore declaratur anima, illa etiam quæ aīæ competunt his quæ corporis propria sunt, priora esse simul declarātur. hæc ille: Amplius Platonici et dignitate simul, & tempore volunt antecedere. Quod si quis Platonem a Christianis minus dissentire velit, exponat animam nostram, dignitate, Creatorisque intentione præcedere. hanc enim assertionem citra vl-

Aug. eodem.

Psal. 89. Laert. li. 8 devitis philos.

lum hæreſeos periculum plerique Theologorum credi poſſe, defendique putant: dummodo exiſtimemus non peccaſſe animas antequam corporibus illaberentur. ac propter peccata detruſas in corpora, tamquam in carcerem. Quod & in Origeniſtis, & in Priſcillianiſtis Conciliorum Decreta damnarunt. Nicolaus Cuſa Cardinalis libri tertij capite tertio Idiotæ, qui eſt de mente, ſapientes dicit, non tempore, ſed puritate, & naturæ dignitate animam putaſſe prius eſſe corpore, illam viſui in tenebris comparantes. Viſus autem nequaquam actu fuit ante oculum, niſi natura tantum. Vnde quia mens, ſiue intellectualis anima Diuinum quoddam ſemen eſt ſua propemodum vi complicans omnium rerum exemplaria notionaliter: tunc a Deo, a quo vim iſtam habet, eo ipſo quod eſſe recipit, eſt ſimul, & in conuenienti locatum terra, vbi fructum facere poſſit, & ex ſe rerum vniuerſitatem notionaliter explicare. Alioquin hæc vis ſeminalis fruſtra prorſus illi fuiſſet data, ni fuiſſet addita opportunitas in actum prorumpendi. Sed hac de re ſatis. Quaternariam hanc progreſſionem putant aliqui intelligendum illum animæ Quaternarium Pythagoricum; eumq; ad diſtinctionem Quaternarij corporis, nuncupatum animæ Quaternarium. Nam & corpori ſuus etiam aſſignatur Quaternarius progreſſus, qui in dualitate conſtitutus eſt. quemadmodum enim trinitas animæ rationali, formiſque competit; pari ratione dualitas materiæ corporique dicatur. Diſpoſitis igitur numeris pariter paribus, vt fiat progreſsio in dupla proportione conſiſtens, ſemper quarto quoque loco idem numerus binarius, a quo progreſsio ſumſit exordium, tibi occurrit. vt ex his numeris per duplam creſcentibus euidentiſsime patet.

Nic. Cuſa lib. 3. ca. 5. qui eſt.

Boet. arithmet. lib. 1. c. 6.

Qua-

Quaternarius corporis progreſſus ex proportione dupla.

Materiæ		4	64	1024	16384	262144	4194304
corporiq.		8	128	2048	32768	524288	8388608
addicta		16	256	4096	65536	1048576	16777216
Dias	2	32	512	8192	131072	2097152	33554432

Hic itaque Quaternarius eſt corporis progreſſus, in quo prudens lector mathematica ratione nouit eſſe diſſolutioni obnoxium quidquid a diſſolubilibus ſuſcipit compoſitionem.

DE NVMERO V.

QVINARII numeri vis tanto quaternario auguſtior habetur, quanto animatum inanimato pręcellentius iudicatur. nemo.n. eſt qui non videat quaternarium, poſtquam naturam vſq. ad corporis perfectionem produxit, ac tactui renitentem molem exhibuit, eam deſtituere, rei indigam maxime neceſſarię. Nam quod animę eſt expers, id, vt in pauca conferam, mancum eſt & imperfectum; neque vllam ad rem anima non mouente accommodatum. Motus autem ſiue affectio animam introducens, mutatione per Quinque fit, naturęque perfectionem conciliat. vt Quinarij ratio eo ſit, quam quaternarij pręſtantior, quo maior eſt animalis, quam anima carentis corporis dignitas. Quamobrem concinnitas & facultas Quinarij numeri plus virium nacta, nequaquam permiſit in infinitum animatorum naturam progredi; ſed viuentium Quinque genera tradidit, Deo primum locum ſibi vendicante, ſequentibus dęmonibus, ſeu genijs, heroibus inde tertio conſtitutis loco, hominibus ſubſequentibus, brutis vltimo.

Plutar. de Ei inſcripto foribus templi Delphici.

in Epino mede.

Quinq; locos statuit Plato esse in Mundo capaces animalium habentes aliquam inter se differentiam positionum ob corporum diuersitatem, quæ inhabitent eosdem locos. summus locus est ignis; huic proximus ætherius; dehinc aeris; post aquæ; imus et vltimus terræ. In primo ait ignea, & immortalia animalia contineri; in infimo terrena, & mortalia; ex medijs secundum, & tertium a Dæmonibus occupari; & quartum semideis adscribi. Quinq; sunt & Mundi habitatores, siue aīaliū genera, puta: Hoīes, quadrupedia, reptātia, natantia, & volatilia. Hirundo nonnisi Quinq; pullos in lucē edit, quos magna alit æquitate, ab eo, qui est maximus natu incipiens, in ceterisq; ortus rationem habens. Iam si ipsam animam, ita, vt natura illius fert, partiare, Quinario comprehensam inuenies. prima enim, & obscurissima illius vis est vegetandi; proxima, sentiendi; post hanc, appetendi; deinde, irascendi; in ratiocinandi facultate quinta, tamquā in extremo, perfectionem adsecuta sustitit natura. Animæ rursus in sui corporis mundo peregrinanti Quinque sunt ad sapientiam veluti gradus: Sensus, imaginatio, ratio, intellectus, et mens. quemadmodum etiam cognitionum opifices Quinq; recensentur ab Ammonio post Aristotelem, qui eorū quattuor tantum in primo de Anima libro meminit: sunt aūt Mens, discursus, opinio, imaginatio, sensus. Quinq. numero sunt & animales affectus turbidi, Ira, dolor, metus, sollicitudo, inuidia, quibus imperat mentis prudentia. Quod si veterum placita licet consectari, præcipue Platonicorum, qui nostro scribendi instituto suggerunt argumentum, Quinarium numerum pluribus de caussis animæ compositioni conuenire comperiemus. nam genera, quibus a Deo componuntur omnia, per Quinarium accipiunt distributionem. sunt aūt, Essentia, idem, alterum, status, & motus. Animā vero, velut omniū medium, præcipua quadā ratione ex ipsis Quinq; omnium generibus compositam Platonici, ex Pythagoræorum sententia, arbitrantur. Est quoq; Quinario similis anima, quia, cum sit medium vniuersi, sponte Quinarium suscipit vniuersi quidem numeri medium.

est.n. Quinarius perfectum denarij medium. nam cum Quinquies rite denarium diuidimus, medium est æque distans in qualibet diuisione Quinarius. primo quidem, si decem in nouem diuiseris, atq. vnum, videbis Quinarium inter vnum, & nouem medium exsistere pariter vtrinq; distans. si præterea in octo, atq; duo partiri decē volueris, rursum Quinarium æquale inter hæc medium reportabis. si tertio in septem, atq; tria, vel quarto, si in sex, & quattuor, iterū verum accipies inter extrema Quinarium. quinto quod decem partitus in quinq., & quinq; medium Quinarium præbeat, dictu superfluum. Adhuc anima ex natura, quæ indiuidua est, semperq. eodem modo habet, tū ex ea, quæ circum corpora diuisioni est obnoxia, tertium quoddam genus interiectum contemperauit; quod etiā inter eiusdem & diuersi naturam medio loco intercederet, ac proinde id constituit in medio indiuiduæ naturæ, & eius quæ circa corpora esset diuidua. Quare Pythagorici, quos postea Xenocrates fuit imitatus, animam definientes numerum, qui per se ipsum mouetur, nil aliud intelligi voluisse putantur, quam exortū numeri indiuiduæ, diuiduæq. naturæ mixtione progeniti. Quemadmodum igitur anima ex diuidua, indiuiduaq. constat natura, ita fere Quinarius ex primo pari, primoq. impari. Namq; parem numerum definit Euclides sexta septimi cum dici, qui bifariam secari possit. non potest aūt secari vnitas, vt dicitur prima septimi. nam si secaretur vnitas, par esset quilibet numerus, & nullus similiter eßet impar. Est igitur par numerus, qui ex binis vnitatum ordinibus numero æqualibus conflatur; impar vero, qui in duos vnitatum ordines æquales numero secari non potest. Hinc sequi necesse est, binarium esse primum parem; primum aūt imparem, ternarium. Constat igitur anima ex binario primo pari, ac diuiduo, & ternario primo impari, ac indiuiduo, qui simul iuncti Quinarium constituunt. Præterea cū ternarius vltra parem abundet vno, masculus ob eius copiam appellatur: binarius autem, vtpote par, ob inopiam, partitionem, femininus apparet: Quinarius ex his compactus Matrimonium nuncupatur,

Plutar.li. de Ei inscripto foribus tēpli Delphici.

ac nuptijs sacer esse perhibetur, ob paris cum femina, imparis cum mare similitudinem. Quando.n. numeri in æquas partes secantur, par omnino diuulsus, principiũ quoddam capax in scipso, spatiumq. relinquit: impari diuiso, semper restat medium gignendo aptũ. Itaque & pari fecundior est, mixtusq. semper prævalet, numquam vincitur. numquam etenim par impari mixtus, parem, sed imparem producit semper. immo vero vterq. secum compositus, discrimen ostendit. numquam.s. par pari adiunctus (per vigesimam quintam noni) imparem procreat, neq. suam potest mutare naturam, imbecillus & vi alium gignendi destitutus. Impares imparibus iuncti, quoniam sunt vsquequaq. fecundi, permultos pares generant. Quod si impares numeri componantur, multitudo autem illorum fuerit impar (per vigesimam quartam noni) totus impar erit. Quinarium igitur Pythagorici ob similitudinem congressus primorum maris, ac feminæ; paris, & imparis Coniugium appellauere. Inde a Veteribus etiam institutum erat, vt aqua, & igni (quorum alterum quasi masculinum est elementum, alterum quasi femininũ; alterũ actiuum, alterum passibile) quæ sane vitam maxime mortalium continent, nuptiarum fœdera sancirentur. Licet autem ignis permisceri cum aqua non possit, quod vtraque sint aduersantia, & si cominus venerint, alterutrum quod superauerit, alterum conficiat necesse sit; eorum tamen substantiæ permisceri possunt. Est autem ignis substantia calor, humor aquæ, quæ mirabiliter Deus ad sustentanda, gignendaque omnia excogitauit, cum fœtus animantium calore, & humore corporentur, atque animentur ad vitam. Ignis igitur & aqua afferebantur in sacris nuptialibus, quibus hieroglyphico sensu significabatur, ita virum feminamq; disiunctos esse steriles & infecundos, sicuti sine humore calor nihil progignere potest; at coniunctos vim habere generationis aptissimam.

Ouid. Trãsfor. lib. 1.

Quippe vbi temperiem sumsere humorq; calorq;
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumq; sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia fetibus apta est.

Accedit

Accedit quod Prisci matrimonium contrahentes Quinq. Deorum patrocinio indigere putabant, Veneris, Suadæ, Dianæ, Iouis præfecti, & Iunonis prefectæ, quam parientibus opem ferre volebant, eam proinde Lucinam appellantes, vt quæ filios in lucem edat. Huius speculationis fuisse putatur, quod Plato lib. de legib. 6. ad nuptiale conuiuiũ non plures, quam Quinq; amicos, & amicas Quinque ex latere paterno vocari voluit; ex cognatis, & propinquis, totidem. Est adhuc huius mysterij, quod Quinq. faces in nuptijs accendebantur, quia lumen sit procreationis signum; ac Mulieres Quinq. geminos vno posse gignere partu symbolice significent. quod testantur & Iurisconsulti, qui simul quinq. in hanc lucem edi posse, eosque quandoque superuiuere asseuerãt; & iuxta hanc rationem mulieri prægnanti partes ex hæreditate defuncti coniugis asseruant; ita vt si tres filios coniux ex priori vxore reliquerit, illi filij ex hæreditatis fructibus tres dumtaxat partes ex octo partibus sumant; vxor prægnans relicta, quinque. Nam & Quinos fœtus vno partu edidit Augusti Cesaris ancilla. Et Caius Digestorum libro 34. Serapim Alexandrinam liberos quinq. vnico partu narrat enixam. Anno quoque humanæ redemtionis. 1554. vt lib. de Prodigijs retulit Ambrosius Pareus, Bernæ apud Heluetios, vxor Ioannis Gelingeri Doctoris, quinos pariter foetus vno partu edidit, tres mares et duas feminas. Albertus Ratisponensis cognomento Magnus scribit quandam fuisse mulierem in Germania, quę sexaginta filios peperit, quolibet partu quinq., quorum nullus ad dimidium annum peruenerit. Aristoteles deniq. mulierem quandam viginti filios quattuor partubus edidisse testatur; eumq. censuit esse finem multijugæ hominum partionis; neq. plures vnquã simul genitos compertum. Non sum nescius Martinum Cromeriũ libro 9. de rebus Polonorum litteris mandasse, In Cracouiensi regione honestam quandam matronam Margaritam Virboslai comitis vxorẽ 36. pueros viuos vno partu edidisse vigesima die Ianuarij anno post natum Seruatorem 1270. Sed hæc sunt portenta.

Horat. in Carm. Secul.

Auicẽ. de nat. ani. lib. 9.

De natu. anim. li. 7. ca. 4.

Nam

Nam cōceptacula spermatica genituræ gratia comparata ex Anatomicorum quorundam obseruationibus Quinq; numero visa sunt, his verbis attestante Plutarcho: Semen fecundissimum Quinquefariam diuiditur. non .n. mulierem plures Quinq, fetus partu edidisse memoratur. multæ aūt quinque vno enixę partu. Sed & post partum sacrum fuiße Quinarium numerum ex Platone in Theæteto facile intelligi datur, cum ita loquitur: Post partum (vt mos est) Quinta die ab eius natali solennia celebrantes circulo cursim circumferre debemus, cauentes ne nos fallat, si forte educatione digna non sit, hæc opinio nostra, sed inanis & falsa. Quinto .n. a nato infante die Amphidrome agebatur, qua manus expurgabāt, quæ obstetricis munere fuerant perfunctæ, cursuq; ad focum ferebatur puer, mittebanturq; a propinquis polypodes, ac sepiæ loco munerum. His accedit, quod in animātibus Quinq; sunt Sensus, quibus animata ab inanimis maxime secernuntur, quod significare visus est propheta Moyses, cum animalium creationem dixit factā die Quinta, ostendens nullam esse inter duo quæpiam tantam cognationem, quātam inter animalia, et Quinarium, inter animatum, et sensum. Quinque sunt .n. organa sensus communis, eo quod ad naturam, & numerum eorum, quæ sub sensum cadunt sentiendi sunt instrumenta. quandoquidem Tactus aspera experitur & lenia, dura & mollia, quę in solidis sunt qualitates, tum quidquid calidum est, ac frigidum, humidum & siccum; Gustus dulce, & amarum, ac salsum, & id genus alia, quæ in humidis reperiuntur et siccis; Olfactus quod male, quodq. bene olet, quæ in euaporationibus inueniuntur; Auditus sonituum, & fragorum est explorator, quæ circa aeris versantur collisionem; Visus deniq. colores diiudicat, qui in tenuissimo ac ætheris lucidissimo spiritu sunt collocati. solidum siquidem effusum humidum efficitur; humidum porro, vapor; vapor autem, aer; aer, æther & tenuis spiritus, perinde ac cathena quædam exsistit, quæ a terra, cælotenus adoleuit. Quinq. etiam esse dicemus corporeos sensus, quoniam cuncta quę cęli ambitu continentur,

Libro de oraculorum defectu.

Suidas.

Gen. I.

Plato in Theęt.

tur,

tur, constant Physici ex materia & forma: hecq. duo dicunt cuiusuis rei totam esse substantiam; sed materia & forma Quinarium simul adimplent. materia .n. quaternitas quędam est, & quattuor elementorum, simplicissimorum Mundi corporum, complexio; forma vero vnitas quattuor elementis pacem imponens. ex quo fit, vt Quinarius numerus sit metrum compositionis omnium sensibilium substantiarum. quidquid .n. cuiuis mixto inest, preter formam, de natura est alicuius elementi; formam vero non esse elementarem; sed cęlestem imitari naturam, nullus ibit inficias. Quinq. rursus, quod totidem sint, quibus visibilis Mundus cõponitur. nam præter elemẽta quattuor, in quibus vniuersa versatur generatio, exstat & quinta quędam substantia, elementorum proprietates, virtutesq. quadam eminenti ratione complexa, quam cęlum, vel quintam essentiam, seu substantiam, vel lucem, siue etiam ętherem appellant, cui soli omnium corporum, non necessitate, non accidentis ratione, sed a natura datum est, vt circulo rotetur. Nobis assentitur Homerus, qui vniuersum in Quinq. Mundos dispartitur, Cęlum inquam, aquam, aerem, terram & olympum, ex quibus duos relinquit communes, terram scilicet vniuersi infimam, et olympum supremam partem; reliquos autem tres tribus Deis attribuit, Aegyptiorum scilicet secutus sacerdotes, qui Rheam vnico partu Quinq. Deos peperisse fabulantur. Diuinus quoq. Plato, quamuis aduersus eos pugnans, qui vel infinitos, vel plures numero Mundos ponunt, vnum fateatur a Deo cõditum Mundum, pulcherrimas attamen, primasq. corporum species vniuersi distinctis partibus accõmodans, Quinq. Mundos facit, terrę vnum, alterum aquę, alios aeris, & ignis, extremum qui hos contineat. illis itidem se opponens, qui vnum esse vniuersum pronunciant, in Epinomide Quinq. principia statuit, Ens, idem, diuersum, motum, et quietem; quibus Quinq. primas ac perfectissimas earum, quæ sunt in natura figuras Pyramidem, cubum, octahedrum, icosahedrum, & dodecahedrum singulas singulis accommodauit in Timæo. Est autem Quietis signum

cubus

cubus ob facierum stabilitatem, quod hæc figura sub sex quadratis angulis comprehendatur, terram exhibens, namq; omnium maxime immobilis terra. Pyramidis igneam vim, & ad Motus agilitatem quiuis in acumine laterum, vel facile cognoscet. comprehensa est .n. planis ab vno plano ad vnum signum constitutis. Dodecahedri natura, quæ apta est ad complectendum reliquas figuras, vtpote sub duodecim quinquangulis æquiangulis, & æquilateris sibi inuicem æqualibus comprehensa, effigies Entis esse videtur vniuersa corpora comprehendentis. Octahedrum, quod figura sit sub octo æquilateris triangulis sibi inuicem æqualibus conclusa, Eiusdem ideę conuenit, aerem quasi vna in forma omnem substantiam cõtinentẽ exhibens. Deniq. Icosahedrum figura sub viginti æquilateris triangulis sibi inuicem æqualibus comprehensa, Diuersi ideæ competit, aquam exhibens, quę temperando plurimas qualitatis species recipit. Habent autem similitudinem quandam hęc Quinque corpora ad exteriores sensus. Tactus siquidem terrę rationem habere dignoscitur. est .n. terrestre quippiam, & resistens. Gustus autem aquę humectatione, gustabilium percipit qualitatem. Aeris vero appulsus ex ictu, vnde nascitur sonus, aut vox, auditum perficit. Ignem quoq. imitatur olfactus, nam & ex qualitate calida, odores proficiscuntur. At videndi ratio ex ęthere contemperatur & lumine, sicut in Moralibus edocet Plutarchus. Quod si Philosophorum principem sequi voluerimus, obtutricem oculi facultatem aquę conuenire dicemus; sensitiuam sonorum, aeri; odoratum, igni; tangendi facultatem, terrę; degustandi vim, tactus quandã speciem affirmabimus. Quinque demum esse sensus exteriores necesse fuit, nam & totidem sunt vniuersa genera substantiarum, Deus inquam, angelus, anima, corpus, & mundus. Aeternus & increatus Deus cunctis pręstat creaturis: Angelus, vt simplicissimus primus rerum omnium productus a Deo actus, secundo statuendus est loco, cum sit ipsi Deo non solum proximus, sed etiã attiguus. Anima etiam, licet omniũ sit vltima creaturarum, supremum tamen

Arist. de sensu, & sens.

sensibi-

ſenſibilium, ac angelis proximum locum ſortita fuit. Animæ proximum eſt Corpus, quod illi inſeruit, ac ſubditur. poſtremo loco poſitus eſt Mundus, vt humani corporis circumſtantia, ac natiuum domicilium. Quo fit, vt iuxta totidem res obiectas, animę cognitiones ſint diſtribuendæ. quoniam

	Mundum:
	Proprium corpus:
Cognoſcit Anima	*Seipſam:*
	Angelum:
	Deum.

Qua vi Mundum intuetur, ſenſitiua, ſeu exterior ſenſus vocatur: qua proprium corpus, imaginatio, ſeu ſenſus interior appellatur: qua ſeipſam, ratio, vt quæ animæ propria eſt, nominatur: qua Angelus illi fit notus, intellectus dicitur: qua Deum licet contemplari, mens nuncupatur.

	Mens:		*Deus:*
	Intellectus:		*Angelus:*
Animæ cognitiones	*Ratio:*	*Obiecta*	*Anima:*
	Imaginatio:		*Corpus:*
	Senſus.		*Mundus.*

Porro hanc Quinariā aīæ cognitionem natura in ſuperficie corporis expreſſit humani, eamq; in totidē organa diſtribuit, ſpacio, gradu, loco in humano corpore ſeparata, a quibus totidem peculiares ſenſus promanāt, quos appellamus exteriores. Ex quinq; .n. quas diximus, cognitionibus, duæ ſupra aīam ſunt; duæ infra aīam; in anima vna. quantoq. magis ab ea, quę oīum humillima, & abiectiſsima eſt, ad altiorem, et præſtantiorē contendimus; tanto magis in interiora, & abditiora penetramus. abditior eſt aūt imaginatio ſenſu; imaginatione, rō; intellectus, rōne penitior; mēs cunctis interior, ſibiq; maxime inſita. Cū igitur in Quinq; organa diſtribuātur ſenſus, tactus, licet toto ſit in corpore fuſus, verius tamē et peculiarius in manibus eſt locandus; guſtus, in lingua; olfactus, in naribus; in oculis, viſus;

in

in auribus, auditus. Atque hic est ordo naturalis Quinq. sensuum ab ignobiliore ad præstantissimum:

Sensus,	Imaginatio,	Ratio,	Intellectus,	Mens,
Tactus,	Gustus,	Olfactus,	Visus,	Auditus,
Manus,	Lingua,	Nares,	Oculi,	Aures.

Auditus in nobis acrior est visu, hic olfactu, olfactus gustu, & tactu. atq; adeo tactus ne sensus quidem esse videtur. Nam cęterorum sensuum quilibet in vna quapiam rerum sensilium oppositione, & in intermedijs versatur, veluti auditus in sono graui et acuto, & interiectis: visus in albo & nigro, & interiectis coloribus: olfactus in odoribus & fœtoribus: gustatus in dulci & amaro, & interiectis saporibus: ceterum tactus in pluribus oppositionibus cernitur, non subalteruis, vt in frigido, & calido; & humido, & sicco; & duro, & molli; graui & leui; raro & denso, quæ subalterna esse non possunt, illud superaddere non inutili fuerit. sensus maioribus sensilibus perceptis, haud amplius vna cum illis minora percipere posse. nam qui magnos strepitus audiuit, minores non sentit; et qui Solem intuitus est, legere non potest, aut alia aspectabilia percipere; & qui acriores sapores gustauit, remissiores non percipit, eadem & tactus est ratio; mentis vero contraria. Quo.n. maiora intelligibilia comprehenderit, eo expeditior est ad maiora comprehendenda.

In diuinis oraculis præsens numerus præclaræ dignitatis est, quia præcipuorum Domini nostri IESV Christi vulnerum pro nostra redemtione acceptorum est designatiuus, quorum signa et cicatrices triumphata morte rediuiuus dignatus est in suo corpore iam glorioso conseruare, ad comprobãdam Discipulis fidem suæ resurrectionis. Sane ex his, tamquam quinq; fontibus viuis, effluxit largiter sanguis ille preciosus, qui emundat conscientias nostras ab operibus mortuis; qui pretium est nostræ redemptionis, qui sanctificationis nostræ & purificationis saluiuificum est lauacrum. Vnde in mysterijs Missæ & augustissimi sacramenti altaris, pleraq; Quinquies fieri debere instituta sunt, vt conuersio Sacerdotis ad populum, signorum

Luc. 24.

gnorum crucis efformatio, et quintuplex (cum id celebranti visum fuerit) oratio siue collecta, ad repręsentandam nobis hanc quincuplicem Christi passionem, quæ in sacratissimorum Quinq; principalium suorum vulnerum inflictione peracta est. Et nos ipsi, qui redēti sumus a Domino, eadem sacratissima vulnera alto debemus animo figere numquam obliuione obliteranda. Pręterea Quinarius interdum Quinque corporeos sensus designat, per quos nobis rerum notitia innotescit, attestante Philosopho omnem nostram cognitionem incipere a sensu. vt per hunc numerum illi designentur qui sensus optime regunt. Quare Gen. ca. 45. Beniamin accipit a Iosepho Quinque stolas, idest, sapientiam omnium sensuum. Interdum quoque presens numerus Quinque librorum Mosis, Genesos, Exhodi, Leuitici, Numeri, & Deuteronomij nota est, & significatio. qui antiquæ legis mandata, iudicia, & ceremonias, cum historia productionis rerũ, & propagationis humani generis; deductionisq; populi a Deo peculiariter electi, ad mortem vsq; Mosis complectuntur. Quare numerus, de quo agimus, et totius legis doctrinam, & scientiam non incongrue signat. Sic Quinq; porticus piscinę, quinq. libros legis significant, quibus populus Israel continebatur. per aquā .n. populus Iudaicus est intelligendus, qui adueniēte Domino nostro ita turbatus est eius videndo miracula, sicut aqua per Angelum mouebatur; ideo ad aquæ motum, vnus curabatur, quia vnica est Ecclesia, quare scriptum est, quod nō nisi descendisset, sanabatur; quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Sic Quinque panes hordeacei, quibus Christus turbam satiauit, ad legem referuntur, quia hordeum, Mosis legislatio est. vt .n. hordeum ante triticum maturescit, ita etiam ante euangelicam prędicationem lata lex, qua Israelitę quasi bruti, & ad Diuina mysteria capescenda rudes, pascerentur. Isti sunt Quinq; bases templi, quę erant ad dextram, et quinq; quę erant ad sinistram, sicut dicitur 3. Reg. 7. quoniam in templo Ecclesię a dextris, & a sinistris. i. in prosperis, & aduersis, hi quinq; libri sunt bases. i. morum, & fidei fundamenta.

D. Hier.

Iohan. 5.

Iacob. 4.
Iohan. 6.
Matth. 14
Mar. 6.
Luc. 19.

1.Reg.17 menta. Quinque limpidissimos lapides de torrente sumsit Dauid; sed vno spurium Goliath Philisteum impudenter exercitum Dei viuentis exprobrantem poteter cocusit, prostratumq; occidit. quia
1.Cor.14 in vno præcepto charitatis perficitur lex. Quinq; verba, quibus loqui se velle in Ecclesia gloriatur Apostolus, designant pentateuchũ sensibilia scripturarum verba quinq; sensibus respondentia. Quin-
Matth. 25. que virgines sapientes habentes secum oleum in lampadibus, eos significant, qui in lege Domini meditantur die noctuq. vel eorum nota sunt, qui se continent ab illecebris quinq; sensuum, & sic continent vt in sua conscientia gloriam habeant, haud laudem ab hominibus exspectãtes. Possumus etiam cum D. Hieronymo Quinq; virgines sapientes, & quinq. stultas, quinq. sensus interpretari, quorũ alij festinant ad cęlestia, & superna desiderant; alij mobilibus & fluxis rebus inhiantes, lumine veritatis, quo illuminentur, ca-
Cap. 26. rent. In Leuitico vox Dei est: Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur Quinq. de vestris cẽtum alienos. Quia si sapienter & probabiliter pugnemus in verbo Dei; si prudenter de lege Domini disseramus, conuincimus & fugamus infidelium multitudinem. Sicut.n. Quinarius, sapientes indicat, & insipientes: ita centenarius cum fideles notat, tum infideles. ibi.n. centum fideles persequuntur decem millia, & a quinq; fidelibus effu-
Esa.65. gantur centũ infideles. Et alibi testatur Scriptura maledictũ fore peccatorem, qui centum annorum moritur. Quinq. talenta in Euangelio possunt significare maiorem cognitionem Scripturæ his qui sensus habent exercitatos ad bonum, malumue discernendum. Dupli-
D.Hieronym. in Matt.25. Orig. in Matth. libro 33. cantur autem cũ quis ex creaturis intelligit Creatorem; ex corporeis, corpore carentia; ex visibilibus, inuisibilia; ex breuibus, æterna.
Leuit 5. 6. Quintam partem tradere sacerdoti, aut domino rei, est illum sensum offerre Deo, por quem peccauit, ne amplius per ipsum peccet; vel offerre linguam confitendo peccata, & laudibus Deum prosequen-
Leuit.19 do. Quod vero quinto anno fructibus nouæ arboris vesci licebat, designatur, post gratias Deo habitas & actas vtendum esse rebus

per

per Quinq; sensus ad intelligendum. Qui demum peccasset in sanctis, tantundem reddere iubebatur, & ad illud Quintas adijcere, quod non ita intelligendũ, vt si quis de sacris, vel oblationibus, vel muneribus in vsum pauperũ erogatis, aut pro tẽpli ædificatione, vel alterius voti operis designatione datis, aliqua interuertisset, oportere eũ Quintã partẽ addere eorũ quę subtraxit, mox peccati veniã imploraturũ; sed alia Quinq. superaddere p̄ceptũ erat, aliq̃dq. insuper auctarij. de quo vide Origenẽ. hom. 3. in Leuitic. et Cyrillũ, qui hãc sentẽtiã examinãs, in hæc verba prorumpit: Si quis Quinq. sensuũ opus peruerterit, et debito, honestoq. vnumquemq. officio defraudauerit, oportet eum synceros illos, et integros Deo restituere; mox alios Quinq; interiores adijcere, et horũ oĩum deniq. summã, et solidationẽ quandã superaddere, firmũ. s. bene agendi propositũ, si Deo satis ex asse facere voluerit. Ad hoc ẽt spectare videtur, quod ab vno mense ad Quintũ vsq; annũ offerũtur sicli Quinq. hoc est, vt Hesychius Hierosol. interpretatur, quinq. sensuũ p̄fectio, quę ideo per geminatũ numerũ exprimitur, vt intelligamus, ea quæ puer sensibiliter audit, videt, gustat, odoratur, & tangit, illa ẽt conduplicet, dũ institutus fuerit illa ad intellectum, et interiores hoĩs sensus accommodare, per quos vel mundi corde effecti Deũ videmus; vel aures habemus ad audiẽda ea, quæ docet IESV; vel odorẽ capimus illũ, quẽ dicit Apostolus: Quia Christi bonus odor sumus Deo; vel etiam gustum sumimus illũ, de quo dicit Psaltes: Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus; vel tactum illũ quẽ dicit Iohannes: Quia oculis nostris inspeximus, et manus nostræ contrectauerunt de verbo vitę. Est et illa Quinarij numeri in philosophia, et in diuinis scriptis cõsideratio, quod expansione Cabalistica quindenariũ continet. si quis .n. vnum, duo, tria, quattuor, quinq; in vnum coniunxerit, quindecim reperiet. Sed et Quinq. sensus, triplicẽ habentes collectionem, quindenarium procreãt, ex eo quod tactus quod tangendi substãtiæ subiacet, tangit; gustus gustabile, gustat; & odoratus odorabile, odoratur; & visus visibile, videt; & auditus audibile, audit.

Leuit. 27

2. Cor. 2.
Psal. 33.
1. Ioan. 1

Hinc in Diuinis oraculis quindenarius pro Quinque sensibus aliquando positus inuenitur. nam et arcam, quam humani corporis esse figuram Diuus testatur Ambrosius, quindecim cubitis super excelsos montes fuisse scribit Moyses, nimirum propter Quinque sensus, qui sunt in corpore nostro, velut excelsi montes, qui hāc carnem passionum obumbrant, & plerunq; incursantur bestijs, & exagitantur condensa & opaca eorum. Vnde Dominus, per nationum credentium fidem, veniens ad Ecclesiam suam, venit a Libano; sicut habet Canticum canticorum. Ac vt magis constet quanta sit Quinarij ad quindenarium societas, ex Quinarij partibus, vel facile perdisces. namq; illarum compositione fit quindenarij trigonus. si. n. ducatur 1. in 2. fit 2. qui ductus in 3. producit 6. et hic ductus 4. procreat 24. quod si 24. per 5. ductitaueris, nascetur 120. trigonus ipsius quindenarij. Habet Quinarius alios etiam honores. ortus. n. eius non inelegans est, non is quem supra commemorauimus, vbi ex binario & ternario docuimus esse conflactum; sed quod oritur principio cum quadrato primo coeunte. omnis. n. numeri primordium est vnitas; quaternarius autem quadratorum primus. Quod si recte vnitatē quadratum censemus, quoniam & ipsa ex sese propagatur, Quinarius coitu duorum primorum quadratorum natus; haud potuit nobiliori ab origine exsistere. Adde per penultimam primi Euclidis, quod tantum potest quadratum, quantum coniuncta faciunt duorum quadrata numerorum, qui ipso proxime priores sunt; & quod primus hic numerus sesquialteram proportionē continet. Aliam quoq; huius numeri præstantiam animaduertunt Pythagorici. idem namque natura dicitur, quoniam sui multiplicatione semper in se redit. quod etiam Senario commune est. Quare Circulares, ac Sphærici ab Arithmeticis appellantur. id enim circulare, sphæricumue dicitur, quod quanto vis ambitu in seipsum redit, ac finem principio copulat. Porro sicuti natura triticum loco seminis accipiens, multas alterando eo, mutandoque formas interim inducens, tandem triticum reddit, in fine totius mutationis

Gen. 3.

Cap. 4.

nis principium restituens: ita cum cęteri numeri in se se multiplicati, incremento facto in alios desinant, soli Quinarius, & Senarius in se ducti, seipsos semper ostendunt, respiciunt, ac conseruãt. Auge seipso Quinarium, proueniet tetragonus 25. in idẽ latus desinens. dein ducatur 5. in suũ tetragonum 25. et conficies cubũ 125. in idem reuolutum latus. ducatur item latus 5. in productum cubũ 125. et fit 625. qui in idem latus reuolui tur. postea in 625. idẽ latus ducatur, proueniet 3125 in idem latus terminatum. in quem iterum ducatur 5. & fit 15625. iterum in productum ducatur idem latus 5. & fit 78125. in idem reuolutum latum. Auge rursus seipso senarium, surget 36. qui quadratus est in idem latus reuolutus, in quem & ipse ductus gignit 216. cubum sphæricum. deinde in productum cubum ducatur senarius, & fiunt 1296. rursum in productum ducatur 6. & consurget 7776. in quem deinceps ducatur 6. producetur que 46656. in quem denique idem ducatur latus, fietque 279936. Si in immensum etiam Quinarius, senariusque suos ipsi multiplices augeant, nullius vsquam alijs, quam suis radicibus ipsorum multiplicium ambitus finiri poterit. In tota igitur numerorum serie (vnitate postposita,) duo sunt spectabiles numeri circulares, ac radices circularium numerorum, tanquam gemini omnium oculi & magna luminaria, Quinarius vt prior & impar, masculus, luminare maius dici potest; senarius vt posterior, & par, fœmina, luminare minus. impar numerus est actus & forma quædam: sed par potentia & materies. Quare in numeris vnicus reperitur actus, atque vna tantum potentia inuariabilis. Quemadmodum autem Quinarius & senarius nulla sui progressione extra se fiunt, nusquam diuersis finibus excipiuntur, sed in semetipsis quantumuis aucti redeunt: ita

5
25
125
625
3125
15625
78125

6
36
216
1296
7776
46656
279936

eos dicimus æuo persimiles, cuius omnis finis est vt principium, & omne vltimum vt primum. est enim æuum semper idem. Sed Quinarius etiam præter hunc cùm suo genere multiplicationis fructum, etiam cum alijs imparibus sociatus, se semper ostendit, nam Quinquies terni, decemquinque. & Quinquies septeni, triginta quinque. Quinquies noueni, quadragintaquinq;. Si vero sibi ipsi fuerit adiectus, denarium perfectum numerum gignit, idque perpetuo durat. Quinarij igitur illa est natura, vt cum Quinario congressus nihil imperfectum, aut alienum procreare possit, sed aut sese, aut denarium, id est, vel suæ naturæ, vel perfectum numerum. Habet denique Quinarius in Cælestibus diuidendi facultatem; nam & Aegyptij astrum pingere solebant, dùm Quinarium numerum vellent significare. quinario enim comprehenduntur conuersiones stellarum vagarum, cum eadem sit Solis, Luciferi, & Mercurij. Sed & Cęlum circulis describitur Quinque æquidistantibus, duobus videlicet polaribus, totidem solstitialibus, & horum medio æquinoctiali; qui nomina sortiuntur vel a regione Cęli, vt Arcticus, & Antarcticus, vel a caussis, vt Tropicus æstiualis, Tropicus hiemalis, siue hibernius, & Aequinoctialis; sub hoc enim decurrente Sole fiunt æquinoctia; sub illis solstitia.

DE NVMERO VI.

SEnarius Numerus, siue spectes mysticos sensus in sacris voluminibus, siue quæ ab his scribantur, qui de numeris philosophantur, vberrimam segetem ad contemplandum suppeditat. Moyses enim Diuino spiritu afflatus admirabilem hanc rerum vniuersitatem a summo Architecto Sex diebus exædificatã scribit, non quod Opifex Verbum

bum Deique Filius, cui intra momentum ſuppetit facere, quæ velit, tempore indiguerit ad eam conſtituendam. Credendum eſt enim Deum vniuerſa ſimul dicto citius effeciſſe ſolo voluntatis nutu. Sed numero vſus eſt, quod ea quæ fiunt, ordinem requirant; ordo autem numero continetur. namque ordo plurium rerum eſt; quæ vero plura ſunt, aliquem numerum habeant neceſſe eſt. Cum autem Omnipotenti Deo liberum eſſet vniuerſa ſimul ordinare, ſicut & creare, quod opificis finiti ſit ordinatio, infiniti creatio; oſtendit per ipſum quidem licere infinitum eſſe, ſed rebus ipſis haud concedi, vt ſummam perfectionem, quę eſt Vnitas, aſſequerentur. Quamuis enim pro natura corporea perfectus ſit Mundus, abſoluta tamen natura non eſt omnino perfectus, cum, propter materiam, informia patiatur, vel deformia; propter dimenſionem, virtutis ſubeat defectum, diuiſionemque exſpectet, ſi diuiſor acceſſerit; ob compoſitionem, diſſolutioni ſit obnoxius; ob partium repugnantiam, machinetur malum; propter motum, præ ſe ferat indigentiam, priuationemque patiatur admixtam. Beneficus autem cum ſit Deus, non pro magnitudine ſuæ benignitatis, quæ immenſa eſt, & infinita, ſed pro viribus accipientium beneficia confert. Non eſt vero Mundus tam natura ſua ad accipiendum beneficium diſpoſitus; quam Deus ad conferendum. Namque huius vires omnium præſtantiſſimæ ſunt. At illius infirmitas impar eſt eorum magnitudini, penituſque ſuccumberet, niſi Deus apte, quod cuique conueniat, viribus cuiuſque metiretur. Argumento eſt Moyſes Dei amicus, & myſterio um interpres, qui, dum ſupplex Deum his verbis deprecaretur: Oſtende mihi te ipſum, ſibi dictum audiuit: Ardorem diſcendi probo, vt meretur; ceterum quod petis neminem natum impetrare fas eſt. tibi tantum largiar quantum conuenit. neq; .n. quidquid ego dare poſſum facile, id et homo poteſt accipere. Apoſtolus item: Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Non quod ad menſuram ſpiritum, et gratiam tribuat Deus, cuius

Philo. Alexan. Exho. 33

Ephes. 4.

beneficentia nullis terminis circumscribitur; sed quod iuxta mensuram vasculorum infundat liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur, accipere. Quare licet D. Lucas de Apostolis scriptum reliquerit, quod repleti fuerint Spiritu sancto: hoc tamen secundum mensurā vasculi intelligendum est. Quomodo .n. verbi gratia, si dicere voluerimus: hæc vasa sunt plena vino, non statim quia æquali mensura sint plena, indicabimus, si quidem aliud sextarium, aliud amphoram capere potest: & tamen est secundum mensuram suam vtrunq; cōpletum. Ita fere Mūdus perfectus est. at perfectionis summam, quæ in vnitate consistit, assequi non potuit; sed ad secundū declinauit perfectionis gradum, qui in Senario constitutus est, quod hic lege naturæ generationi sit aptissimus. Numerorum .n. qui oriuntur ex vnitate, iste primus omnium perfectus est, quippe qui suis partibus æquetur, & ex eisdem plene expleatur, ex ternario nimirum, qui est illius dimidia pars, & ex binario, qui est tertia, & ex vnitate tandem, quæ est sexta. quæ partes omnes ductæ in summam, Senarium conficiunt. Pars autem in hac numerorum cōtemplatione illa est intelligenda, quæ aliquoties sumta, totum conficit, & quæ quota sit, dici potest, sicut est dimidia, tertia, quarta, & deinceps ab aliquo numero denominata. Neque .n. exempli gratia, quia in nouenario numero, quattuor est aliqua illius pars, ideo dici potest quota pars eius sit: vnum autem dici potest quota pars sit, nam nona eius numeri est; sic tria, nam tertia pars eius sunt. coniunctæ vero istæ binæ ipsius partes, nona scilicet, & tertia, idest, vnum, & tria distant a tota summa eius, quæ nouem est. sunt .n. quattuor. Itemq. in denario, quaternarius est aliqua pars eius, sed quota sit haud quaquam dici potest. vnum autem dici potest quota pars sit, quia illius est decima pars: habet & quintam denarius, quæ sunt duo: habet & dimidiam, quæ sunt quinq. sed hæ tres partes eius decima, & quinta, & dimidia, idest, vnum, duo, quinq. simul ductæ, non complent decem. sunt enim octo. Duodenarij contra partes in summam

Act. 2.

mam ductæ, ipsum superant. habet si quidem hic numerus duodecimam, quod est vnum: habet & sextam, quę sunt duo: & quartam, quę sunt tria: habet tertiam, quę sunt quattuor: habet & dimidiam, quę sunt sex. sed huius partes maiorem summam colligunt, quam sit ipse duodenarius. omnis .n. hic cumulus, vnum, duo, tria, quattuor, & sex, redundat in sexdecim, maiorem vtique summam, quam sint duodecim. Primus igitur omnium Senarius partibus suis in summam redactis perficitur. quare non incongrue generationi, nuptijsq. sacer dicitur, quod eius partes simul collectę, ipsum, vt diximus, gignant, similemq. reddant genitum genitori. Prçterea cum Mundus creaturarum omnium absolutissimus, in seipso complexurus esset generationes e binaria copula, vt in se contineret, tum proseminantis masculi, tum feminę gignendam speciem suscepturę, necesse fuit ex hac copula Senarium componi perfectum numerum. Nam cum in rebus masculus censeatur numerus impar, sicut par femina; imparium autem principium sit ternarius, parium binarius: mascula, feminaq. natura Senarius prçditus dicetur, cum ex ambarum viribus constet, ac vtriusque sexus admixtione conficiatur. Exstat Clementis Alexandrini hęc diserte scribentis Stromatum primo, de duobus mũdis auctoritas: Vnum quidem mundum nouit barbarica Philosophia, qui percipitur intelligentia, alterum sensibilem; illum quidem archetypum; hunc imaginem eius qui dicitur exemplar: ac illum quidem attribuit Vnitati; hunc vero nempe sensilem, Senario. Coniugium siquidem apud Pythagoricos vocatur Senarius, vt qui genitalis sit numerus. Idem alibi: Senarium, inquit, Genesi ac Nuptijs accommodari probant Pythagorici. Gamon nempe coniugium appellantes, quod ex vtriusq. sexus mixtione conficiatur. Nam sicuti coniugium ex masculo generatur, & femina: pari modo Senarius ex impari quidem ternario, qui masculus est, ex pariq. binario, qui femina, procreatur. Clementi assentitur Martianus Capella hunc numerum tribuens Veneri, quæ iccirco forte mater Harmoniæ dicitur

Plutarc. de Oraculorum defect.

libro 11. capit. 12. Euseb. de præp. Euang. allegat Clementé in sexto.

citur, quod Senarius fuerit primus harmonię genitor. nam per primum motum, hoc est, binarium collatus, 12. facit, inter quos numeros duo medij inueniuntur, idest, 8. & 9. Porro 12. ad 6. gignit dia pason symphoniam; 9. ad 6. gignit dia pente; 8. ad 6. dia tessaron producit. Constat præterea Senarius ex proportione dupla, quam intra se proxime continet. ea est 4. ad 2. qui simul iuncti numeri Senarium conficiunt. quod in ceteris vix poterit reperiri, nisi in quibus seruata fuerit natura Senarij, vt sunt duplus, quadruplus, aut quadratus eius, & similes. Est igitur Senarius resultans ex dupla proportione, quę dia pason conficit omnium consonantissimam. Quare ad huius visibilis Mūdi fabricam nec consonanoior, nec perfectior reperiri numerus poterat, quam Senarius, in quo summus artifex Deus sua perficeret opera. Nec enim Senarius sacer, ac perfectus solum perhibetur, quod hoc dierum numero conditę sint vniuersæ rerum species, ut opinatus fuerat Gulielmus Hamerus, secutus Gregorium Pontificem summum lib. 35. cap. 20. Moral. sed etiam ea de caussa sex diebus Deus opera sua perfecit; quia Senarius perfectus est, ac sacrosanctus. Itaque etiam si ista non essent, ille perfectus esset; nisi autem ipse perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent; quemadmodum sentire visus est Hugo, qui a Sancto Victore nominatur, cum libro de Sacramentis legis naturalis & scriptę hunc in modum loquitur: Senarius, quia ex partibus suis constat, signum perfectionis est: & icci rco voluit Deus sex diebus complere opera sua, vt ostenderet se in his quæ fecerat, nec superuacaneum aliquid posuisse, nec imperfectum reliquiße. Confirmat hoc ipsum Aurelius Augustinus asserens, Senarij perfectionem nobis a sacris litteris commendatam in eo maxime, quod Deus sex diebus perfecit opera sua, & die sexta fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Sicut igitur perfecto nihil deest: ita neque ordinationi, aut rebus ordinatis quidquam, aut addi tamquam diminuto, aut detrahi tamquam a superabundante potest,

Comm. in Gen. D. Tho. quolib. 8 q. 1. art. 1

De Trin. li. 4. & in Gen. ad lit. lib. 4.

non

non potestate quidem terminata, sed ipsa rerum serie sibi terminos præscribente. id fuit, ac si dixisset, per Senarium illum eorum quæ creata sunt, ordo melior, ac dispositio non potuit assignari, aut esse. quare die sexta subdit Propheticus sermo. Vidit Deus vniuersa quæ fecerat, & erant valde bona: & factum est vespere, & mane dies sextus. Cum ergo audis sex diebus constructum fuisse Mundum, non intelligas de numero dierum tantum, sed de perfectione vniuersi, quæ per Senarium perfectum numerum designatur. Vnde cum ad hunc absolutum numerum opus Dei peruenisset, dixit Diuini verbi Scriba: Perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Sic & Orpheus Mystarum princeps Hymnos iubet sexta generatione finiri, cum ait.

Gen. 1.

Gen. 2.

Aetate in sexta studium finite canendi.

quod de rebus creatis non vltra cani possit, cum ibi tota sit terminata perfectio. Non videtur hic prætermittenda fabricæ maxime competens figura trigona, quam constituunt Senarij partes. Huius enim basis est, ▲ ▲ ▲; summitas, ▲; intermedium, ▲ ▲; vt in obiecta figura facile patet. Vnitas, vt quæ impartibilis sit in se, a se, & circa se, fabricatori Deo adscribitur. Dualitas prima monadis productio femina, mater elementorum, (nam de illa quattuor elementorum numerus procreatur) similis est materiæ primæ, ac generationi. Trinitas secunda monadis productio mascula, idealibus formis, vel compositis corporibus consequenter aptatur apud Martianum Capellam.

▲
▲ ▲
▲ ▲ ▲

Vnitas,	*Diuina virtus,*
Dualitas,	*Generatio rerum,*
Trinitas,	*Forma perfecta.*

Ita sentiebat Pythagoras ex hisce tribus vniuersa procreari,

atque


atque in eadem resolui. Senarius igitur primus est dux perfectorum numerorum, primusque numerus æqualitatis, qui seipso constet, suisque partibus restituatur, neque ipsis maior, neque inferior, gaudetque partium Trinitate, quibus restituitur. nam ter trinus esse comperitur; trinus quidem figura, nam quilibet perfectus is & trigonus est; trinus denominatione, quippe qui trigonorum tertius; trinus partibus, nam singulæ trigoni partes incipiunt a ternario. Ad hæc vniuersi molem circulari figura summus Conditor insigniuit. Hæc enim ex omnibus cęlo maxime competit, quod quemadmodum capacissimum, simplicissimum, & perfectissimum esse oportebat; sic & capacissimam, simplicissimam, & perfectissimam figuram sapientissimus Architectus elegit. Perfectissimum quidem est, cum sua omnia possideat, nec fieri possit, vt iacturam, vel minimam patiatur; simplicissimum, quoniam, vt sentiunt Platonici, non est ex quo fiat, aut in quod resoluatur, alioqui corruptionem, generationemque cognosceret; capacissimum, quoniam nihil extra se ipsum reliquit, sed vniuersa intus complexum est. At huiusmodi Sphæram esse indicio est, quod eandem ad cetera solida, quam & ad reliqua plana circulus habet comparationem. Primo quidem circularis figura est omnium isoperimetrarum capacissima; adhæc perfectissima, quod nullum incrementum, decrementumue suscipit; quin & simplicissima, quod vna duntaxat linea continetur. est enim Circulus figura plana vna tantum linea contenta, quæ circumferentia nuncupatur, ad quam ab vno signo, quod centrum vocant, omnes rectæ lineæ prodeuntes, inter se sunt æquales; sic & Sphæra figura est solida, vna superficie comprehensa, ad quam ab vno signo, quo medium ab ipsa æqualiter abest, omnes rectæ lineæ ductæ, sunt æquales. Ergo & Sphæra Capacissima est, quia pro termino circulum sibi sumit. est Perfectissima, vbi instar recti corporis, nec crescit vspiam, nec decrescit. quin & Simplicissima, nam vnica superficie concluditur. At quorsum hæc? Dicam. Orbicularem

Eucli. def. 15. 16


Mun-

Mundum senis decuit formari diebus. si enim pingis in superficie circulum, huius semidiametrum reperies suæ totius circumferentiæ ambitum Senario permeare, senisue arcubus illum totum diducere. hinc enim factum est, vt geometricus Hexagonus hoc vno ceteris figuris præstare merito censeatur, quod solus naturale, & per se cognitum latus obtinet in circulo. hoc siquidem latus est ipsa semidiameter, quę & circulum ipsum circinat. Circulus igitur mysterium promit Creationis vniuersorum, cuius Sex trianguli maiores æqualium laterum sunt diuini totius operis tempus ac mensura, caussam simul exprimens quare dies septima, dies est quietis, qua cessauit Deus ab operibus suis. Sed hoc apertius demonstrabit subiecta geometrica rosa. Scribe in quauis superficie circulum. huic si circulos æquales sic circumscribas, vt & se mutuo, & hunc ipsum circulum medium contingant, circulum medium totum non amplius quam Sex circumscripti circuli complebunt. Sit igitur circulus Q. cuius circumferentia semidiametri spacio in Sex æquales arcus diuidatur punctis A, E, M, V, S, R, & a centro circuli Q, ducantur per eadem puncta Sex rectæ lineæ, quæ æquales inter se erunt, Sex isopleuros constituentes. demum super harum rectarum extremis Sex dicti æquales circuli circumscripti totum exterius spacium complent, circulo medio Q, æquales.

Sex isopleurici anguli totum circuli spacium implentes.



Circulus sex sibi æqualibus circulis circumscriptus.



Liquet omnino hos circulos nulla se sectione partiri, sed esse et medium circulum, & sese mutuo cõtingentes, ac totum spacium, quod circumstat Q, circulum ambire. elicio igitur vnitatem esse cẽtri numerum; Senarium vero circumferentiæ; totius autem circuli numerum esse septenarium. Quid vero hæc geometrica rosa, visibilis septem æqualium sese contingentium circulorum figura nobis significet, indicabo. Unitas illa per se ab æterno subsistens, velut in infinito se circumstante spacio, sex diebus seipsam ciens, totum quod circa illam vacuum imaginamur spacium, varijs creaturis impleuit; septima autem die in seipsam reciproca nullam prorsus creaturam protulit, quod plena perfectaq. esset omnis primæuæ illius, & antiquissimæ vnitatis circumstantia, nullusq. septimæ creaturæ locus superfuisset circa Diuinam vnitatem (ordinem & rerum seriẽ respicio, non potentiam Dei absolutam.) Sicut enim sextus demum circulus primi, medijq; circuli circumstantiam adimplet; pari modo sexta Creatura diuinam impleuit circumstantiam, diuinumq; consummauit opus. Diuinam circũstantiam appello Creaturarum vniuersitatem, et naturam hanc vniuersam dispositam circa Diuinam Vnitatem, illique intendentem, a qua primo id quod est accepit,

pit, et cuius Virtute continetur. Quo efficitur ut Senarium dicere valeas Diuinæ circumstantiæ, siue creaturarum numerum præcipue Hoīs, in quo complicatur huius Mundi tota perfectio, qui & huiusce regionis uniuersis entibus præest; itemque propter ipsum sunt illa omnia. Duo .n. cum creati sint spiritus, primus per se subsistere natus sine corpore, quem dicimus Angelum: alter natus in corpore subsistere, humanus qui nuncupatur spiritus; Angelus, ut per se potens, quia nullo ad subsistendum egebat, creatus est ab initio totus, & per se: Humanus vero non aliter subsistere, quam in corpore natus, creari post corpus debuit. oportuit enim prius a Deo condi, excudi, & componi humanum corpus humani spiritus domicilium, quam humanum spiritum procreari. Namque & materies, ex qua corpus huiusmodi conflatur, humano spiritu creata est prior. Sed & humanum corpus haud aliter creari debebat, quam post omnes sensibiles creaturas, quæ sunt ipsius materiei, & humani corporis particulæ. Omnis enim sensibilis, materialisue substantia est, ut quædam humani corporis pars. istud quippe conflatum est ex vniuersis, quæ sunt in Mundo cum omnibus symbolum habens, cum omnibus operationem, cum omnibus conuersationem. adeoq; in seipso habet id totum quod in maiori Mundo continetur, ut nihil relictum sit, quod aliquo modo in ipso homine non reperiatur. sunt in ipso elementa per verissimas naturæ suæ proprietates. est in ipso ętheream corpusculum animę vehiculum, Cęlo proportione respondens. sunt in ipso plantarum vita vegetatiua; animalium sensus; cęlestis spiritus, angelica ratio; mensque Diuina, & omnium horum simul in vnum confluentium vera coniunctio, & Diuina possessio. quare in Euangelio, Homo vocatur omnis creatura, & a Philosophis alter Mundus. Nec solum Homo alter Mundus effectus, ipsius partes omnes in se complectitur, sed etiam ipsum Deum concipit, & continet. inde Xistus Pythagoreus Hominis animum dixit esse templum Dei. quod etiam multo lucidius expressit D. Paulus dicens: Templum Dei estis vos.

Mar. 16.

1 Cor. 3.


Idemq;

1.Cor.3. 2.Cor.6.

Idemque varijs locis sacræ litteræ testantur. Nam sicut Deus nec tangi pōt, nec auribus percipi, nec oculis videri; sic animus Hominis nec cerni, nec audiri, nec tangi potest. Ac sicut Deus ipse infinitus est, & a nullo compelli potest; ita et humanus animus liber est, et nec cogi, nec mensurari pōt. Tum vt Deus totum hunc Mundum, & quidquid in eo est, sola mente gerit; sic illum humanus animus etiā cogitatione complectitur. atque quod soli illi cum Deo peculiare est, vt Deus Mundum totum solo nutu mouet ac gubernat; sic animus nutu solo corpus suū agit, atq. regit. & sicut Deus vniuersa cognoscit; sic etiam Homo cuncta cognoscibilia cognoscere pōt, cum pro obiecto adæquato ens in cōmuni, vel vt alij dicunt, ipsum verum habeat. Nec aliquid in Homine reperitur, non vlla dispositio, in qua Diuinitatis aliquid non appareat, nec quidquam est in Deo, quod ipsum etiam in Homine non repræsentetur. et quicumq; seipsum cognouerit, cognoscet in seipso omnia: cognoscet in in primis Deum, ad cuius imaginem factus est: cognoscet Mundum, cuius simulacrum gerit: cognoscet vniuersas creaturas, cum quibus symbolum habet. Illud tamen pium lectorem non lateat, licet Homo cuncta in se contineat, quæ in Deo sunt; Deus tamen per eminentiam quandam omnia continet virtute sua, & simpliciter, sicut omnium caussa, & principium. Homini autem virtutem dedit, vt similiter vniuersa contineret, sed actu et compositione quadam, velut omniū nexus vinculum, atq; nodus. Adhuc Homo cum sit opus ex materia præstantissima, vt custodiatur, & seruetur, indiget omnibus quæ sunt in Mundo, propter quem sunt singula, & qui vniuersis huius regionis rebus præsidet. Hinc quia prius erat construenda aula regia, atq; ita rex introducendus omni iam caterua stipatus, postremus Homo creatur, Dei manu, atq; imagine formatus, extremum quidem Artificis opus, & consummatio. Quare in ipsa diei Sextæ præfiguratione formatus legitur, vt ipsius perfectio designetur. Incipiens .n. artifex Deus ab Angelico intellectu, atq; immateriali creatura, & per materiam, & materiales

subſtan-

substantias progrediens, Hominem statuit supremum creaturarum, suiq. totius operis periodum. Quo fit vt Diuina operatio, quę est vniuersorum creatio, facta sit in circulo. Deus .n. creando inchoauit ab intellectu Angelico, & desiit in Humano, coniungens totius sui operis finem initio. Diuini autem operis principium Angelus est, finis Homo. Hic est enim creaturarum ordo, quo ab Artifice profectæ sunt, Angelus, Elementum, Minerale, Vegetabile, Sensibile, Rationale. Coniuncti sunt igitur a Deo, & proximi loco facti Angelus, & Homo. processit etenim Deus ab Angelo ad Elementum; a perfectis, ad imperfecta.



Vt vero ab elementis per mixta ad Hominem, ab imperfectis ad perfecta. Sexto igitur die, id est, gradu Hominem perfecto omni intellectuali ac sensibili ornatu e terra cõsummauit. Ideo finis creationis est Homo; & Senarius est radix vestigandi Humani numeri, quem, qui sit, sacer hic sermo pronunciat: Hic est sapientia, Apoc. 13 *qui habet intellectum, computet numerum bestię. numerus .n. eius numerus hominis est, & numerus eius 666. Trino igitur trium primarum vnitatum Senario numerus idem bestiæ, atque hominis deffinitur Sexcentorum scilicet sexaginta sex. Hac autem arte humanum numerum ex Senaria radice elicies. Volue Senarium in se ipsum; habebis 36. Senarij quadratum. hunc numerum auctum vnitate, id est, effectum 37. multiplica per numerum 18. qui est medietas quadrati, coflabitur num. 666. qui trigonus est tricesimus sextus. Senarium numerum quandam temporis præ se ferre figuram, etiam in illa ratione tripartitę distributionis agnoscimus,*

qua

qua vnum tempus cōputamus ante legem, alium sub lege, tertium sub gratia. In quo tempore sacramentum renouationis accepimus, vt in fine temporis etiam resurrectione carnis, omni ex parte renouati ab vniuersa nō solum animæ, verum etiam infirmitate corporis sanemur. Vnde intelligitur illa mulier in typo Ecclesiæ a Domino sanata, et erecta, quam curuauerat infirmitas alligante Sathana. Hæc aūt mulier decem & octo annos habebat in infirmitate, quod est tres senos. Menses autem annorum decem, & octo inueniuntur in cubo Senarij, quod est Sexies seni sexies, id est, ducenti decem sex. Sed & iuxta est in eodem Euangelij loco arbor illa ficulnea, cuius miseram sterilitatem etiam tertius annus arguebat, quo mensium numero Senarij quadratus est constitutus, nam per duodenarium ductus ternarius triginta sex producit. Annus etiam vnus, si duodecim mēses integri considerentur, quos triginta dies complent, Senario numero perficitur. talem quippe mensem veteres obseruarunt, quem circuitus Lunaris ostendit. distinxerunt quippe Zodiacum in tercentenas sexaginta æquales partes, iustas huius dissectionis caussas a Lunæ, & Solis in motu foedere nacti. docuit .n. experientia obseruationis Lunæ hanc annuo spacio, quo Sol totum Signiferum eundo conficit, duodecies cum Sole, vel iūgi, vel opponi. & quidem inter coniunctiones, vel oppositiones singulas triginta dies intercedere. Quare hoc exemplo moniti, Zodiacum primo in duodecim dodecatemoria, & hæc rursus in triginta gradus distinxerunt, vt multiplicatio loquatur totum Zodiacum non ex duodecim tantum signis, sed ex tercentis sexaginta gradibus constare. Porro quod valent Sex in primo ordine numerorum, qui constat ex vnitatibus, vt perueniatur ad decem; hoc valent sexaginta in secundo ordine, qui constat ex denis, vt deueniatur ad centum. Sexagenarius ergo numerus dierum Sexta pars anni est. Quare per Senarium primi versus multiplicantur, tamquam Senarius secundi versus, & fiunt Sexies Sexageni, trecenti & sexaginta dies, qui sunt integri duodecim menses. Verum quoniam sicut mensem circuitus

Luc. 13.

cuitus Lunæ ostendit hominibus; sic annus circuitu Solis animaduersus est. Vt igitur Sol impleat cursum suum, annumq; concludat, desunt quinq; dies, & horæ fere sex, quas si pro die ponas, vt a parte totum computetur, aperte totum Sex faciunt. Sed & ipsosmet dies quinque, & quadrantem si consideremus, Senarius numerus in eis plurimum valet, quia in ipsis quinq; diebus Sexta pars est mensis: ipse autem quadrans Sex horas habet. primus .n. quadratus, in primum perfectum ductitatus, horas diei noctisq. dimetitur, nam quater seni 24. faciunt. Ita in Mundi constructione, in anni cursu, in mense, & in die Senarius numerus plurimum valet. Etiam in ædificatione Dominici corporis, in cuius figura templum a Iudæis destructum triduo se resuscitaturum dicebat, numerus ipse Senarius mystice positus intelligitur. Dixerunt .n. Iudei: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum. Porro quadragies sexies seni, fiunt ducenti septuaginta sex, qui dierum numerus complet nouem menses, et sex dies, quibus in vtero Mariæ virginis clausus est Christus. ab octauo .n. Kalen. Apr. quando passus est Dominus (nam et tunc etiã creditur fuisse conceptus) vsque in diem octauum Kal. Ian. quo natus est, cõputati dies, ducenti septuaginta & sex reperiuntur, qui Senarium numerum quadragies sexies habent; non quod parientes feminæ ad sextum diem post nonum mensem perueniant semper: sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partũ perducta cõperitur. Formatur siquidẽ humanus partus quadraginta quinq. diebus. qui per Senarium ducti, procreant dies 270. nouem .s. menses, quibus gestatur in vtero partus. Aliquando etiam formatur fetus diebus 35. qui numerus per Sex ductitatus parit dierum numerũ, qui septem mensibus explicatur. Sunt huius numeri alia mysteria discutienda. quia .n. sex diebus Mundum legimus consumatum, Senarius est continens sacramentum omnium creaturarum, per quorum notitiam, caussasque condicionis, atque rationem intramus ad templum Dei, & ex creaturarum ordine, atque constantia Creatorem cognoscimus,

Iohan. 2.

D. Hieron.

Cap. 41. vt prædixit Ezechiel, apud quem ex vtraque parte latitudo tabernaculi Senum cubitorum erat. Sex diebus gloria Domini inclinauit
Exh. 24. super monte Sinai, cooperiens illum nube, quo significaretur huius vitæ tempus. Sex alæ Cherubin, tempus seculi demonstrant, vel
Esa. 6. secundum Rupertum, plenam et perfectam significant notitiam veritatis, quā Spiritus sanctus Apostolos docuit, iuxta promißum dicentis: Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem ve-
Ioan. 10. ritatem. Sextus mensis, in quo factum est verbum Domini in ma-
D. Hieronym. ĩ nu Aggæi prophetæ, non habet solennitates Dei, sicut mensis septi-
Agg. 1. mus; sed vicinus est dierum sex, in quibus factus est Mundus, in quo laboramus, & in sudore faciei comedimus panem; & terra generat nobis tribulos, & spinas; & cum sementem acceperit tritici, lolio magis, aueni sq; fecunda est; Sextus ergo mensis labori deputatur. Sex tribulationes apud S. Iob, sunt huius vitæ passio-
Cap. 5. nes; septima vero, in qua malum non tangit iustos, erit post hanc vitam, quando iusti venient ad requiem sabbati. sic seruus Hebræus Sex annis seruit Domino suo. Exho. 21. Sex annis seminanda terra. Leuit. 25. Sex dies sunt, quibus licet operari. Leuit. 23. Sex diebus colligendum manna: & sexta die duplum legēdum. Exho. 16. Et quid hæc aliud sunt, quam quod nos conuenit hoc labentis æui curriculo Domino nostro inseruire, illi fructum afferre, talenta nobis data multiplicare, eaq; cum fenore reddere? vt cum venerit corā illo fideles habeamur. Neque .n. aliud est vita præsentis seculi, quā negotiationis tempus, eo vsq; ne panis spiritualis doctrinæ, morum, & spiritualis sanctitatis sit negligendus, Christi & Beatorum exemplo. Illa nostra debet eße negotiatio, vt imitatione, exemplo, doctrina, sumant incrementū quæ in nobis sunt, quo sic referamus fenus. atq; ea ex parte secundum semen Diuini verbi, bonorum operum, neq; salutis posthabenda opera. Ante obi-
Cap. 14. tum tuum, inquit Ecclesiasticus, operare iustitiam; quoniam non est apud inferos inuenire cibum. sic nobis operandum bonum ad omnes, & non ad amicos modo, quod & Ethnici faciunt, sed vt

cæle-

cęlestis hominum Magister iubet, benefaciamus his qui oderunt nos. Et quia in perfectione Senarij facienda sunt opera, quo postea frui valeamus æterna requie, subiungit: Vt simus filij Patris nostri, qui in cœlis est, qui Solem oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Estote, inquit, perfecti sicut & Pater vester Cęlestis perfectus est. Nec omittendum, quod Sex diebus circumeundam vrbem Iericho cum Arca Domini, & clangentibus tubis exprimit Iosue, quod præmonstrat fore operæpreciũ, vt toto nostrę mortalitatis tempore, sanctę Ecclesię donarijs, & sacramentis armemur, quo videlicet antiquum hostem huius Mundi principem exterminemus. Est enim Iericho omniũ vitiorum sentina, spirituumq; immundorum ciuitas; quę sola bonorum operum assiduitate oppugnanda est atq. delenda: nec rursus vbi semel deleta fuerit, instaurāda; ne forte, quod Achan accidit, exturbemur, lapidibusq; obruamur; sed bonorum operum perseuerantia, quę per Senarium, atque bono splendidoq; exemplo, quod per buccinarum clangorem significatur, die quietis ac tranquillitatis, deuicta Iericho, idest vniuersis vitijs, modis omnibus expetendam assequamur victoriam. Superest adhuc aliud sacratius declarandum. Sexta ætate Deus hunc venit visere Mundum factus homo, qui etiam Sexta hora, ætate perfecta, iuxta puteum sedens fatigatus, mulieri Samaritanę diuini fontis fluenta aperire dignatus est. quod mysterium D. August. exponens: Iam, inquit, incipiunt mysteria. non enim frustra hora sexta sedet. quare hora sexta? Quia ætate seculi sexta. ea quippe nunc ætas agitur, siue milleni anni singulis distribuantur ætatibus; siue in Diuinis litteris memorabiles, atque insignes quasi articulos temporum vestigemus, vt prima ætas inueniatur ab Adam propter creationem Mundi; Secunda a Noe propter cataclysmum vsque ad Abraham; Et deinceps sicut Matthęus Euangelista distinxit, ab Abraham propter circumcisionem vsque ad Dauid. Quarta ab ipso Dauid ob regiam vnctionem. antea enim Hebræi, Iudices

Matth. 5.
Iosu. 6.
August. de Trin. li. 4. c. 4.
Ioahn. 4
Cap. 1.

solum, & Prophetas habebant. Quinta a transmigratione in Babyloniam propter reparationem, & reductionem. Sexta, quæ nunc agitur, ab humili aduentu Domini Nostri Iesu Christi, propter liberationem generis humani, vsque ad occultum temporis finem. Lege Iohannis Apocalypsim, vbi Manasses, qui non filius Iahacob, sed nepos erat, licet inter filios adoptatus, Sexto loco ponitur, cum Dan, qui vtique filius est siue in Genesi, siue in Exhodo cum ceteris fratribus adnumeratus ostenditur, in Apocalypsi omnino prætermittitur, Ecclesiam declarans ex Gentibus adoptatam, Sexta Mundi ætate Iudæorum perfidia reprobari. Sexto mense annunciante Archangelo beata virgo Maria, hausto Diuino spiritu, Redemtorem nostrum concepit, vt sacra refert Euangelij lectio. Adsunt etiam, qui velint illum feria Sexta natum, & feria Sexta ieiunium quadraginta dierum terminasse. Ante Sex dies Paschæ venit Christus Bethaniam, & feria Sexta, hora Sexta in crucem agi pro hominum salute decreuit. qui enim die Sexta creatus est homo, eum hora Sexta peccasse, & paradiso pulsum fuisse Hugo a S. Victore his verbis tradit: In eadem hora Christus redemtor noster mori voluit pro homine, in qua homo expulsus est de paradiso: & in eadem hominem per lignum redimere placuit, qua eum lignum hostis deceperat, ars vt artem falleret, & medelam ferret inde hostis vnde læserat. Hæc itaque supputatio, & hominis initium, & absolutionem peccatorum aptissime continet. inde Dauid in Sexto Psalmo personam pœnitentis accommodauit. & in Apocalypsi Sexto sigillo aperto, nouissima nunciatur persecutio; quia tenebris, & pauore concuti visus est Mundus in passione Domini. Quod vero vnus Euangelistarum Christum cruci affixum hora tertia dixerit, non effectu, sed lingua debet intelligi, vt habetur de pœnitentia distinctione 1. cap. periculose. & glossa de consecratione distinctione 1. cap. nocte sancta. ver. crucifixus.

Primas. in Apoc. — Gen. 41. — Gen. 30. — Capit. 1. — Capit. 7. — Luc. 1. — Iohann. 12. — In Spec. Eccles. — Beda in Apoc. capit. 6. — Mar. 15.

Nec

Nec a mysterio vacat, quod in Dominica passione non dicitur meridies, sed hora notatur Sexta, cum vtiq; sexta hora, non aliud, quam meridianum tempus ostendat. nullus tamen meridiem nominauit, sed ita dixit Matthæus: Ab hora Sexta tenebræ factæ sunt super terram, vsq; in horam nonam. Lucas vero: Erat iam quasi hora Sexta. Sed & Marcus: Cum autem esset facta hora Sexta, tenebrę factę sunt. In conuiuio autem Patriarcharum apud Ioseph, & in Cantico canticorum tempus id non significatum est nomine sexti numeri, sed meridiei. Euangelistę vero, in his quę narrabant, non meridianum tempus, sed horę sextę numerum requirebant, ad enarrādum scilicet sacrificium hostiæ eius, quę oblata est in die Paschę pro redemtione hoīs, qui sexta hora peccauit, atq; paradisiaca sede propulsus est. Vnde Senarius dicitur redemtionis numerus, illique cum cruce magna cognatio. Non me quidem fugit quosdam, vt traditum antiquitus est, referre, Adam tertia hora fictum, sexta peccasse, nona eiectum, eo argumento vtentes quod hora sexta Dominus cruci affixus, nona pro nobis mortuus est; fortassis eoquoq; in hanc adducti opinionem, quod sub vesperam ad eos venit Dominus. at trium horarum spacium, quo in paradiso Adam moratus sit, breue admodum ac nimis incredibile est, atq; magnificētia eius qui cuncta imperuestigabilibus sapientiæ iudiciis dispensat, indignum. Qui .n. in tribus istis horis Adam ad imponēdam omnibus terrestribus ac volueribus nomina tempus habuisset? quādo ceteris in paradiso fructibus vescendo ad eorum fruitionis satietatem prolapsus cupiditatem degustandę arboris, qua ei fuit interdictum, in animum induxisset? vt noxam inuidentię fraudem, & serpentis ad Mulierē aggressus atq. consultationē non cōmemorem, quæ ipsa amplius eo tēpus requirebant. Quo circa probabile admodum est ac credibile, Sexta die, et Sexta hora delictum illud ab his admissum, eademque diei hora paradiso ac vita, ob uiolatum Dei mandatum, excidisse; sed anno demum septimo id factum, sicut ex Antiquis quosdam pronunciasse refert in historia Georgius Cedrenus.

Cap. 27.
Cap. 23.
Cap. 15.
Gen. 43.
Cap. 1.

Sexta hora Petro in excessu mentis fit vocatio Gentium omnium per submissionem vasis Euangelici delati cęlitus, & purificatio omnigenum animantium in eodem consistentium, delata ad eum voce diuinitus reuelatur, dicente sibi: Surge Petre, occide, & manduca. Alia quam plurima adduci possunt huiusce generis testimonia, quę diligentibus legenda relinquo.

Act. 10.

DE NVMERO VII.

IN Septenario (qui sacratissimus est in Oraculis numerus & mysteriorum plerissimus) tam sacrum augustumque decus inest, vt inter eos numeros, qui concluduntur in denario, singularem eximiamque præ cæteris rationem habeat. Nam eorum, alij procreant, non procreãtur; alij procreantur, non procreant, alij vtrumq; faciunt, & procreant & procreãtur. solus Septenarius nec procreat vllum corũ, nec a quoquã procreatur. vnitas.n. gignit oẽs sequentes numeros, ipsa a nullo genita. octo a bis quattuor gignuntur, sed nullum gignunt ex his qui sunt intra denarium. quattuor item eundem locum inter genitores & prognatos obtinet, repetitus.n. hic numerus octo gignit, ipse autem numerus quattuor gignitur a repetito binario. soli igitur Septenario nec gignere natura dedit, nec gigni. Atq; ob hanc caussam effectum est vt Pythagorici hũc numerum Duci et rectori omnium similem dixerint. nam quod neq; procreat neq; proceatur, immobile manet. procreatio.n. in motu est. quandoquidẽ & quod procreatur non vacat motu, mouetur etenim alterum, vt gignat, alterũ vt gignatur: solus autẽ nec mouet, nec mouetur antiquus ille Princeps, & auctor, cuius imago Septenarius merito dici potest. huius rei testis est Philolaus inter Pythagoræos haud ignobilis, hunc in modum scribens: Est dux & princeps rerum omnium Deus semper vnus, stabilis, motu vacans, ipse sui similis, aliorum dissimilis.

Philo. li. de Mundi opificio.

lis Adeo autem Septenario inoleuit opinio Virginitatis, vt quæ sapientiæ præfecta putata est, vtilisq. Dea formãdis credita adolescẽtium ingenijs, Minerua nominetur. eam.n. perpetuam virginem faciunt Poetæ, quia venereus coitus exhaurit spiritus præsertim subtiliores, cerebrumq; debilitat, labefactat stomachum atq; præcordia, quo malo nihil ingenio aduersius esse potest. Quare sciscitatus Pythagoras quando esset concubendum? tunc, inquit, cum te ipso infirmior fieri vis. cur.n. Hippocrates coitum comitiali morbo similem iudicauit? nisi quia mentem, quæ sacra est, percutit; tantumque obest vt Auicenna in lib. de Animalibus dixerit, si quid spermatis supra, quam natura toleret, coitu profluat, obesse magis, quã si quadragies tãtumdẽ sanguinis emanauerit. Symbolice igitur sacris initiati Pythagorici semper virgini sine matre natæ Mineruæ, Septenariũ assimilãt, quia et illa nec partu est edita, sed ex Iouis orta capite. dicit.n. Oraculũ, quod quiescere fecit Deus septimum diem ab operibus suis, quæ fecit; quemadmodum ipsum quoq; sabbati nomen indicat, quod si interpreteris quietem sonat. de quo hec scribit Philo Alexandrinus: Illud vnum solum sincerum Esse hebdomadam sine matre ex seipso solo genuit, nulla prorsus adhibita materia. Idem de sanctificatione sabbati. Tertia (inquit) lex est de semper virgine sine matre nata habdomada, vt creatura assueta eius ocio reminiscatur eius qui cuncta facit inuisibiliter. Quid vero de illo sabbato scribat Nic. Cusa. lib. 3. Excitat. audiamus: Homo est sexta dies, seu microcosmus: Deus in verbo omnia creauit; verbum autem est, vt ars infinita: creaturæ autem participationes artis infinitæ: ars autem illa verbum, seu mens æterna est lux infinita, siue sapientia. Quomodo autem, lucem illam æternam participando, omnia creata in esse gradatim prodierint, Moyses describit, & quomodo vltimo, idest sexto die hominem ad imaginem suam. Hominem autem sursum creauit ad se, qui non nisi in die septimo, seu sabbato quiescit; Sabbatum autem est lux, quæ non legitur creata, sed Deus benedixit diei septimo, vnde solum in hac luce increa-

Gen. 2.

ta, quæ ſabbatum dicitur, eſt quies hominis, & non eſt hominis lux benedicta, niſi in ſabbato. Item lib. 6. Septima, inquit, petitio Dominicæ orationis eſt iſta: Sed libera nos a malo. quia ſeptimus numerus eſt quietis, & amoto omni malo, quiſque in bono quieſcit. Hactenus Cuſa. Te vero non lateat per ſabbatiſmum mortem animarum intelligi, hoc eſt, eam ab operibus mundanis ceſſationem, quã homini vita functo mors affert. tum. n. animę ſabbatum agunt, quietem ab omni motu nactæ, nec vllam omnino agitationem habentes poſt ſummi illius boni, quod ante exquirebatur, manifeſtationem, qua quærentibus perſpicuum fit id quod quæſitum eſt. nam cum id quod quærebatur apparuit, motus omnium eorum quæ mouebantur, conquieſcit. Ad hunc ſabbatiſmum ſpectat, quod poſt Septem dies, ex quo ingreſſus eſt Nohe in arcam, factum eſt diluuium. quia in ſpe futuræ quietis, quę Septima die ſignificata eſt, baptizamur. ſic in Apocalypſi Septem tubę recenſentur, quarum ſex priores ſeculi pręſentis ętatibus comparantur, varios bellorum concurſus denuntiantes Eccleſię militanti, Septima vero ſabbati æterni nuncia, victoriam tantum & imperium indicat veri Regis, dicente ſeptimo Angelo, factum eſſe regnum huius Mundi Domini Dei, & Chriſti eius. Huc facit quod de iuſto ſcribit ſanctus Iob: In ſex tribulationibus viſitabit te, in Septima autem non tanget te malum. quæ verba quaſi ex perſona Dei ad iuſtum proferuntur. Sexies quippe, hoc eſt, in præſenti vita, in qua tentationes, atque operum labores exſiſtunt, tentaberis, atque in neceſſitatibus, & rerum difficultatibus verſaberis; verum in Septima, in qua beatus iuſtorum ſabbatiſmus eſt, & requies, nullius moleſtiæ recordatio animum tuum anget. Porro quod ſex diebus formatus legitur Mundus, & in Septimo die Deus Optimus Maximus ab aſpectabilis creaturæ opificio requieuit; Septimo item die manebant filij Iſrael in tabernaculis ſuis, neque exibant ad colligendum manna, neque operis quidquam faciebant; Rurſum ſeruus hebræus

D. Aug. in Ciui. libro 15. & cõtra Fauſtum lib. 12. c. 17.

Gen. 7. c. 8. 9. 10.

D. Ambr. de ſacramen. lib. 2.

Apoc. 11. Cap. 5.

Gen. 1.

Exho. 16 30. 21. 23

bræus anno septimo libertatem sibi vendicabat, exemtus iugo seruitutis; Et ager sex laboratus annis, septimo demum requiescebat a labore agriculturæ ferendo; Deniq; septimo die sabbatum requietionis erat, neq; opus aliquod moliri poterat. Quid hæc omnia sub figurarum velamine aliud prætendebant, nisi quod in septimo seculo requies exspectanda iustis, postquam cum multis afflictionibus conflictati fuerint, illos liberante Deo? Quærens Origenes cur de manna dictum est, vt in die sexto duplum colligatur in repositione, quantum sufficiat etiam sabbato: Hoc (inquit) secũdum nostrã intelligentiam non ociosi præterire debemus, sextus dies est hæc, in qua nunc sumus vita. in sex.n. diebus Dominus fecit hunc Mũdũ. hac ergo die tantum reponere, & recondere debemus, quantum sufficiat et in futuro die. si quid.n. hinc boni operis acquiras: si quid iustitiæ, misericordiæ, & pietatis recondas, hoc tibi in futuro seculo cibus erit. Comprobat id ipsum Cassiodorus in dilucidatione Septimi Psalmi, dicens: Septenariusquoq; numerus admonet nos de illa requie æterna cogitare, ad quam nos spẽ presens Psalmus extendit, vt merito tali numero receptus, iocunda exultatione cãtetur. Dubiũ quippe non est quod peractis sex diebus, qui ad actiuã pertinent partem, septimus repausationi deputetur, qui contemplationi theologicæ noscitur adhærere. Hæc Cassiodorus. Neq; ab hoc alienum est mysterio quod Dominus noster septimo die toto requieuit in sepulchro, vnde & septimus dies, sabbati, id est, requietionis denominationem sortitur. quoniam vtrumque horum insinuat nobis placidam illam requiem, qua beatorum animæ, mole corporea exutæ, iam requiescunt a laboribus suis in superna ciuitate Hierusalem, vsque ad Mundi consummationem, & iteratam corporum viuificationem. Mystice igitur sabbatum commendatum est priori populo in ocio corporaliter celebrandum, vt figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti. Nusquam enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, nisi de solo sabbato, de quo dictum est: Sanctificauit Deus diem Septimum.

Exho. 16

Hom. 8. in Exho.

Gen. 1.

Gen. 2.

At

Gen. 1. 2
Beda ca. 21. in Iohãnem.
1. Pet. 1.

At cum septimo die sonet sanctificatio, apposite sancto Spiritui deputatur septenarij ratio. nam sanctificatio vlla non est diuina, & vera, nisi a Spiritu sancto. Neque.n. frustra dictus est Spiritus sanctus, cum sit & Pater sanctus, & Filius sanctus; sed quia ipse requiescit super humilem & quietum; tamquam in sabbato suo.

Cap. 5.

Dilectus Deo Iohannes in sua Apocalypsi Septenario numero Spiritus sancti gratiam designari probat. cum.n. se vidisse diceret agnum habentem cornua Septem, & oculos Septem, mox exponendo subiunxit: Qui sunt septem spiritus Dei missi in uniuersam terram, cum tamen sit vnus, atq; idem spiritus diuidens propria vnicuiq; prout vult; sed operatio septenaria vnius spiritus sic appellata est ab eodem spiritu, qui scribenti adfuit, vt septem spiritus dicerentur. Quoniam ergo sanctificatus est Septenarius in operibus ac donis Spiritus sancti, in quo sanitas hominibus credentibus constat, quia in Spiritu sancto, qui est donum Dei, remissio est omnium peccatorum credentibus. ideo filius Reguli apud Iohannem relictus est a febre hora Septima. Quem Euangelij locum tractans Ericius hæc de septiformi spiritus gratia nobis consideranda proponit: Non est (inquit) vacuum a magno mysterio quod filium Reguli Euangelista narrat Septima hora ab infirmitate dimissum. Non solum.n. miracula Christi, quæ corporaliter gessit, miracula nobis existunt, sed etiam in ipsis operibus suis secreta sunt mysteria considerãda. Septenarius numerus sacratus est donis Spi. sancti, quoniam omnia dona spiritualia, quæ a Deo cunctis fidelibus largiuntur, eodem septenario numero comprehenduntur. Septem.n. sunt virtutes spiritualium donorum, quibus & status hominum in præsenti vita decentissime ornatur, sapientia videlicet, intellectus, consilium, et fortitudo, scientia, pietas, ac timor Domini. Sine gratia.n. Dei nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timore Domini. Quæ dona quia non aliter, quam gratia Spiritus sancti homini tribuuntur, merito etiã Spiritus sanctus, qui nihil aliud est, quam verus Deus, eisdem nominibus

Cap. 4.

minibus nuncupatur. Sicut.n. Filius a Patre procedens vocatur leo propter fortitudinem, ouis propter innocentiam, hostium quia per ipsum introimus ad Patrem, lux quia illuminat omnem hominem, vocatur et ueritas multisq. alijs nominibus secundum quasdam proprietates: ita quoq; Spiritus sanctus procedens a Patre simul et Filio, his septem nominibus proprie appellatur, sapientia. s. intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, ac timor; Vnde & septiformis gratiæ dicitur propter mysterium septenarij numeri in quo summa perfectio intelligitur. Est.n. compositus ternario et quaternario, habetque in ternario significationem sanctę Trinitatis; in quaternario, Euangelij. Siue.n. tres per quattuor, vel quattuor pertes multiplicentur ad duodenarium numerum consurgit, quē etiam constat esse perfectissimum, quia mysterium S. Trinitatis, & doctrina Euāgelij per 12. Apostolos in quattuor Mundi partes deriuata est. Et infra: Spiritumquoq; sanctum super Dominum corporaliter requieturum Isaias propheta, cum de Christo prophetaret, prædixit. Egredietur virga de radice Iesse, Dominus videlicet Iesu de stirpe Dauid, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, sp. scientiæ & pietatis, & replebit eum spi. timoris domini. Ipse.n. spiritus requieuit super D. I. Christū quia in eius corpore oīs plenitudo diuinitatis plenissime habitauit, nequaquam per partes, vt in cæteris sanctis; sed plenarie requieuit super eum. Quia igitur per septenarium numerum ipse Sp. sanctus designatur, a quo & per quē omnis sanitas, omnis fortitudo, atq; vniuersa dona spiritualia cunctis fidelibus largiuntur, recte septima hora diei filius Reguli sanitati redditus ab Euangelista refertur. quia quæcunq; sanitas, siue in corpore, siue in anima datur, eodem spiritu largiente tribuitur, qui per eundem septenarium numerum designatur. hactenus Ericius. Huius ratione mysterij Heliseus super mortuum Septies inspirasse legitur, quia Dominus septiformem spiritum humano generi dat, per quod viuificatus a morte peccatorum resurgat. In qua

Cap. 11.

4. Reg. 4. Beda q. in lib. 4. Reg. 4. & in Apoc. 19.

Act. 11. Act. 19. qua etiam figura Septem fratres ad Cornelium Spiritu sancto baptizandum euangelizaturi veniunt. Filij quoq; Sceuæ, quasi spiritus malos expulsuri, Septenario numero cẽsentur. Isti sunt Septẽ Iudic. 16 crines Samsonis, quibus per Dalilam, idest, Diabolum subtractis, recessit ab eo spiritus, et amissa fortitudine, captus, & a Philistæis est incarceratus, & ligatus. quia tunc a dæmonibus excæcatur, quando septem crinibus, idest, septem donis Spiritus viduatur. Et ideo septuplex istud Spiritus sancti donum mystice apud Zachariã cap. 3. designatur per lapidem, in quo septem sunt oculi. Quis.n.est Esa. 28. lapis iste, nisi Dominus noster IESV Christus? qui positus est in Psal. 117 Sion lapis angularis, probatus a Deo; reprobatus quidem ab ędificantibus, sed positus in caput anguli. In hoc lapide septem sunt Oculi, quia in Christo est plenitudo totius gratiæ spiritualis, & uberrima septem donorum Spiritus sancti foecunditas, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Dedit.n. ei Deus spiritum non Iohan. 1. ad mensuram. Quare in Prouerbijs hunc in modum loquitur Salo- Proue. 9. Iohan. 3 mon. Sapientia ædificauit sibi domũ, supposuit columnas Septem. Quo loco per sapientiam, subsistentem Dei sapientiam intelligit, vnigenitum inquam verbum; per domum autem ædificatam, templum corporis, quod ex sancta Virgine aßumtum induit: per septem aũt columnas, spiritus gratias, quæ omnes in Christo elucebantur. Rursus septem ista dona figurantur in illo candelabro, de quo dicitur apud eundem Prophetam cap. 4. Ecce candelabrum aureum totum, & Septem lucernæ eius super illud. Iustus.n. dicitur candelabrum, quia portat ignem charitatis. Aureus dicitur, quia continet honestatis splendorem. Dicitur habere septem lucernas, quia septẽplicem habet spiritum virtutis. quare dictum est Num. cap. 8. Cũ posueritis septem lucernas, cãdelabrum in parte Australi erigatur. Cap 4. 8. Huius ratione mysterij apud Leuit. fit aspersio sanguinis septies, vt expulsis septem dæmonibus recipiantur dona Spiritus sancti. Se- Cap. 15. ptem denique sportæ apud Matthæum quid aliud præ se ferunt, quam dona Spiritus sancti exuberantia super septem panes, qui

sunt

sunt summa spiritualium perfectio? vnde non dicuntur hordeacei. D. Ambr. epist. 39. Hæc hebdomas sicut ipsa Patris et Filij, et Sp. sancti venerabilis Trinitas, sine tempore, sine ordine, auctor numeri, non sub numeri lege deuincta. Itaq; sicut ad æternæ Trinitatis gratiam, cęlum, terra, maria formata, sicut Sol, Luna, & Stellæ; ita etiam ad illum septenarium virtutum spiritualium circuitum, atq; orbẽ, operationis diuinæ vigore præstantẽ, Septenarium quoddam ministerium stellarum creatum aduertimus, quo Mundus hic regitur. Vrsa.n. quæ sita est in vertice axis cęlestis numquam occidens nobis, Septemtrio latine nomen accepit, quod septem in eo fulgur stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores, quasi ducem, intendere ferũtur, commerciorum consocietatis, hospitalitatisque hoĩum caussa præcipua. sic Vergiliarum, siue Pleiadum chorus ex septẽ absolutus est stellis in dorso Tauri existẽtibus, quarũ emersus, & occultationes magnorum cõmodorum omnibus fiunt caussa. illis.n. occidentibus proscinduntur sulci ad sementem; ortu vero earũ instante lætum futuræ messis afferunt nunciũ; exortæ item agricolas gestientes ad comportationem excitant rerum necessariarum. Accedit erraticarũ chorus septem distinctus ordinibus, maximum præ se ferens affectum erga, terram & aera. Arabes Soli cerebrũ, & cor adscribunt, Lunæ stomachum, Saturno splenem, Ioui hepar, Marti sanguinem, Veneri renes & genitale semen, Mercurio linguam & os. Platonici vero planetas metallis comparant, tribuentes aurum Soli, Lunæ argentum, Saturno plumbum, Ioui electrum, Marti ferrum, Veneri auricalcum, Mercurio stannum; At vero qui passim de metallorum metamorphosi scribunt, plumbum Saturnum nuncupant, stannum Iouem, ferrum Martem, aurum Solem, æs Venerem, viuum argentum Mercurium, argentum Lunam. Etiam Septenario decorantur, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum princeps, seu cęlestes intelligentiæ Orbes post Deum gubernantes, de quibus hunc in modum scribit Conciliator Medicorum:

Septem planetis spiritus septem a principio cęli, & terræ, quorum quisq. Mūdum annis gubernat trecentis quinquaginta quattuor, mensibus ex ordine quaternis. Horum primus est Horiphiel Saturni spiritus: secundus Mundi gubernator Anael spiritus Veneris: tertius Zachariel Iouis spiritus: quartus Raphael Mercurij spiritus: quintus Samael Martis: sextus est Gabriel spiritus Lunæ: septimus Michael Solis spiritus. In Luna rursum declarat Septenarius suam magnam, latissimeque patentem vim natam ad profectum omnium terrestrium. Nam, vt tradidit Seleucus mathematicus, Luna mutat figuram Septies, quia ex obscura, & non apparente fit cornuta; deinde dimidia sui parte cæsa; dein concaua, ac gibbosa & plena; & rursus occidendo concaua, & gibbosa; & similiter sui dimidia parte cæsa & cornuta Lunula. Certis etiam Lunæ recursibus intimatur septenarij dignitas. Is nempe numerus ex vnitate & ceteris deinceps compositus gignit 28. perfectum numerum suis adæquatum partibus aliquotis. nam si ab vno vsque ad Septem, quantum singuli exprimunt numeri, tantum antecedentibus addendo procedas, inuenies trigonum viginti octo nasci ex Septenario, qui sic natus numerus aptus est ad restituendam Lunam in id momentum ex quo primum cœpit sensibiliter crescere, & ad quod decrescendo recurrere solet. Ea crescit a prima lunata facie vsque dimidiatam diebus Septem; moxque totidem alijs ad plenum orbem proficit; dein rursus a meta per eandem viam a pleno orbe ad dimidiatum alijs Septenis diebus recurrit; totidemque ad lunatam faciem, quibus deinceps additis conficitur modo dictus numerus vigintiocto. Hinc & viginti octo mansiones Lunæ singulari virtute, & influentia pollentes in cælestibus numerantur. In mari quoque easdem vices inducit Septenarius Luna accedente recedenteque. licet enim de fluxu maris ac refluxu multiplex quæstio fieri soleat, nec in obscuro sit diuersa pro ingenijs differentium potius, quam pro veritatis fide adducta fuisse: omissa tamen ancipiti concurrentium quæstione

Carolus Bouill.

Cle. Ale. Str. 1.

Theo-

Theodosius Macrobius adducetur in medium, qui libro de Somno Scipionis maris accessum, & recessum Lunæ motu gubernari tradit, ita vt Oceanus primo nascentis Lunæ die fiat solito copiosior, minuatur paulisper secundo, minoremque videat eum tertius, quam secundus, & ita decrescendo ad diem Septimum perueniat; dein octauus dies maneat septimo par, & nonus similis sexto fiat, decimus quinto, vndecimus fiat quarto par, tertio quoque duodecimus, & secundo similis fiat decimustertius, quartusdecimus, primo. tertia vero hebdomas eadem faciat, quæ prima; & quarta quæ secunda. Beda libro de Mundi constitutione: Augetur (inquit) mare secundum Lunæ incrementum & decrementum. Nam incipiente illa crescere, crescit mare per dies Septem, & per totidem proximos decrescit, rursus per sequentes Septem recrescit vsque ad vigesimum primum diem, & inde decrescit vsq; ad vigesimum octauum diem. Hinc A. Gellius Oceanum vocat Lunæ comitem quendam, vt qui cum ea crescat decrescatque. His similia scribit Paulus Orosius, dicens: Forma Oceani maris omni die dispar nunc succiduis per septem dies attollitur incrementis, nunc consequentibus totidem diebus naturali damno, & defectu interiore subducitur. Illud tamen obiter notandum augeri fluxum maris in fine mensis, quia tunc Luna magis deficit, & si Luna idoneo aspectu Veneri, aut aliæ humidæ misceatur stellæ, aut humidam occupauerit mansionem; contra minui, si Martem, vel aliam igneæ naturæ stellam debite aspexerit. Hic quoq; referendum videtur quod a Plinio & alijs scriptoribus de natura cuiusdam fluminis relatum est, qui quamquam satis ingentibus aquis, præcepsq; per sex dies integros decurrat; mox ceu obturatis fontibus deficiens, per integrũ sabbatum siccum aluei sui transitum præbet; rursusq; sequentibus sex alijs diebus, ignotis naturæ caussis, ad priorem redit aquarum abundantiam, atq; ab eo facto ab incolis Sabbaticus nuncupatus, ob sacrum Iudeis septimum diem. Illud etiam mirabile dictũ quod lib. 2. capite septimo de situ

Pompô. Mela de situ orbis lib. 3. c. 1.

Lib. 6. cap. 12.

Plin. natu. hist. lib. 31. cap. 3. Bapt. Fulgos. in fine libri primi. Pet. Galat. lib. 11. c. 9. Dauid de Pomis in Dictionario. Ioseph. de bello Iud. lib. 7. ca. 35.

Orbis scribit Pōponius Mela. Euripum seu fretum angustum inter Aulidem Boeotiæ portum & Euboeam insulam alterno cursu Septies die, ac Septies nocte fluctibus inuicem versis currere eo impetu vt nauigia repugnantibus ventis plena, secum rapiat. Neque minori dignum admiratione quod scribit Bartholus de Saxoferrato Iur. Cons. tract. de Alueo, Nursiæ. s. esse flumē quoddā, cui nomen Turbido, quod Septem annis fluit, et Septem annis occultatur. Nec ipse Zodiacus Septenarij dignitate fuit orbatus. nam cū sint quattuor cardines cęli diametraliter sese continentes, qui aspectus plenissimus, & potentissimus habetur, Septenario numero constat. fit .n. a Septimo signo, crucemq. constituit figuram omnium potentissimam. Simili ratione, et numero solstitium distat a bruma; bruma, a solstitio; æquinoctium, ab æquinoctio. Sol enim dici dux bina quotannis efficiens æquinoctia vere, atque autumno, vernum in Ariete, in Libra autumnale, euidentissimam exhibet probationem diuinæ maiestatis in Septenario, quod vtrumq. Septimo mēse fiat. Non solum autem summus Artifex cęlos ornauit Septenario; sed quem suas etiam esse delitias voluit, hominem dico, ita moderatus est, vt intima corporis extimaq. cōstare voluerit Septenario. Namque Septem ferunt in nobis esse interiora viscera, Stomachum, cor, pulmonem, lienem, hepar, renes, & vesicam, Septemquoq. exteriora, Caput, posteriora, ventrē, binas manus, & binos pedes. Quemadmodum et Septem corporis partes hominem perficiunt, Caput tenus imo collo, pectus, venter, manus, et pedes. Septem item in corpore gradus, qui dimensionē altitudinis ab imo ad superficiem complent, videlicet Medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis. Septem apud Macrobium sunt intra hominem, quæ a Græcis nigra membra vocantur, Lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo. Et Septem alia cum venis & meatibus, quæ singulis adiacent, ad cibum et spiritus reciprocationē destinata, Guttur, stomachus, aluus, vesica, & intestina principalia tria, dissipium, mesenteron, & hira. Septem corporis nostri sunt excretiones, scilicet, Lacrymæ, mucus,

Lib. 1. in Som. Sci.

saliua,

mucus, saliua, semen genitale, excrementum siccum, & excrementum humidum, sudorque totius corporis. Sanguinis qui mulieribus per genitalia manare solet furorem, Septimanas Galli plerique appellant, quia sedentarijs & gulosis Septem dierum spatio duret. Præterea quæ diuiduntur non nisi Septem compagibus iuncta sunt, vt in manibus est humerus, brachium, cubitus, vola, & digitorum nodi terni. Ceruix siue collum medium inter humeros & caput, Septem habet nodos siue vertebras. Item quod regnum obtinet in animante caput, maxime necessarijs instrumentis Septem vtitur geminis oculis, auribusque, & totidem naribus, septimoque ore, per quod mortalia, vt ait Plato, intrant, exeunt immortalia. Item quæ per visum præstantissimum omnium sensuum iudicantur, ad eundem numerum pertinent in genere. Septem .n. sunt quæ conspiciuntur, corpus, distantia, figura, magnitudo, color, motus, status, præterea nihil. Septemquoque colorum species. duo enim sunt extremi, niger, & albus tamquam aliorum parentes; & quinque medij, croceus scilicet, cæruleus, viridis, purpureus, puniceus, naturam participantes extremorum. Sunt & saporum genera totidem, amarus, austerus, salsus, acutus, dulcis, acerbus. Vocis etiam mutationes vniuersæ cadunt in Septenarium, acuta, grauis, circumflexa, quarto loco vox aspera, quinto lenis, sexto longa, breuis septimo. Quin & motus Septem esse animaduertuntur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsumque, prorsum, retrorsumque, & in orbem septimus. Venæ quoque, & arteriæ, vt tradunt Medici, numero mouentur Septenario. Sed & de spiritu, & cibo constat, quod sine haustu spiritus vltra horas Septem fere vita non durat. Tum quibus inedia mori constitutum est, post Septimum diem non viuunt, aut ægre. Ad Septimum quidem diem corporis quodam habitu naturali, sine cibo vixisse aliquando quendam memoriæ a Jouiano Pontano proditum est. inquit enim libro secundo de sermone: Sub Ferdinando Neapolita-

Auicen. doct. 5. fen. primæ. par.

norum Rege agebat Caietæ in Coenobio Gerardus quidam, qui Septimum in diem cibo abstinere cōsueuisset ac potu; indeque sanctus habebatur, ac Deo charus. Venerabatur illum populus, vtque eum adorarent, frequentes ad eū finitimis conueniebant ex oppidis. Misit ad eam rem perspiciendā Ferdinandus Marsium Aquosam, & perspicacem, & abunde expertum virum, cuius & fides esset quam perspectissima. Is dies noctesque cum illo septem eodem simul in cubiculo cum egißet, summa cum vigilantia & cura, comperit tandē, & capitis illum, & stomachi pituita laborare, nimiaque humectatione. quo e vicio appetendi cibi vis illa consopita iaceret, ac pœne extincta, esseque siue ieiunium illud, siue abstinentiam ad morbum malumq; corporis habitum referendum. Leguntur etiam nonnulli vltra septem dies produxisse ieiunium. sicut puella illa Germanica, quam biennium sine cibo & potu vixiße his verbis refert Conradus a Liechthenauu Abbas Vrspergensis: In agro Tullensi, iuxta villam Commerciacum, puella quædam annorum circiter duodecim, post sacram communionem, quam in Pascha de manu Sacerdotis accepit, sine omni victus desiderio plenum biennium vsq. in tertium annum dimidium compleuit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Coepit autem ieiunare anno Domini 823. a Pascha, & in 825. circa initium Nouembris, peracto ieiunio cibum sumere, ac cęterorum hominum more manducando viuere cœpit. Perusiæ quoque Palumba Interamnensis viginti annos nata, eodem Eucharistiæ Sacramento, nullo alio sumto cibo Septem annos vixit, quod Innocentius octauus Pontifex, re quæsita, diligenter inspexit. Sed id certe non aliqua naturæ caußa, sed diuinitus factum esse videtur. natura enim longiori, quam septena inedia conficitur, cū fomes, subtracto cibo, calori naturali & humido radicali desit, quæ duo inter se commixta, efficiunt vt viuat animal. Quare quod de nonnullorum monachorum ieiunio scribit Gregorius Nazianzenus, qui sępe totos viginti dies totidemque noctes a cibo abstinebant, dimidia ex parte Christi ieiunium imitantes, miraculo

[Margin: Lib. Cronicorum. de hac Simon Portius Philosophus libellū ad Paulū tertium dedit.]

[Margin: Io. Bapt. Fulgosi⁹. lib. 1. c. 6.]

[Margin: Rupert⁹ Abbas Tuit. in Exho. li. 3. c. 45.]

raculo est adscribendum. Nam de Moyse & Helia, qui quadraginta dies ieiunarunt, neminem esse puto, qui id diuina effectum virtute ignoret. Idem de illo, quem recitat Iohannes Boccacius, dicendum videtur; qui suo tempore hominem Venetijs fuisse refert, in singulos annos per quadraginta dies absque vllo cibo agentem ieiunium a multisque eius rei experimentum fuisse factum. Et Aur. Augustinus cum Casulano scriberet, affirmauit temporibus suis quendam quadraginta diebus sine cibo vixisse. Sic de animalibus septimo refert Albertus Magnus mulierem in Colonia Agrippina; quæ sine cibo dies quandoque 20. transmiserit; sæpe vero & 30. Virum quoq; melancholicum se vidisse testatur, qui sine cibo septem hebdomadis perseuerauerit, alternis tantum diebus aquam exsorbentem. Etiam sub Clemente Pontifice eius nominis septimo, vir Scotus iuuenis, cum sponte se obtulisset, diebus vndecim in custodia habitus absque cibo, alioquin assuetus vsque ad 20. dies, & vsque ad 30. in eadem inedia perseuerare, miraculi premium accepit. Sed quid dicam de F. Nicolao Suitz Vnderualdensi, quem in solitudine 22. annos, nempe quousque vita excessit, nihil omnino degustasse constat, nisi semel iubente Episcopo Constantiensi, tres panis particulas comedit? certe portento simile videri debent hæc, & alia id generis exempla omnes naturæ vires excedentia, cum, vt præmisimus, vsque ad septem dies inedia naturæ consentiat. Ad homines etiam gignendos ac conformandos vis pertinet Septenarij, quia cum in aluo mulieris genitale semen receptum est, si per horas Septem absque effusione permanserit, hæsisse in vitam certum est. tum primis Septem diebus conglobatur, & coagulatur ad capiendam figuram factum idoneum. Quarta dein hebdomada quod eius virile fetus futurum est, caput & spina quæ est in dorso informatur. Septima hebdomada, iuxta sententiam Empedoclis, totus in vtero absoluitur homo, ad rationalem se aptans animam, quod hic sit Septenarius in quadratum dilatatus. In decima hebdomada conce-

Exho.24 34.
3.Reg.19

ptus mouetur ad partum, Septimum explicans mensem. felices enim septimestrium partus æque ac nouimestrium, Egressos quoque ex vtero materno numerus Septenarius suscipit & comitatur, quia Septima post partum hora manifestum aut vitæ aut mortis argumentum affert. quandoquidem vltra hunc numerum, qui halitum aeris sustinuerit, intelligitur natus ad vitam. Per hebdomadas etiamnum incrementi infantilis, adolescendique corporis rerum naturæ periti rationem concipiunt. post dies enim Septem vmbilici reliquias reijcit. quare prisci Romani ante diem a natiuitate Septimum, nomen non imponebant infanti, veluti prius non videretur omnino vitalis, vt docuit Aristoteles de Animalibus libro septimo, plurimis ante diem septimum pereuntibus. Post bis septem incipit ad lumen illius visus moueri. Post septies septem libere iam pupillas totamque faciem vertit ad motus singulos circa videnda. Post septem menses incipiunt dentes mandibulis emergere; Septem quoque ex vtraque parte dentes gigni compertum. Post bis septem, sedet absque timore casus. Post ter septem, sonus eius in verba prorumpit. Post quater septem, non solum firmiter stat, sed incedit. Post quinquies septem, incipit lac nutricis abhorrescere. hæc de mensibus. Anno septimo cadunt primi dentes, & nascuntur alij ad cibum solidum aptiores; Septimoquoque anno plene absoluitur integritas loquendi, & ratio, nempe quando iam idoneus est interpres vsitatorum nominum ac verborum, rationalem sibi comparans habitudinem. Sequenti septennio ad summam perfectionem dicitur peruenire, nimirum ad potentiam progignendi sui similem, quod accidit circiter ætatis annum decimumquartum. tunc enim pubescit, & moueri vis incipit generationis; tunc etiam pubescentes hircissant pueri, quod tum humana natura, dissocians corpora, multam ac repentinam mutationem efficiat ætatis. Inde Aegyptij quarto decimo anno circuncidunt mares, & feminæ apud eos circuncidi feruntur eodem anno, quod ab eo tempore feminarum

Plutar. li. Rom. qst. nu. 202.

Alexan. Aphrod. probl. sect. 7. D. Amb. de Abraham li. 2. cap. 11.

rum menstrua & purgationes, exordia sumant. Tertio Septennio incrementi finis est. Inde & quilibet Christianus eo natu ex precepto ad ieiunium tenetur Ecclesiæ, quod adusq; primum supra vigesimum annũ proceritas hominis augeatur, quod sane tempus a multis maturitas ætatis appellari solet, nobis attestante Nicolao Cusano, & dicente virilitatem exire tertio septennio, quod incremento in longitudinem coronida impingat. Summus etiam humani corporis crescendi modus est Septem pedum. Statura Dominici corporis ad palmos prorsus septem protendebatur. de cuius etiam monumento, qui de Hierosolymis venerunt, ferunt, quod domus fuerit rotunda de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis, vt intro consistens homo vix manu extenta culmen attingere possit, quę habet introitum ab Oriente, cui lapis magnus aduolutus atque impositus est, in cuius monumenti parte Aquilonari sepulcrum ipsum, hoc est locus dominici corporis, de eadem petra factus est, Septem habens pedes longitudinis. Quarta annorum hebdomas impleta in latum crescere vltra iam prohibet. In quinta omne virium & roboris completur augmentum. Sexta vires seruat ante collectas, nec diminutionem nisi ex accidenti patitur euenire. Septima diminutionem quidem virium, sed perfectum intellectus & rationis incrementum habet, vt refert Aristoteles in septimo Politic. quare soliti sunt Milites ea ætate rude donari, & consilijs rebusque publicis adhiberi. Atque hanc ob rationem fortasse Horatius ad Mecoenatem scribens, se liberari a labore postulat, ob ætatem iam donandum rude. nam qui vndenos Decembres quater iam, vt ipse de se dicit, expleuerat, per septimam hebdomadem deferri iam occeperat. Adde vt notarunt eruditi quod septem septies multiplicati faciunt ætatem, quæ proprie perfecta habetur & dicitur. Cuius rei non ignarus Romulus lege sanciuit, vt qui e singulis Tribubus eligebantur Sacerdotes, annum quinquagesimum ingrederentur. Approbatur hoc etiam Platonis auctoritate libro de legibus sexto, vbi de legum custodibus verba facit. Octauo Septenario perfectionem & in intellectu,

Pli. naturalis hist. li. 11. c. 36

D. Tho. 2. 2. qõ. 147.

Nic. excit. lib. 3.

Alleluia dies.

Niceph. call. hist. ecc. lib. 1. cap. 40.

Sepulchri Domini forma ex Beda.

Iohan. Rossius Antiqt. Roman. lib. 3. c. 7.

& in ratione videre est, qualis maior in vnoquoq; iam sperari debeat. In nona hebdomada ad casum deducitur, qui annus est sexagesimus tertius, fatalis quidem, grauiaq; semper hominibus indicans pericula. Verum cum ad decades septenas deuenerimus, vbi Septenarius per numerum completum conducitur, tunc habemus cõmunem viuendi metam. Atq; huic meo sermoni testimonium perhibent Physici metam viuendi signantes cum decas heptadi iungitur perfecto numero, i. aut decies septem, aut septies decem computãtur anni, quod humanæ vitæ perfectum spacium si quis excesserit, ab omni officio vacuus, suum omnem in suadẽdo tãtum habebit vsum, attestante Platone, qui loco nuper allegato septuagenarios a ciuilibus negotijs in ocium remittit his verbis: Custos legum non plus, quam annos viginti hunc habeat magistratum, nec pauciores natus, quam quinquaginta eum gerat. Ac si quis sexagesimum ætatis annum agens magistratum hunc nactus est, solum præsit decennium, hac vtiq; ratione, vt qui septuagesimum annum excesserit, tantum magistratum non teneat. Accedit et Zenodotus in collectaneis suis Aeschilum citans, qui huiusmodi ferme tradiderit in opere de paroemijs, Gentem scribit esse quandam Chartaginensium coloniam; ei morem esse senes septuagesimum pretergressos annum Saturno sacrificare. Quod de Caspijsquoq. memorię proditum est. nam filij parentes septuagenarios domi clausos, aut in loca inculta & deserta, intimasq; solitudines expositos, vel fame enectos, siti & inopia conficere, celebre funus putarunt. Hunc ętatis nostrę septenarium Solon Atheniẽsium legislator his elegiacis graphice descripsit apud Clementem Alexandrinũ strom. 6. et Philonẽ Iudęum lib. de Mũdi fabrica, quę in latinũ transtulit Ioannes Christophorsonus Anglus.

Strabo Geographię libro 11.

Primis septem annis niueos puer edere dentes
  Cœptat, dum tener est, membraque pube carent.
Quando alios septem Deus illi adiunxerit annos,
  Puberis hinc æui signa reclusa patent.
Barba genas decorat, cum tertia creuerit ætas,
  Mutaturque rubens flore cadente color.

Quarta

Quarta dabit vires, cum vir sit factus, & almæ
Virtutis specimen præbeat ipse suæ.
Septem lustra virum vinculo sociare iugali
Suadent, & sobolem lege creare nouam.
Sexta ætate, viro vis mentis acumine pollet,
Nec facinus posthac vile patrare studet.
Septima si octauæ iungatur, linguaq;, mensq;,
Consilio hæc solers, illa loquendo viget.
Nona ætas languet, tum frigida membra retardant
Virtutem non vnquam interituram animi.
At decimi si quis cursum confecerit ęui;
Tunc maturus erit mortis adire loca.

Hunc in modum Solon humanam vitam dispensat. At Hippocrates medicus per Septem ætatum cursus vitam nostram vsq. ad senectutem transcurri scriptis explicuit suis. Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta virilis ætas, sexta ęui maturitas, septima senectus. sic autem dicit: Infans est vsq. ad annos septem, dum emittit dentes; Puer, ad quattuordecim, dum semen in eo crescere incipit, ad geminatum.s. septenarium; Adolescens, vsque ad vigesimum primum, i. ad annum ter septimum, dum barbæ pubescit lanugo; Iuuenis, vsq; ad trigesimũquintum, dũ totius corporis augescunt vires, quod est ad quinquies septimum; Vir, vsq; vndequinquagesimum, nempe ad septies septẽ; Veteranus, ad quinquaginta sex.i.ad septies octo. Senex, quod inde reliquum est temporis obtinet. Quare inuenias humanæ vitæ rationem significari per lyram, in qua Septem chordas, seu discrimina vocum celebrari comperit antiquitas. Nam & magnus Basilius per citharam corpus interpretatur. quod.n. Psal. 57. legitur: Exsurge psalterium & cithara, per psalterium, animam; per citharam, corpus intelligit, quod ita pluribus esse locis acceptum Euthymius obseruauit. Hinc cum Phrynis musicus præstantissimus duas septem fidibus lyræ addidisset, eas recidit bipenni Emerepis Lacedemonius Ephorus, cum assereret nouem neruis oĩm cõcentum deprauari. Lyram.n. cuius primus vsus apud Thebas fuit, vel cuius opera vnius, vt volunt alij, Thebæ ipsæ constructæ fuerunt, cum lapides ipsi

Plutar.li. 9. sympo siacon.

per se ad harmoniam Amphionis, & Orphei in mœnia, et domos exstruerentur, volunt septem tantum fidibus constasse, vel ad Thebarum portas, quæ septem fuerunt, representandas. Ad ea quæ diximus pertinent veterum instituta. qui erudiētes suos in Philosophia liberos, per Septennia illorum ætatem distribuebant. In primo. n. septennio (inquit Aloysius Luisinus) pueros ita alimentis exercitationibusq; educabant, vt eorū corpora non solum studijs, verum et omnibus vitæ actionibus idonea redderentur; in secundo, prima eos philosophiæ parte, quam vt instrumentum dicere possumus, imbuebant, logica scilicet, quæ grammaticæ, dialecticæ, rhetoricæ, poeticæ, historicæque nominibus continetur; tertio septennio, quod erat ab annis 14 ad 21. ad secundam Philosophiæ partem Mathematicam nuncupatam ipsos prouehebant, id est, ad geometriam, arithmeticam, musicam, astrologiam; quarton dein ceps quod erat ab annis altero & vigesimo, ad vigesimum octauum, libris dicabant naturalis Philophæ, quorum alij principia rerum naturalium concernunt, vt qui de Physica auscultotione, deque Anima inscribuntur; alij res naturales ipsas, vt qui de Generatione & Corrupptione, de Animalibus, de Plantis, de Metallis, ac Meteoris; nonnulli quædam respiciunt res naturales consequentia, qualia sunt locus, tempus, motus, de quibus agitur in libris Physicis; quinto septennio, quod ab anno vigesimo octauo ad trigesimumquintum pertinebat, ad moralem Philosophiam traducebant, ea ratione arbitror quod hominem viderent in eo septennio plus habentem doctrinæ, plusque experientiæ; magis exinde posse passionibus ac perturbationibus animi resistere. Reliquum vero quod supererat vitæ, totum id homo speculatiuis, moralibusque instructus, & veluti ex ignorantię tenebris ereptus, vitiorumque labe purgatus, animum a terra sublatum ad altiorem doctrinam, vtpote Metaphysicam erigebat, dum illum speculationibus rerum incorporearum ac immortalium, quales sunt omnes separatæ substantiæ cælestes, occuparet. Hactenus

De cōpescēdis animi affectibus. li. 2. cap. 4.

nus Luisinus. de quo Fabius Paulinus lib. 5. Hebdomadum cap. 5. verius, quam de me eam protulisset sententiam: Septimo demum fructum omnem anteactæ vitæ legendo, & commentando percipiebant, quod non attigit Bongus, qui in his recensendis omisit hoc postremum. Quamquam neutrum obliuionis aut incuriæ iure incusauerit, quibus propositum fuit hoc loco agere de solis annorũ Septenarijs quatenus pertinent ad filiorum educationem iuxta veterum morem & consuetudinem; non autem de his, quæ ad educatos pertinent, & continent totum id vitæ spatium, quod superest homini vltra sextum Septenarium annorum. Hoc enim tempus (preterquam quod ad educatos, non autem educandos spectat) totum vna annorum hebdomade seu Septenario haud quaquam concluditur; sed multis, hisque incertis siue hebdomadibus, siue annis. in quibus hominem Plato (vt nuper legimus) gubernandæ Reipublicæ addixit potius. Atqui manifeste cecutijsse videtur Fabius eodem lib. Hebdomadum septimo. capit. 3. hæc scribens de Christo: Septem panibus quinque millia hominum; & rursum e contra totidem panibus scilicet quinque, Septem millia hominum pauit. Hæc enim aperte Euangelistis repugnant. siquidem apud Mattheum cap. 14. Mar. cap. 6. Luc. cap. 9. & Iohan. cap. 6. panibus quinq; saturauit Christus quinq; millia hominum; & apud Matth. cap. 15. panibus septem pauit hominum quattuor millia. Superest vt in ægritudinibus ostendatur Septenarij vis, quæ tanta nimirum est, vt nullam prorsus Lunæ, aut Solis, vel cæterarum stellarum potestatem suspicari valeamus. Acuti. n. corporum morbi, præsertim cum ex mala temperatura in febres continuas incidimus, septimo ferme die iudicantur. hic enim in tali de vita certamine alijs salutem, alijs mortem decernit. Et Auicenna vt exacte acutas Septimo die, ita diuturnas Septimo mense, Septimo anno, quartodecimo; vicesimoprimo, vt plurimum terminari contendit. Ita enim natura comparatum est, vt per dies impares acuti morbi moueantur; qui vero diuturniores, per pares;

Lunaris vero rationis nec verbum quidem fecit Hippocrates, sed ordinem hunc ad numeros naturæ mire gratos retulit. Quod sensit et doctissimus Galenus qui ternos cōscripsit libros de Diebus criticis, in quibus septenarij numeri potentiam ostendens, ardentissimas febres dicit solui die Septimo: aut, si tanta humoris noxij & pituitæ fuerit magnitudo, vt primæ hebdomadis nequaquam feruore consumta sit, secunde Hebdomadis vltimus exspectatur dies, i. quartus decimus. qui Hippocrati 2. aphor. est terminus acutorū simpliciter morborum. Quod si hoc in tempore sanitatem consequi haud datum fuerit, transeundum ad diem vigesimamprimam, hoc est, ad finem tertiæ hebdomadis. His calculum suum adhibet Censorinus astruēs post Septimum quemque annum articulos quosdam pati, & in ipsis noui quid naturam ostendere. Licet & ista confirmari auctoritate Marsilij Ficini nobilis Platonici, asserentis Septenarium multa metiri, per annos quidem mutationes in vita, per dies autem mutationes in morbis maiores, per horas vero minores, tum in bonum, tum in malum. quin & Physionomum singulis humanæ ætatis Septenarijs, valetudinis argumenta perspicere; quemadmodū septimo quoq; die in ægrotātibus noua potissimum indicia captari: ita septimo quoq; anno quædam accidentia & lineamenta nouæ figuræ, nouos colores et gestus nobis suboriri. Addemus hic mirabile de Septenario experimentū, quod filia quæ septima nata, modo nullus intercesserit partus, vi vt puto numeri Septenarij, miro modo partum adiuuare traditur. Similiter Masculus omnis septimus, absque femella intermedia natus, vim habere dicitur solo tactu vel verbo curandi strumam gutturis vitium, quod nonnulli scrophulā vocant. Ecce quod tamdiu Chirurgum fatigauit, quod pharmaco curare non potuit, nec ferro, nec caustico consumere, cuiq; nulla videbatur prodesse medicina, vi numeri septenarij curatum, persanatumque apparuit quandoq;. Ecce quod caret sensu, quod vita, quod materia, quod succo aut aliqua qualitate: plenum tamen vi medica, plenum energia abdita visum est. Atque hanc similem virtutem

In Plat. de Repub. li. 8.

Marsi. in Plotinū enneade 2. li. 3. c. 4

in dex-


in dextera Anglorum Regum videmus. Edoardus.n.Rex Angliȩ (siue is sit tertius secundum Polyd.Virg.siue decimus nonus, vt placet Georgio Lilio Britanno,) strumas solo tactu in quamplurimis sanasse dicitur, quod Diuinum munus ad posteros Angliæ Reges, quasi hæreditarium emanauit, quod quidem faciunt prius recitatis quibusdam hymnis non sine cȩremonijs. Refert etiam Plutarchus Pyrrhi pollicem dextri pedis vim quandam diuinam habuisse, vt eo pressi ex splene laborantes curarentur; eum præterea ardere non potuisse reliquo corpore cremato. Cernitur in Septenario alia species & forma, quæ est ad cogitandum diuinissima, quia dicitur numerus rationalis fabricæ.

Quattuor atque tribus septem constare videmus.
Quattuor ex totidem corpus compactum elementis,
Tres animam signant triplici ratione eluentem.
Ast animȩ coniunctum corpus format Homonem.
Quattuor ergo tribus Hominem coeuntia reddunt:
Sed tria de superis manantia, quattuor imis.

Ex dictis partibus cōstans Septenarius habet aliam maximam excellentiam, quia Artificis inuisibilis, et visibilis materiæ primarias substantias exprimere distinguereq; videtur; vt ternarius Creatorem ob Trinitatem enunciet; & quaternarius creaturam propter quattuor elementa, quæ rerum omnium caussæ sunt & semina, sub huius numeri breuitate concludat. Spiritus sanctus procedens a Patre & Filio, quaternario superfertur, & Conditor benignus suum amplectitur opus, et diligit quod plasmauit, et creaturā suā sanctus ipse santificat, ac sibi consociat, & charitatis nexu statuit et cōquadrat. Præterea Septenarius id quod in rebus secūdū naturā rectum est, quodq; flecti nequit, indicat, id quomodo fiat declarandum videtur. Triangulus rectis constans angulis, quod est qualitatum principiū, ex his numeris 3, 4, & 5, conficitur. tria vero et quattuor, quæ sunt materia seu essentia septenarij, rectum faciunt angulum. nam obtusus & acutus inæqualitatem, confusionem, & imparitatem præseferunt. alius.n.alio obtusior est, vel acutior. at re

ctus

ctus nullam recipit comparationem, neq; alius cum alio collatus rectior dicitur, neque suam aliquando naturam commutat; sed in simili eademq. ratione manet. Origo namq; triangularium numerorum sunt 3, et 4. ab his autem omnes multiplices in infinitum sunt triangulares. Dum.n. fuerit triangulus cuius duo latera sint 3, & 4, ad angulum rectum coniuncta, eorum quadrata nempe 9, et 16, iuncta faciunt 25, cuius radix, quæ est 5, erit latus oppositum angulo recto, per penul. 1. Euclidis. vt hac figura facile conspicitur. 4.



.n. & 3, constituunt angulum a b c rectum, horũ quadrata scilicet 16, & 9, simul iuncta faciunt 25, cuius radix est a c linea angulo recto subtensa. Fuit autem hoc (teste Proclo) Pythagoræ inuẽtum. conferebat.n. Pythagoras iustitiam & virtutem angulo recto; vitia vero duobus extremis angulis, acuto, vel obtuso, iuxta illud Horatij,

> Est modus in rebus sunt certi deniq; fines,
> Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Cum ergo triangulus rectis angulis constans principium figurarũ sit, & qualitatum, & hic a ternario quaternarioq; procedat, Septenarius qui ab his enascitur, cuiusq; figuræ poterit, & qualitatis fons reuera putari. Huc accedit & illud, quod ternarius, vt antea demonstrauimus, planæ figuræ numerus est, quandoquidem iuxta vnitatem est punctum, in binario linea, superficies in ternario numero constituitur, quaternarius ad solidum corpus pertinet per accessionem vnitatis, accedente ad superficiem altitudine. Quo perspicuum fit essentiam Septenarij & geometriæ, & dimensionis, quæ cernitur in solido, ac vt summatim dicam, rerum tum corporearum, tum corpore vacantium principium esse. Habet igitur quodlibet corpus actiuum tres dimensiones, longitudinem dico, latitudinem, & altitudinem, siue profunditatem; quattuor item extremitates; punctum, lineam, superficiem, & solidum, ex quorum compositione nascitur Septenarius. Quare non immerito a proprietatis vocabu-

lorum

lorum studiosis absolutorius nuncupatur hic numerus, cum eo absoluantur, & perficiantur vniuersa, quippe quæ geminam vinciendi vim tenet ipsius enim partes vincula prima sortitæ sunt, ternarius s. cum vna medietate, quaternarius cum duabus. Tot igitur virtutibus insignitus Septenarius, quas vel de partibus mutuatur, vel etiam totus exercet, iure plenus & habetur & dicitur. Nam & huiusmodi partes Septenarij ad eum ferme sensum interpretari debent, vt plenitudinem quandam sacri mysterij significent tam in diuinis litteris, quam apud Poetas. Virgilius, quem nulla præterijsse videtur doctrina, omnibus numeris beatos significauit, de quibus hæc cecinit.

-----Oterq; quaterq; beati,
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Aen. 1.

Quemadmodum & de seipso dicit Tibullus.
O mihi felicem terq; quaterq; diem.
Horatius 1. Carm.
Quippe ter & quater
Anno reuisens æquor Atlanticum.
Ouidius etiam Fastorum lib. 1.
Ter quater euolui signantes tempora fastos,
Nec Sementinæ est vlla reperta dies.

Hoc vero cum multis pateat diuinæ scripturę oraculis, tum pręclarissime illud ostendit Tobię testimonium: Dicatur benedictio super vxorem, & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum vsque in tertiam & quartam generationem. In Exhodo rursus, & alibi, Deus reddit peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. quia peccatum originale a parentibus trahimus, & nisi per gratiam baptismatis soluamur, etiam parentum peccata portamus, quia vnum cum illis sumus. Eo referēdum quod recitatur 1. q. 1. cito turpem, §. denique, Moabitæ non intrabunt in Ecclesiam Dei vsque in tertiam & quartam generationem, Quia Septenarius per hos numeros intelligitur esse perfectus, voluit oraculum

Capit. 9. Hugo Victori⁹ de Sacramētis fidei lib. 1. parte 7. c. 38 Exho. 20 34. Deute. 5. Gregor. Rom.

In Ciuit. D. li. 11. ca. 31. & li. quęst. Deuter. nu. 42.

culum vniuersitatem significare, & huius numeri vniuersitatis caußam intimare, non ipsum potius Septenarium ponens. Vnde Augustino auctore, esse et illud propheticum creditur: In tribus & quattuor impietatibus non aduersabor. per quod voluit potius vniuersas impietates, quam tres, vel quattuor intelligi. Sæpe etiam Septenarius, iuxta auctoritatẽ diuinarum scripturarũ designat quod perfectum est. nam de remissione peccatorum percunctanti Petro, quoties inquam condonare deberet fratri, qui in illum peccasset, & post quotam culpam repelli deberet a venia, num vsque septies? Respõdit Dominus: Nõ dico tibi septies sed vsq. septuagies septies, hoc est, resipiscenti in infinitum offensam condonabis. neque enim hoc numero terminus circumscribitur veniæ, verum per eum semper condonandam esse proximo noxam, & quoties peccatum confeßus fuerit ac resipuerit, illi ignoscendum esse mandatur. Quãuis autem Dominus alludere videatur ad locum Geneseos, cap. 4. vbi Deus comminatur ei, qui occiderit Cain pœnam septuplam, Lamech aũt daturum pęnas septuagies septies: non eodem tamen cardine hoc voluitur ostium. cum non idem sit iudicium in remittẽda offensa, æque ac in animaduertendis & vlciscendis flagitijs. punit enim misericors Deus citra condignum: parcit & remunerat vltra condignum. illud quod perfectum est designat hoc quod finem habet. Explicans Ieremias calamitatem Hierosolymæ, & interitum Iudęorum: Infirmata est (inquit) quæ peperit Septem, ac si diceret; oppressa est Hierosolyma mater multorum virorum, qui in prælio corruerunt. Eodem sensu Anna mater Samuelis in suo Cantico hunc in modum loquens inducitur: Quia sterilis peperit Septem, idest, multos; & quæ multa erat in filijs infirmata est. Historia porro talis est. Anna & Pheenna cũ Elcana matrimonio iunctæ erant, ac Pheenna quidem liberos edebat; Anna autem nequaquam pariebat; Verum solutis tandem per orationem sterilitatis vinculis, Prophetam illum eximium Samuelem procreauit, qui matri suæ instar Septem, hoc est, numerosæ sobolis loco fuit. Imperfecta autẽ in li-

Amos. 1.

Matth. 18 Luc. 17.

August. de verbis Domini. ser. 15.

Cap. 15.

1. Reg. 2.

in liberis Pheenna dicitur, quæ multos filios habebat. Hęc.n.vox: Multum, indefinita est; quod autem indefinitum est, vtique et imperfectum. Vel etiã imperfecta dici potest, quia nullum extulit omnibus virtutum numeris, Samuelis instar, absolutum. Atque hunc etiam Septem vocauit, vtpote perfectum, omnibusq; virtutibus expolitum. Nam Septem per pleonasmum pro multis accipi debet. Porro per Annam matrem Samuelis Ecclesiam fuisse prophetatam volunt sanctissimi Patres, quæ prius fuit sterilis, & posteriore fecunditate lætata est. nam sterilis Ecclesia ex Gentibus conflata peperit Septem; Synagoga vero, quæ ante multis filijs erat fecunda, defecit; & plures mulieris filij fuere desertæ, quam illius, quæ virum habebat. Vnde Theodoretus Heracliensis: Prædicit, inquit, Ecclesiæ fecunditatem, Septenarius siquidem numerus signum est multitudinis. inter Septem .n. dies totum includitur tempus, & Ecclesiæ filij terram impleuere; Quę vero multa erat in filijs Synagoga infirmata est. Iudæa namque cum permultos habuerit filios, nunc sterilis facta est. Augustinus itidem Ecclesiæ perfectionẽ Septenario significari his verbis ostendit: Hic totum quod prophetabatur, eluxit, agnoscentibus numerum Septenarium, quo est vniuersa Ecclesiæ significata perfectio. D. Greg. Rom. tractãs illũ locũ Iob cap. 9. Qui facit arcturum. Quid, inquit, Arcturi nomine, qui in Cęli arce constitutus Septem stellarum radijs fulget, nisi vniuersalis Ecclesia exprimitur? Iam vero Iohannes Apostolus relegatus in insulam Pathmos, quæ iuxta minorem Asiam sita est, Apocalypsin Septem Ecclesiis scribit ibidem exsistentibus, quas nominat proprijs enunciatis. non quod ipsæ solæ sint Ecclesiæ, aut principes; sed quod vni dicit, omnibus dicit. (neque .n. his tantum in locis fuit tunc Ecclesia Christi) In toto vero Orbe septennatim Ecclesias omnes septem esse nominatas, & vnam esse catholicam Paulus edocet, qui primum quidem vt seruaret & ipse typum, septem Ecclesiarum nequaquã excessit numerum, sed ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Thessalonicenses, Philippenses, et Colossenses,

Io. Chrysost. actione in Iudęos qnta. & homi. 62. in Matth. Aug. Seuer. Grecus Didymus.

Aug. in c. Dei li. 17. c. 4.

Apoc. 1. D. Hier. i Zach. c. 8. & Aug. in ciuit. li. 17. c. 4. Beda in apoc. li. 1 cap. 1.

postea singularibus personis scripsit, ne numerum excederet septem Ecclesiarum, & breuibus, suam contrahens prædicationem, ad Timotheum sic scribit: Vt scias qualiter conuersari debeas in Ecclesia Dei viui. Iterum in Apoc. dum Septem his voculis, benedictione, sapientia, claritate, gratiarum actione, honore, virtute, & fortitudine Deo declamatur ab illis beatis spiritibus, nulli dubiũ est quidquid laudis, quidquid glorificationis aut iubilationis concipere põt mens, vel proferre, quæcunq; illa est Angelorum lingua, sub istis Septem contineri. quamquam alio vertat Ven. Beda dicens quod Ecclesia septenariam virtutum laudem offert Deo, quam se in singulis mẽbris ab eo percepisse fatetur. Eiusdem mysterij sunt Septem stellæ in Apoc. quas Christum in dextera sua tenere testatur, omnes videlicet Præsules omnium Ecclesiarum, quos, cum esset in dextera, id est, in magna felicitate, quippe qui resurrexerit a mortuis, non plures, neq; pauciores ex Discipulis, quam septem sui participes habuit conuiuij, sicut scriptum est, Quia erant simul Petrus & Thomas qui dicitur Didimus, & Nathanael qui erat a Cana Galileæ, & filij Zebedæi, et alij ex Discipulis eius duo. isti septem missum in dexteram nauigij rete, plenum magis piscibus ad terram perduxerunt, & cum Domino sunt epulati, vniuersos designantes qui in generali resurrectione præsentabunt electos vniuersos, quos studijs suis siue laboribus acquisierunt, & cum Christo sedebunt ad dxterã eius in cęlestibus. Eandem habet interpretationem quod de facie siue præsentia Dei legitur, quæ in die futuri iudicij erit sicut Sol. sic .n. vaticinatur Esaias: Erit lux Lunæ sicut lux Solis, et lux Solis erit septempliciter sicut lux Septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui. Quænã est Luna quæ tunc lucebit sicut Sol absq; varietatibus crementi et decrementi, quibus nunc variatur in isto seculo, nisi Ecclesia, quæ tunc erit similis Soli suo, Deo suo? Scimus, ait Iohannes, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa autem lux Solis, quanta erit? sicut lux septem dierum. ac si dicere: Quantę claritatis

1. Trin. 3 cap 7.

Apoc. 1.

Iohan. 21

Cap. 30.

1. Io. 3.

ritatis

ritatis erat Deus verbum cum sex diebus fierent omnia, & Septimo die cōplerentur omnia per ipsum; tantę claritatis tunc erit apud Deum. Eiusdem intelligentiæ cēsetur quod in eodem Propheta scriptum legitur. Apprehendent Septem mulieres virum vnum, id est, plures mulieres apprehendent virum vnum: licet D. Hier. adstruat dictionem hebræam hoc positam loco ambiguam esse, & nunc Septem, nunc plura signare. Eo itidem spectat quod in Prouerbijs dicit Salomon: Septies cadet iustus, et resurget. sensus .n. est, quotiescunq; ceciderit, non peribit. Septem sigillis signatum librum vidit Iohannes, quod est omni latentum mysteriorū plenitudine tectum. Septem Angeli stantes in conspectu Dei, significant vniuersitatem sanctorum & iustorum. De Maria Magdalena Septem dæmonia eiecta fuisse relatum est, vt in numeris, immo cunctis vitijs plena fuisse monstretur. Intimat .n. Maria Ecclesiam de Gentib. mundatam a sordib. cui congruit quod de immundo spiritu scriptum est: quia cum exierit ab homine, reuersus assumit secum Septem alios spiritus, idest, vniuersa vitia. Septem capita Draconis, oēs Reges terræ designant, qui etiam dicuntur septem montes. Quod vero Septem diebus fermentum non inuenitur in domibus Iudæorum, nobis est documento vitiū esse submouēdum, vt omni vitę nostræ tempore in simplicitate ac puritate viuamus. et Septem diebus azyma comedere, nil aliud sibi vult, quā cunctis vitæ nostræ diebus humilium Christi actionū sacræ passionis, & acerbissimę mortis eius nos meminisse debere. sic Septem menses quibus fuit Arca apud Philistæos, designāt tempus huius seculi vsq; in finem. sic Septem diebus est immunda mulier, quæ peperit masculum, & octauo purificatur. Quæ autem minam peperit bis Septem diebus in immundicia permanet. Quibus innumeris mysteria latentis arcani continentur. quia in septimana dierum consummatus est Mundus, in quo donec sumus in carne positi, ad liquidum puri esse non possumus, nisi octaua uenerit dies, quod est futuri seculi tempus, in quo tamen die purgandus est ille qui viriliter egit. statim enim munda

Esai. 4. Prou. 24. Apoc. 5. Beda in Apoc. li. 1. Psal. 11. Apoc. 8. Mar. 16. Luc. 8. Matth. 12 Apoc. 12 Cap. 17. Exo. 12. 13 1. Reg 6. Leuit. 12

efficitur mater eius, quæ genuit eum, purgatam namq; vitijs carnem ex resurrectione suscipiet. Qui vero nihil in se habuit virile aduersus peccatum, sed remißus, & effeminatus permanserit in actibus suis, iste neq; in præsentis seculi hebdomada, neq; in futura purgabitur ab immundicia sua. Rursum vniuersa laus Deo offerenda sacro exprimitur Septenario a propheta Regio, cum ait: Septies in die laudem dixi tibi. Nam si ad litteram hunc numerum velimus aduertere, Septem illas significat vices, quibus se Clericorum pia deuotio consolatur, idest matutinos, primam, tertiam, sextam, nonam, verperas, & completorium; vel vt vocant Monachi: matutinos, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorium, & nocturnos. quod & S. Ambrosij hymnus in sextę horæ decantatione testatur. Verũ si spiritaliter hęc intelligamus, asiduam precandi formulam nobis a Regio Psalte insinuatã esseremus, Septenario numero se asidue, iugiter ac sine intermisione Deũ orasse palam demonstrante. Quid .n. aliud septies in die orare, quã cum Deo sabbatizare, cum Deo placide semper agere, ac tranquille conquiescere, seu sine intermisione illi instanter hærere? qui.n. sic quiescit, peccatis non angitur, sed cum Deo sabbatizat, septiesque in die laudem Domino profert. Et vt in alio Psalmo aperte dicitur. benedicit Dominum in omni tempore, semper Diuinam laudem in ore habens. Nam vt has laudes continuas intelligere debeas, subter adiunxit: Super iudicia iustitiæ tuæ. quia parcet videlicet supplicanti, et sic humilibus pius est, vt non solum dimittat culpas, sed eis etiam æterna præmia largiatur. Adhuc in alio Psalmo, Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne exploratum, purgatum Septuplum esse dicuntur. verba Dei enim cuncta ab omni prorsus mendacio, aut vitio sunt libera, sicut argentum septies conflatum, probatum reperitur & purum. ea quippe quæ funduntur, vbi ad Septimam decoctionem peruentum fuerit, tum perfectum illud, & absolutum existit, quo nihil perfectius inueniri potest. compertum enim est ab hominibus nostrę ætatis, non in argenti solum, sed etiam multo-

Psal. 118

Cassiodorus i Psalmo 100.

Aug. in Ciui. Dei libro 11. cap. 31.

Psal. 33.

Psal. 11.

Theodoretus Cyren.

rum decoctione, septima decoctione, perfectissimum fundi. veluti quotidie cernere est in sacchara depurgando. nam vbi septies igne id examinaueris percoxerisque nihil quidquã proficit vlterius; sed lapidescit omnino, ne vlterius eliquari posit. Adagiũ inde vsurpatum de re, quæ summam adepta sit perfectionem: Septimę decoctionis saccharum, vbi sagacissimum quempiam atq; vaferrimum hominem designamus. Apud Mathematicos etiam Septenarius vniuersitatem quandam perfectionis signat. Nam si Petri Aponensis inuenta sumus admissuri, hieroglyphicum Septem capitibus insigne, quintodecimo Geminorum gradu statuere. inde significantes, sub eo graduum numero in lucem editum, multiscium fore, quippe nullum doctrinæ genus, artem nullam, nullam denique linguam esse celebrem, quam is non sit optime consecuturus; eundem tam publicis, quam priuatis rebus agendis aptissimum, atque inter mortales admirabilem omnino fore pollicentes. Sed his missis perscrutemur huius numeri reliqua mysteria, quæ diuinis oraculis continentur. fuit quidem Septenarius apud S. Moysẽ remissioni, & indulgentiæ consecratus. Septimo mense cuiuslibet anni, & Septimo quoque anno fiebant remissiones. Et post quadratum Septenarij cuiusq; obligationis remissio condonabatur. quippe si quis possessionem distraxisset, recipiebat: si liber seruitutem incidisset, iterum libertatem assequebatur: indulgẽtiam debitor accipiebat: exul in patriam redibat, vt in Leuitico legitur. Huc accedit, quod populus ex Babylonica captiuitate Septuagesimo anno redijt, sicut Ieremias prædixerat, & rerum euentus confirmauit; vt præclarus, et maxime mysticus decadibus Septenarij numerus ob populi redemtionem, ac mysterij quoq; nonnihil habeat, nimirum liberati populi proclamationem. Septem petitionibus absoluitur oratio Salomonis. Totidem consummauit Cælestis Doctor orationem expiationis nostræ, & in quadrato Septenarij dictiones absoluit, quod mysteriũ adnotauit Iul. Camil. Quare Septenarius libertatis numerus nuncupatus. Vocatur et numerus iuramenti. hinc apud Hebręos iu-

Exho. 28
Leuit. 25

Cap. 25.

3. Reg. 8.
Matth. 6.

Gen. 21. rare dicitur ſeptenare, quaſi per ſeptem obteſtari. ſic Abraham quando pepigit fœdus cum Abimelech, ſtatuit Septem agnas in teſtimonium. Accomodatur Saturno, qui ab inferioribus aſcendendo, Septimus eſt planetarum, qui requiem indicat, cui Septimum diem adſcribi monſtrauimus, Qui etiam millenarium Septimum indicat, quo teſte D. Iohanne in Apoc. captiuato dracone malorum ſuggeſtore Diabolo, quieſcent mortales tranquillam vitã degentes. Inde, & ad Moſaicam legem referri ſolet hic numerus propter ſabbatum. Septem gradibus aſcendebatur ad portam aquilonarem templi, vt per hebdomadas, & cęremonias Iudęorum aſcendatur ad ſuperiora. Septem filij Balæ ancillæ, ſunt ſeruientes ſub lege. Septem tonitrua in Apoc. ſunt voces, & oracula Prophetarum. Quod ſi extra has veri cultus cęremonias egredi licebit, atq; vetuſta Gentium ſacra peruagari, non minori myſterio apud eos Septenarium numerum fuiſſe commendatum comprobabitur. Per ſeptem .n. dies Memphitici Apis natalem, iactu aureæ pateræ in Nili gurgitem, celebrabant, quibus diebus quaſdam cum ſacerdotibus inducias habuiſſe Crocodilos teſtatur Plinius, nec attrectaſſe lauantes. verum octauo die cęremonijs iam peractis, poſt horam diei ſextã, velut reddita ſæuiendi licẽtia, ſolitam reſumere atrocitatem. Quid illud quod refert idẽ Plinius in Andro inſula in templo Liberi patris fuiſſe fontem ſtatis Septenis diebus vinum fluentem, quod ſi e conſpectu tẽpli fuiſſet ablatum, ſaporem vini in aquã conuerti, quanto myſterio contineri dicendum eſt? Iam vero matricidam Oreſtem, & ſi iam ab inſania liberatum, expiari tamen materna cæde non potuiſſe tradit Varro niſi, ex Apollinis oraculo, Septem fluminibus, quæ vno tantũ alueo miſcerentur, prius ablueretur. Hunc locum teneat & Apuleius, dicens: Meque protinus purificandi ſtudio marino lauacro trado, Septies ſubmerſo fluctibus capite. Antiquus etiam mos fuit homicidio pollutos veſtes ſuas bis Septem inũdationibus, immerſionibusq; lauare. vnde ortum adagium. A bis Septẽ vndis quod in eos cõpetit, qui a noxta quapiã purgati ſunt.

Cap. 20.

Exech. 40. & 41.

Gen. 46.

Cap. 10.

lib. 8. capit. 46.

lib. 31. capit. 2. Ammianus Marcellinus.

At

At quando hic sumus, illud non dissimulandum videtur magnam esse purgandorum scelerum Septenarij potentiam etiam in diuinis litteris: nec id cuiquam mirum videri debet si Virgini Mineruæ dicatus numerus, vtpote solus ex omnibus qui denario includuntur nec gignens, nec genitus, aliqua etiam imperfectionis nota suggilletur. Quemadmodum.n.nulla multitudo, aut congregatio, aut collegium est, in quo non aliquis sit præuaricator, nec vllum humanum corpus absq; næuo aliquo vel cicatrice, nec deniq; hominem vllum reperire facile possis, qui sine vitio nascatur, cum vel iustus Homo Septies in die prolabatur: sic nullum inuenias numerum ex omni parte felicem. connumeratur etenim Septenarius inter steriles et a perfectione maxime distantes, qui a nullo, nisi ab vnitate dimetiri possunt. vnde, & primi nuncupantur. nullus siquidem eos numerus diuidere vno ordine potest, nec æquis portionibus discernere. quare partibus aliquotis orbatus cum sit Septenarius, sterilitatem, quæ non est ex benedictione, nobis demonstrabit. nec.n. Virginitas ex eo est magis Deo grata, quia non fecunda, sed Virginitas in fecunditate, & fecunditas in Virginitate Deo est gratissima. Quare bene, sicut lib. 30. excitationum testatus est Nicolaus de Cusa, Maria Virgo benedicta est inter mulieres, quæ cum sit virgo, est summa fecunditas. Adde quod ad illud Deuter. 32. Iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene, Rabanus Maurus virginem pro sterili a bonis operibus interpretatur. Non immerito igitur in malam partem Septenarium quãdoq; positum inuenias in diuinis oraculis. Aliquando.n.iniquos presignat, vt in Apoc. Septem capita draconis, Septẽ diadematibus insignita. Septem mali Angeli cum Septẽ phialis iræ Dei venena continent. Septẽ viri de stirpe Saulis, qui a Dauid sustinuere crucis suspendia. Quandoq. ẽt Septenarius humiliationi dicatus habetur. In hoc.n.Iahacob seruit pro Rachel, totidẽq; dieb. Labani persecutiones experitur; Septimo die comprehensus in monte Galaad, Septies pronus in terrã adorat, donec appropinquaret Esau; vt iniuriam, quã se accepisse putabat,

Prouer. 24.

Septenarium sola metitũ vnitas 12. de fin. 7.

c. Constituite.

Cap. 12.
Cap. 16.

2. Reg 21

Gen. 29.
Hierõn.
Gen. 31.
Gen. 33.

remitteret, & quamuis læsus, in gratiam rediret. Septem persecutiones passus est Dauid, quas describit Rupertus Tuitien. com. in lib. Reg. cap. 8. lib. 2. Septē diebus ieiunandum mandat Vriel Angelus. Herodis etiam immanitatem deuitans Ioseph, cum puero aufugisse legitur in Aegyptum, vbi latitauit per Septennium 22. q. 2. Quod vero. Septenarius deniq; perpetuam, & insolubilem dicit vltionem. vnde septem nouissimæ plagæ in Apoc. punitionem perfectam indicant. Quoniam in illis, ait Beda, cōsummata est ira Dei, Nouissimas dixit, quia semper ira Dei populum percutit contumacem Septem plagis. Lege librum Numerorum, inuenies Septem plagis consumtos omnes qui numerati erant a viginti annis & supra. prima quidem plaga fuit in sepulchris concupiscentiæ. secunda vbi inconsueta morte hominum Chore, Dathan, & Abyron interierunt, nouamq; rem fecit Deus vt aperiens terra os suum, deglutiret eos, descenderentq; viui in infernum. tertia plaga fuit eadem die, vbi egressus ignis a Domino, interfecit 250. viros, qui offerebant incensum. quarta plaga fuit die sequenti murmurantium cōtra Moysen et Aaron, atq; dicentium: Vos interfecistis populum. et percussi sunt 14700. quinta plaga quando populum tędere cępit itineris & laboris, locutusq; est contra Dominum & Moysen; vnde in eos misit Dominus ignitos serpentes. sexta quando Dominus suspendi in patibulis iussit principes populi pro scelere Beelphegor. septima, qua Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit a filijs Israel iram Domini, percutiens in locis genitalibus uirū Israelitem Zambri, s. ducem de cognatione & tribu Simeonis, cum Madianitide scorto, scilicet Chozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. Deuter. capit. 16. scriptum est: Septem diebus comedes afflictionis panem. Et Eccli. c. 40. Super peccatores Septuplum. Adhuc vero in Leuitico dicit Dominus: Si non obaudieritis mihi, addam correctiones vestras Septuplum propter peccata vestra.. si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis me audire, addam plagas vestras vsque in Septuplum. quod si nec sic volueritis

4. Esd. 5. Matt. 2. Cap. 15 Num. 16. Num. 16. Num. 16. Num. 21. Num. 25 Num. 25 Cap. 26.

ritis recipere disciplinam, ego quoque contra vos aduersus incedam, et percutiam vos Septies propter peccata vestra. sin autem neq. per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me, et ego incedam aduersum vos in furore contrario, et corripiam vos Septem plagis propter peccata vestra. De Cain rursum qui seipsum fraternæ cædis crimine constrinxerat, scriptũ est: Septies animaduertetur in Cain, hoc est, septuplo cruciabitur, septenisq; mulctabitur pœnis. quarum prima fuit, Maledicta terra; secunda, Operaberis terrã, hoc est, sine vlla intermissione ac relaxatione agriculturæ laboribus vexaberis; tertia, Et non addet virtutẽ suam dare tibi; quarta, Gemens ac tremens eris super terram. tribus duas adiecit pœnas, gemitum perpetuum, & corporis tremorem. sequitur aliud supplicium, quod Cain ipse patefecit, sic loquens: si nunc a terra me eijcis, hoc est, si a terræ commoditatibus me disiungis, & a facie tua abscondar. atrocius sane supplicium apud eos, qui mentis sunt compotes, separatio a Deo. septima: posuit Deus signum super eum: ecce infamiam. Ceterum quod Aquila trãstulit Septempliciter, et Symmachus, Hebdomas, siue Septimus vlciscetur, veterum sententia est, quod a Lamech putant interfectum Cain septima generatione. Septimus .n. ab Adam Lamech. translatio vero Septuaginta interpretum & Theodotionis sic habet: Omnis qui occiderit Cain Septem vindictas exsoluet. talemque videtur intelligentiam præ se fere. postquam Cain occiderat fratrem, interrogatus a Domino, Vbi est Abel frater tuus? contumeliose respondit: Nescio, nunquid custos fratris mei sum ego? Quamobrem maledictione damnatus, vt gemens & tremens viueret super terram, veniã noluit deprecari; sed peccatis peccata congeminans, tantum putauit nefas, cui a Domino non posset ignosci; quare Domino respondit: Maior est iniquitas mea, quam, vt veniam merear. ecce me hodie eijcis a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero gemens & tremens super terram, & erit omnis qui inuenerit me, occidet me. Eijcior inquam, a conspectu tuo, & conscientia sceleris tremebundus, lucem ipsam ferre non sustinens,

Gen. 4.

abscondar, vt latitem; eritque omnis qui me inuenerit, occidet me, dum ex tremore corporis, et furiatæ mentis agitatu eum esse intelligit, qui mereatur interfici; Verum Deus nolens eum mortis cōpendio finire cruciatus, nec pœnę tradere, qua se ipsum damnauerat. ait: Non sic. i. non vt existimasti morieris, mortē pro remedio accipiens,

Horati⁹. I Epodo.

Nec proderit ditasse Pelignas anus,
Velociusue miscuisse toxicum.
Nam tardiora fata te votis manent.
Ingrata misero vita ducenda est in hoc;
Nouis vt vsque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus;
In monte saxum; sed vetant leges iouis.

inuitus igitur vitam duces miseram vsq; ad Septimam generationem, & conscientiæ igne torqueberis, ita vt quicunq; te occiderit, secundum duplicem intelligentiam, aut in Septima generatione, aut Septimo te liberet cruciatu. Non quod ipse qui occiderit Cain Septem vltionibus sit subijciendus, sed quod Septem vindictas, quæ in Cain tanto tempore curcurrerunt, soluat in occiso, interficiens eum qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Argumento est Adam, qui semel prolapsus, si moriendi necessitati non fuisset obnoxius, maximum damnum accepturus erat nimirum peccatum operans; qui beneficio afficitur. quod est autem hoc beneficium? Mors, quæ licet pœnę rationem habeat, vtpote vitam extinguens, tamen in misericordiam recidit, immortalem non sinens esse peccatorem. Vt autem quod diximus fiat manifestius, quotidianæ consuetudinis ponatur exemplum. Loquatur inter verbera seruus ad Dominū, Quia incendi domum tuam, interfice me. Dominusque respondeat: Non vt vis morieris, et finies morte supplicia; verum longo tempore custodieris ad vitam, & tam infeliciter in hac luce versaberis, vt quicunque te occiderit, beneficium præstet occiso, dum te de tam multis liberet cruciatibus. Et hæc de Cain per digressionem commemo-

memorata sint. Redeundum est ad testimonia. In sulcis iniustitię mala seminantem, in Septuplum puniendum esse testatur Ecclesiasticus his verbis: Ne semines, mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. quod perinde est ac si dixisset, Non des exemplum male agendi hominibus ad hoc pronis, sicuti sulcus paratus ad seminis receptionem, & non metes ea in pœna tibi in septupulum inferenda. Israel qui peccauerat in sabbatum, Septem decadarum, hoc est, septuaginta annorum supplicium sustinet. Septuplum etiam pessimi vicini in sinum suum recipiunt. reuersos enim Iudæos ex secunda captiuitate Babylonica, templumq; restaurare tentantes, vicini ab Antiocho Epiphane sedacti prohibebant, vnde Propheta regius septuplicem eis imprecatur afflictionem, dicens ex Iudæorum persona: Redde Domine vicinis nostris Septuplum in sinu eorum. Ipsi vero Dauid qui magna animi extollentia, qua tum gloriari in subditæ plebis multitudine, tum cristas erigere aduersus Deum visus est, misit Deus Gad prophetam, qui vbi superbiam illius a superflua populi dinumeratione increpauit, mox in peccati sui expiationem trifariæ mulctæ illi obtulit optionem, petens quidem, iussus a Deo, vt quam vellet e tribus, vnã ob reatum suũ, vltionem deligeret, aut scilicet Septem annis famem super terram fieri, aut tribus mensibus fugere a facie inimicorum suorum, aut triduo fieri mortem in terra. cum autem nimis coarctatus pestem triduanam elegisset, melius fore ratus incidere in propitiabiles manus Dei, quam dari in inclementes manus hominum. egit Deus cum electo suo iuxta eius optionem. & parcens Septem annorum fami, & bello trimestri, gladium triduanæ pestis immisit, qua Angelo, populum ab alto cedente, a matutino tempore vsque ad horam prandij conciderunt de populo a Dan vsque Bersabeę Septuaginta millia virorum, vt colligitur capite 24. secundi Regum. Alibi quoque vocat Dominus famem, & venit super terram Septem annis. Pręterea totidem annis oppressi sunt Israelitæ a Madianitis. Eodem sensu in Ezechiele scriptum est:

Cap. 7.

Psal. 78.

2. Reg. 24.

Origines in Num. hom. 16.

4. Reg 8.

Iudic. 6.

Cap. 39.

Egre=

Ezech. 39. *Egredientur habitatores de ciuitatibus Israel, & succendent, & comburent arma, & succendent ea igni Septem annis. Et in Daniele, dicitur quod Nabuchodonosor rex Babylon. præcepit vt succenderetur fornax Septuplum, quam succendi cõsueuerat. Qui postmodum Deo offenso ob animi tumidam elationem, nudus inter feras per deserta, vt bos, toto Septennio fœnum comedisse visus est. Quod si quis huiusmodi transformationem irrisione dignam putet, audiat hic saltem Platonem, qui illius creditur fuisse sententiæ, imaginationes hominum flagitiosorum sic lędi, vt arbitrentur se in bestias esse conuersos. qua sententia Cabalistæ exponunt huius Regis imaginatricem facultatem diuinitus fuisse labefactatam, vt imaginaretur se bouem esse factum, & ob id graui dolore afficeretur; existimans se inter boues diuinitus translatum. Habet in religione præsens numerus aliud euidens sacramentum, quia omnis purificatio, omnisq; mundities fit per Septenarium. Septem animalia munda ingrediuntur in arcã Nohe. licet .n. animalia quaternarium elementalem sequantur; ternario tamen superiori & diuino participant, vt munda sint, quod mundities & purificatio procedãt a septenario. Hinc Septimo die emissa est columba. cum .n. Nohe constitutus in arca, exploraret an cessaßent aquæ diluuij, postquam reuersa est columba, septem diebus exspectaße dicitur, atque iterum emisiße columbam, quæ Mundi munditiem pacemq; nuncians, attulit vliuæ ramum virentibus folijs; quo facto, Nohe septem alijs diebus exspectauit, vt alio subsequente Septenarij curriculo, plenius subsequeretur et plena mundities. Huius speculationis est quod propheta Moyses Septem diebus expiat altare, & Septem vicibus aspergit. Septem diebus consecrantur manus Pontificum. Sacerdotem quoque per ignorantiam peccantem iubet lex mactato vitulo, digitoq; in sanguine tincto, Septies aspergi contra velum sacrarij. Est eiusdem mysterij quod seminifluus, qui sanitatem fuisset assequutus, numerabat Septem dies in emundatione. Mulier etiam. quæ redeunte mense pateretur fluxum sanguinis,*

Marginal notes: Cap. 3. — Dan. 4. — Gen. 7. — Gen. 8. — Exho. 29 — Leuit. 4. — Leuit. 15. — Leuit. 15

Septem diebus separabatur, virq; qui cum ea rem habuisset tempore sanguinis menstrualis, Septem diebus erat immundus. Quod si sanitati reddita fuisset mulier, post dies Septē purificabatur, vt in Leuitico edictum atq; imperatum est. Adhuc qui fuisset ingressus tentorium hominis mortui, vel etiam in agro tetigisset cadauer occisi hominis, aut per se mortui, pollutus erat Septem diebus. at Sacerdotibus vetitum erat ad obeuntes ingredi, nedum mortuos tangere. non quod sceleratum sit corpus; sed fortasse quod peccatum, & inobedientia sit carnalis, & in corpore versetur, sitque mortua, & ideo abominanda. ad solos autem Patrem Matrē & Filios mortuos permissum sacerdotibus ingredi, quod hi soli sint cognati carnis, & seminis, a quibus proximam et continentem caussam ingressus in vitam acceperint. mundātur aūt ij quoq. Septem diebus, per quot dies efficitur generatio. Heliseus propheta, vt scriptum habetur Regum libro 4. ait Nahaman Syro leproso: Vade & laua te Septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis. & sequitur paullo post: Et lauit se septies in Iordane, & mundatus est. præceptum .n. erat in lege vt mundandus leprosus, purificaretur Septies in sanguine passeris, Septēq; diebus extra Tabernaculum permaneret. Allegorice autē iubetur leprosis vt exeāt de castris, & sedeant foris, donec eorum lepra mundetur, intelligendo hæreticos ab Ecclesia proijci debere, donec proprio errore purgentur, & sic reuertantur ad Dominum. Maria soror Moysis lepra percussa, totidem diebus, iubente Domino, separata fuit extra castra. porro Maria significat pœnitentem. interpretatur .n. amarū mare. Vnde sanctorum Patrum decreto sancitum quod peccator post Septennem penitentiam ad pristinum sanitatis gradū restituatur, 33. q. 2. si quod. & dis. 82. presbyter. 27. q. 1. deuotam. et notat glo. eo. ver. d. & de pœnit. dist. 3. sunt plures. ver. s. Hinc etiam Psalmi Pœnitentium Septenario sunt calculo titulati. glo. in ant. de celeb. miss. cap. 1. Nam & Dauid Regem de adulterio reprehensum & homicidio, Septē diebus pœnitētiā egit 33. q. 2. hoc ipsum. Quāquam,

Leuit. 15. Num. 19 Leuit. 21. Clemēs Alexan. strom. 4. 4. Reg. 5. Ambrosius de sacramentis lib. 1. cap. 5. Leuit. 13. Num. 12 Aug. qst. super numeros. 2. Reg. 12

quam, & illud dici posset quod adnotauit & Cassiodorus Senator, Psalmos pœnitentiæ ad hunc numerum fuisse perductos, quod Septē modis peccata nobis dimitti posse maiores nostri dixerint, primo quidem, per baptismum; secundo, per martyrij passionem; per eleemosinam, tertio; quarto, per hoc quod remittimus peccata fratribus nostris; quinto, cum conuerterit quis peccatorem ab errore viæ suæ; sexto, per abundantiam charitatis; septimo, per pœnitentiam. sed his addenda videtur etiam communicatio corporis, et sanguinis D. N. I. Christi, cum tamen digne suscipitur. Inueniuntur & alij fortasse modi remissionum. congruit. n. vt numerum supplicationis nostræ indulgentia diuina transcendat; sed tamen Ecclesia plurimum Septenario numero tribuit, eoque maxime vti solet ad optandam diuinam gratiam: Nam Septē dies defunctis iusta persoluimus, quę quidem obseruatio habet auctoritatem qua necessarium pietatis impletur officium, dicente Strabo: Dei cultores Septē diebus exsequias celebrant. et in Ecclesiastico scriptum est, quia luctus mortui Septem dierum; fatui autem omnes dies vitæ eius. Genesi quoq; cap. quinquagesimo. Iahacob fati diem functum, continuo mœrore lacrymis continenter manantibus, Septem diebus prosecuti sunt filij. quem tamen luctū decuplauerunt Aegyptij, quod ab antistite Aug. lib. quæstionum de Genesi scite fuit adnotatum. Adhuc etiam cū Iudith fata subduxisset, luxit omnis populus diebus Septem. D. Ambrosius de fide Resurrectionis: Ergo quia dudum dies mortis inter lacrymabiles aspectus debuit animum inclinare fraternum, qui totum tenebat, nunc quoniam die Septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, a fratre paululum ad communem humani generis cohortationem iuuat deriuare mentem, intentionemq; transfundere. Nos etiam hodie eundem mysticum numerum a funere elato, veteri Christiano instituto obseruamus, Mißas quas vocant celebrari curātes, largasq; eleemosynas pro fato functis effundentes, vt cum Domino conquiescāt, exantlatis vitæ huius ærumnis impatibilibus, vel vt deleantur pec-

Cap. 22.

Cap. 16.

cata, quæ fragilis Homo in hac vita, quæ per Septem dies ducitur, commisit. vel vt anima corpori reconcilietur, quæ carne illiciente peccauit. Ceterum quod ad sepeliendorum ritum spectat, illud apud Veteres seruatum refert Alexander ab Alexand. vt defuncti corpus per interualla conclamatum, propriores affines calida abluerent, deinde vnguentis vngerent, candidoq; amictu induerent, ac diebus Septem seruarēt antequam cremaretur. Seruabatur etiamnum hic dierum numerus a S. P. Q. R. quando suos vita defunctos Imperatores consecrabant, iustaque persoluebant qui honos Apotheosis dicebatur. Mos enim fuit consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs vel successoribus e vita decessissent, quique hoc honore fuerant affecti, relati dicebantur in Diuos. Erat autem tota Vrbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. quippe functum vita corpus rite hominum sumtuoso funere sepulturæ mandabant. Ceream tamen imaginem, defuncto quam simillimam ad ægroti speciem pallidam fingentes, eamque in regiæ vestibulo proponentes supra eburneum lectum maximum atque sublimem: circa lectum vero vtrinque magnam partem diei sedebant, a leua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, a dextra vero Matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestabat. Hæc ita per Septem dies continuos faciebant, Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumque velut ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. Septimo autem die ex hac mortali vita ad celestem patriam migrasse asserebant.

Herodianus. hist. lib. 4.

DE

DE NVMERO IIX.

OCtonarius ita omnium sensibilium cuborum principem locum tenet, vt vnitas omnium numerorum. cum enim vnitas intellectualis sit numerorum abyssies, totiusque multitudinis principium, sola sibi primigenium nomen vindicauit. primus.n.ipsa est trigonus, primus tetragonus, primus pentagonus, prima pyramis, primus cubus, & vt vno verbo complectar, in alijs figuris primum: adeo nihil est in vnitate quod extra producat, cuius non sit eodem quoq; pacto particeps. Verum enimuero cum secari vel diuidi non possit vnitas, nusquam illam in proprijs rationibus sensibilium, aut angulorum, aut laterum metis expressam inuenies. hæc sequentium figurarum, inter quas prima velit nuncupari, nullo se visibili contexit amictu, nullamq; præsefert claram speciem eorum, quorum nomina sibi præsumit adscribi. primus ipsa cubus est sine angulis, ac sine lateribus, tota est angulus, totaq; latus. Quæ vero sine specie, sine vlla partium varietate sunt in vnitate, in sequentibus numeris sensu ipso expressa conspiciuntur, suntque visibili laterum atq; angulorum habitu contecta. Octonarius igitur primus ab vnitate sensibilis est cubus, quare & Vulcano dicatur. Ex primo.n.motu, & dualitate, quæ Iuno est, constat. Nam dualitas ter multiplicata, octonarium conficit cubum, & solidum numerum, vt bis, duo, bis; octo. Neq; hunc trinum ductum Pytagorici transcedunt, quod quilibet numerus in semetipso ter ductus, cubum constituat. Quo fit, vt cubum omni ex parte æqualẽ ex trino radicis ductu facile conspicias; nã cũ dicis bis, duo, bis, lõgitudo primo binario exprimitur; latitudo, secundo; tertio, profunditas: & ita longitudo æquatur latitudini; & vtrique, profunditas. Neq; id solum, sed et anguli siue hos sursum aut deorsum, siue dextra parte aut sinistra, siue quauis alia positione sumseris, sunt æqui. Quanta autem sit Octonarij perfectio vel ex hoc

facile

facile potest excogitari, quando omnis cubus & a senario tegitur numero inter cæteros perfectissimo, & ab ipso vel eius multiplici originem habere conspicuum est. Dispositis enim continue ab vnitate senario, & senarij multiplicibus, ijsq; continue simul iunctis, oriuntur omnes numeri primi vnitate senarij multiplicibus maiores: hisq; rursum continue simul additis surgunt continui cubi.

Senarij multiplices,	1	6	12	18	24	30	36	42
Numeri primi ex eis facti,	1	7	19	37	61	91	127	169
Cubi ex numeris primis.	1	8	27	64	125	216	343	512

Præterea demto a quolibet cubo, quotiens potest senario: aut id quod relinquitur latus est cubi, aut additus ei senarius, aut senarij multiplex, latus gignit cubi. Si uero nihil ex diuisione supest, aut senarius, aut eius multiplex erit cubi latus. Ab vnitate .n. primo cubo, nulla facta senarij subtractione, superest vnitas, quæ est & latus vnitatis. Ab eo numero, quem in manibus habemus, demtus semel senarius, residuum facit binarium, Octonarij cubi latus. Tertius cubus 27. senario diuisus, ternariũ suum latus relinquit. Quartus 64, quaternarium suum latus. Quintus 125, quinarium relinquit. Sextus 216, nihil. eius .n. latus est ipse senarius. Post sextũ autem cubum vsq; ad duodecimum, residuis numeris additus semel senarius, latera cuborum profert. A duodecimo ad decimum octauum cubum, residuis senaria diuisione numeris, bis est addendus senarius ad elicienda cuborum latera, et ita crescendo continue pergas, secundum series & senarias cuborum reuolutiones, & habebis propositi cubi radicem. Redeo ad Octonarium, qui non solum solidorum primas tenet, verum etiam primus omnium in numeros ita soluitur pariter pares, hoc est, in bis quaternos, vt nihilominus in numeros æque pariter pares ipsa quoq; diuisio dissoluatur, idest, bis binos; rursusq; qua æqualitate resoluitur, eademquoq; componitur. namque bis bini bis octonarium constituunt. Cum ergo & compo-

sitio

sitio ipsius pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter redeat vsq; ad vnitatem, quæ diuisionem pro arithmetica ratione non recipit, iure optimo Pythagorici iuxta suæ disciplinæ morem, hoc nūmero Iustitiam comprehendebant, quod Iustitia sit æqualis pro cuiusq; meritis distributio, fundamentumque firmissimum ciuitatis. Nec aliam ob caussam Deus dicitur Iustitia, nisi quod linea recta infinita primo circulum, deinde triangulum faciens, ex tryade venit in tetractyn. Vnde si trigonum est perfecte, est necessario quadratum. & hinc Octonarius ex Pallade, & Amore, i. ex verbo & spiritu genitus, diuina quadam ratione consurgit. primo quidem in vnū, duo quinq; diuisus, deinde in quindecim multiplicatus, ac nihilo diminutus, sed auctus in quaternarium a se ipso circulum facit primum, quæ figura solius Dei est. Hinc Orpheus quotiescunq; diuinam volebat obtestari iustitiam, per Numina Octo iurabat, quæ rerū summæ imperare dicebat Euander, Ignem scilicet, Aquam, Terram, Cælum, Lunam, Solem, Mithram, & Noctem. Mithran aūt Persæ idem cum Sole existimant. vt. n. scribit Strabo, Deos octo venerabantur Persæ; Cęlum, quem Iouem putabant, Solem, quem Mithran vocabant, Lunam, Venerem, Ignem, Tellurem, Ventos, & Aquam. In Aegypti aquoq; columna in signum iustitiæ posita Octo Deorum nomina notabantur inscripta, Saturnus, Rhea, Osiris, Spiritus, Cęlum, Terra, Nox, Dies. Etiā Deos Octo esse prodidit Xenocrates Chalcedonius, de quibus commeminit Cicero lib. 1. de natura Deorum; quinq; scilicet in stellis vagis, vnum qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cęlo sunt, septimum Solem, octauum Lunam constituens. Neque illud quidem ignoretur oportet, Octonariū in diuinis oraculis signum fuisse iustitiæ, cuius rei argumentum est Nohe, qui & Octauus, & iustitiæ præco nuncupatur. Hunc numerum ob Iustitiæ Sacramentum Ioui sacrum fuisse perhibent prisci Theologi. Matriquoq; Deum Cybele dicatur, cui omnis cubus attribuitur. Plutarchus illum Baccho, seu Dionysio adsignat, quod Octauo mense in lucem editus esset, cuius rei sempiternum est illud

Gen. 6. 7. 2. Petri 2

testi-

testimonium. Naxos.n.insula illi dicata, hanc prærogatiuam obtinuit, vt solæ Naxiæ Mulieres Octauo mense salutariter pariant, fœtusque vitales edant, cum vbique fere gentium omnes eo mense geniti intereant, et manifesto etiam versentur in periculo. quare Saturno atq; Parcis illũ constituerunt. Ad huius numeri cõmendationem illud item afferri solet quod ab Arithmeticis primus actu quadrans fuit nuncupatus, omnibusq; numeris, sicut et senarius, dictus perfectus, & qui terminant in illis, qui vero ab his defecerint, imperfecti iudicantur, quod in infinitum semper hi duo senarius scilicet, & Octonarius diductionẽ ęqualitatemue recipiant. Illud quoque relatu dignum videtur, quod hunc numerum vsurpauit antiquitas, cui nihil alicui rei deesse significaret, aut cum multa inter se viderentur similia Λ'παντ'όκτώ, idest, Omnia Octo, dicentes. quod prouerbium fuisse videtur, atq; hinc natam esse paroemiam putant. Stesichori poetæ conditorium, magnifico exstructum impendio, ex octonis constabat omnibus, Octo columnis, Octo gradibus, Octo angulis: Cuius meminit Iulius Pollux agens de lusu taxillorum, quem dicit numeris constare, in quibus vnus sit, qui stesichorites appelletur, nimirum octo, idque cognominis sumtum ab eius monumento. Alij rursus in Olympijs octo fuisse certaminum species testantur; atque inde ductum adagium: Omnia Octo: Delectatum apparet hoc prouerbio Heliogabalum imperatorem, cui morem hunc fuisse scribit Aelius Lampridius, vt simul ad cenam vocaret Octo caluos, Octo luscos, Octo podagrosos, Octo surdos, Octo nigros, Octo prælongos, & Octo præpingues & obesos. Sunt etiam qui dicant Haletem, qui Corinthios in vnam ciuitatem coegit, ciues vniuersos in Octo tribus, & in Octo partes vrbem distribuisse, atque hinc ortum fuisse vulgi sermonem. Præsens numerus in diuinis scriptis, nouum testamentum, futuræ resurrectionis diem, & æternam bonorum requiem, quæ post Mundi consumationem in animabus et corporibus glorificatis est futura, demonstrat. Quod quidẽ volens preceptor noster IESV

Libro 9. Lusus talari[9] Stesichori[9].

X Disci-

Cap. 9. *Discipulis aperire, sic eos allocutus perhibetur in Euangelio Lucæ: Dixi venturum filium hominis in gloria patris sui, & existimatis me narrare fabulas. quoniam ergo inefficax fuit oratio, res docebũt. Sunt aliqui homines stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. factum est autem post hæc verba fere dies octo, assumsit IESV Petrum, & Iacobum, & Iohannem fratrẽ eius, & duxit illos in montem excelsum, & transfiguratus est corã eis, & mutata est eius forma, & cum lucis induisset tunicam, fulguris præseferentem speciem ostendit aspectum, Octonario dierum calculo verum tempore surrectionis gaudium venturum docens. Nam & ipse post sextam sabbati, qua crucem ascendit, & septimã sabbati, qua in sepulcro quieuit, octaua die surrexit a mortuis. Et nos post sex huius seculi ætates, quibus pro Domino pati, & elaborare gaudemus, & septimam sabbati quietis animarũ, quæ interim in alia vita geritur, Octaua resurgemus ætate. Sed quid dicemus cũ Marcus & Matthæus veluti vno ipso ore loquentes, dicant post sex dies transfiguratum fuisse Dominum? Ad hoc beatus Lucas responderet: Nec temporis ordine, nec mysterij ratione discrepant, quæ a me & ab illis dicuntur. illi. n. die prætermisso, quo id quod paullo post erat a Verbo faciendum, Apostolis communiter est prędictum, & illo rursus in quo id quod prędictum est, Verbum fecit admirabili quoddam modo: eos, qui sunt inter duos, primum inquam & vltimum, vel potius inter primum & octauũ, numerãt. qui quidem sunt aperte sex, quibus si duos iunxeris, principium et finẽ coniungens medio, habebis sine contradictione quod quæritur. Inde etiam illi absolute post sex dies factũ memorant: ego vero primum, quo Dominus hęc promisit, et vltimum quo promissa cõpleuit, adiungens, temperantius posui, Octo fere dies. Et in rõne mystica illi post sex Mundi ætates Sanctis ab omni labore quiescendũ: ego autem tempore Octauo surgendum esse designo, quando. s. finita seculi hebdomada, Dominus venerit ad iudicandum Mundum. Inde etiam Psalmista, resurrectionis diem considerans, quia de extremi iu-*

Mar. 9. Matth. 17. Aug. de con. euã. lib. 2. De doct. ch. lib. 3. De q. euang. cap. 7. Iohã. Chrisos. i Matth. 17.

mi iudicij districtione erat locuturus, præmisit titulum dicens: In finem Psalmus Dauid pro Octaua. Vt.n. quam octauam diceret, demonstraret, diem illam tremendi terroris in Psalmi inchoatione secutus est in hęc verba: Domine, ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. modo.n. quisquis per flagella corripitur, & in correctionibus emendatur, in mansuetudine corripitur, nō in ira. in districto autem illo examine omnis argutio atque correctio ira est, quia venia post correctionem non est. Per sex igitur ætates, quibus licet operari, precibus est insistendum, ne in Octauo retributionis tempore a iudice corripiamur irato. Infinita porro sunt huius numeri sacramenta; sed quia Hilarius præfatione Comm. in Psalmos, et in Psal. 118. D. Hieronymus in expositione libri Eccl. & Ambrosius epist. 39. & in explanatione Lucæ Euangelistæ, vbi Dominus in monte transfiguratus est, & Aur. August. de sermone Domini in monte. vbi de Octo beatitudinibus disseruit, diuinā illā quietem, & summam beatitudinem designantibus; adeo diligenter & accurate de eo locuti sunt, vt si dicta illorum in vnam seriem colligantur, vix possint logissimo volumine comprehendi, mihi breuitati studenti, de hac Octaua tantum erit disserendum. nam quod lectori placuerit, ex his eligere licebit, cū huiusmodi viros aduocare sufficiat. Hæc igitur Octaua dies est, de cuius sacramento, & oīum nationū in Christo fide, Octauus quoq. Psalmus incipit: Domine Dominus noster. Octauum autem diem non recipit Mundus; sed finito septimo ad primum vt redeat necesse est, quod Octaua ad æternam requiem pertineat. Octonarius (inquit Nic. Cusa,) semper est reiteratio post complementum. hic Mundus septem ætatibus rotatur in Octauam. sunt septem spiritus Dei, quibus mouetur spiritus noster, vt in Apoc. & omnium consummatio est per septem, & renouatio in Octaua, vt in harmonia, quia Octaua repetit primam. Hinc Philolaus Pythagoræus harmoniam geometricam vocabat Octonarium, quod in eo cünctæ rationes conuenire viderentur. Nam apud Pythagoræos septenis harmonicis

Psal. 6.

D. Hier. Vide Io. Damascenum Orthod. fidei lib. 4. cap. 24. Psal. 8. Cassiod. Sen. ī ps. 11. Nic. Excit. lib. 3. Alleluia dies.

modis absoluitur quæq; consonantia, eoque cum ad septimum peruentum est, ad primum redit progressus. quare in modorum Octonario initium, & finis vnũ sunt; in septenario autem, nequaquam. Progressus autem ab eodem in idem, circularis est, isque cum perfectionis sit argumentum, nobis facile exprimit progressum a Deo in creaturas, qui a creaturis rursus in Deũ resilit et reflectitur. Idem est a veritate ad imaginem ipsam in suam veritatem referens: progressus autem a veritate in imaginem, qui septenario exprimitur, nẽpe in quo finis & principiũ non sunt vnum, semicirculi est et imperfectus. nam præterquam quod imaginem suum nactus est terminum, est prioris sola portio. non itaque ab re vetus instrumentum, quod noui vmbra & imago, septenario exprimitur; nouum autem veritas, Octonario. Adeo veteris instrumenti homines imaginibus hærebant affixi, ne illas quidem in suum referentes auctorem, & finem. at diuino incarnati verbi detecto mysterio, summa veritas, vnitasque septenario adiuncta, septenarium in Octonarium commutauit. Nec ab re quidem humanam septenario expresßam assumsit naturam, quo plenius ac perfectius vmbratilem sepenario expressam imaginem, in suam transferret veritatem, qua parte Iudiasmum, ritum item Gentilium, quique solis hærebat imaginibus, in veram Dei latriam commutauit, & sacrificiorum vmbratilium multitudinem septenario expressam, in vnum verisimi, & immaculati agni commutauit sacramentum, in quo quæque omnia complectuntur sacramenta, eoque mediator veteris, & noui testamenti factus est, mediator nihilominus Dei & hominis, vitæ præsentis & futuræ. Quod quidem est argumento, nobis de hac vmbratili vita transeundum ad veram & immortalem vitam. Quemadmodum enim angelicus intellectus purus est, & per se subsistere natus extra corpus: Ita & humanus intellectus in corpore subsistere natus est. Cum igitur humani intellectus natura subsistat in corpore, non debet natura extra corpus esse, neque disiungi aut a corpore segregari. Nam quod

extra

extra corpus animam degere firmissime credimus, huius caussa fuit peccatum, quod præter naturam est. quare iterum etiam cum sit immortalis & incorruptibilis, natus est corpori restitui, vt in proprio gradu & suapte ipsius natura subsistat semper. Facta sunt .n. & creata vniuersa ab omnipotenti Deo, vt eo modo subsistant, quo nata sunt esse; nec statuit, aut vult Deus quidquam in rerum natura inane, vel ociosum. Atqui nata est rationalis anima, vt sit & saluetur in corpore, vt pote cui multæ vires insunt, quas nisi corpori addicta & conglutinata nequit exercere. nam si verum est, prout verum est, animæ nostræ substantiam conditam esse in æuo, numquamue interituram, aderunt illi semper siue in corpore, siue extra corpus vniuersæ vires ipsius, naturalesque potestates; extra corpus autem subsistenti plurimæ eius vires ociosæ relinquuntur, vt quibus desunt ipsa subiecta, & organa, & exercendarum naturalium operationum facultates, veluti sensitiua, et imaginatiua, ad quas duntaxat in subiecto corpore exercendum nata est anima. Et cum omnis naturalis animæ vis, & potentia sit propter operationem, quæ ab ea proficiscitur, debet & naturalis potentiæ sempiternę semperque manentis, sempiterna continua, & iugis esse operatio; alioquin (quod contra naturam est) vis animi inanis, atque ociosa manebit. Licet enim illæ animę vires, quæ sunt in aliqua parte corporis, & quę, vt perficiant suas functiones indigent organis corporis, animam non consequantur emigrantem e corpore; omnino tamen in ipsa anima potentię istę penitus manent, tanquam in radice. Futurum est igitur post sex huius seculi ętates, & septimam sabbati, in qua noster intellectus a corpore segregatus quiescit, vt resolutum in atomos corpus, Octaua ætate, pristinam corporis formam recipiat, fiatque rursus æternum animæ domicilium. cui confine esse videtur illud Platonis de Repub. libro 10. vbi Herus Armenius genere Pamphilius animas refert, cum in prato dies Septem requieuerint, oportere Octauo surgentes die illinc recederre. Quod a Sancto Moyse creditur desumsisse,

vt sunt pleraque mysteria ad Ethnicos quoq; delata. Hoc quippe fuerat præfiguratum in Circuncisione, quæ Octauo die a natiuitate fiebat. Nam per membrum, quod circunciditur, mortalis propagatio generatur, Et quia in resurrectione nec matrimonium contrahunt, nec elocantur, nullaue carnis agitur propagatio, nullaue successio, sed sunt omnes, sicut Angeli Dei in cælo, ideo die Octaua præputium amputari cautum erat. Est & alia caussa cur Circuncisio fieri pręcepta die Octauo, nempe ad insinuandum Sanctorum corpora in die resurrectionis extremæ ab omni prorsus labe corruptionis emundanda, et immortalitatis atq; incorruptibilitatis gloria condecoranda. Tunc sane creatura ipsa liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Tunc itidem Saluator noster reformabit (vt ait Paulus) corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Deniq; tunc corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Non est tamen illorũ spernenda consideratio, qui circũcisionem dicunt figuram fuisse Baptismatis. Quemadmodum.n. Circuncisio non vtile membrum amputabat corporis, sed superfluitatem, inutilem; sic per sanctum Baptisma a peccato circuncidimur. Manifestum autem, quod peccatũ, superfluitas concupiscentiæ est, & non necessaria concupiscentia. Impossibile.n. est quenquam nullo modo concupiscere, aut tandem sine gustu voluptatis esse. Sed quod inutile est voluptatis .i. inutilis concupiscentia & voluptas, hoc est, peccatum: idipsum est quod circuncidit sanctum Baptisma, præbens nobis signum honorabile, crucẽ in fronte: non a Gentilibus discriminans nos. (nam omnes fere Gentes Baptisma consecutæ sunt) sed in vnaquaque gente fidelem ab infideli distinguit. Veritate igitur apparente, inutilis figura, & vmbra, quare superflua nunc Circuncisio, et contraria sancto Baptismati. Ex quo.n. Christus baptizatus est, & Spiritus sanctus hominibus in similitudinem columbæ apparuit descendens super eum in Iordane, ex tunc spiritualis cultus & conuersatio, & cęlorum regnum prędicata sunt. At vero ante Baptisma, vt impleret & sisteret legem

Gen. 17. 21.
Leuit. 12
Matt. 22.
Rom. 8.
Philip. 3.

gem Dominus, in se voluit Circuncisionis aptari signaculum. Vt.n. in Euangelica historia cap. 2. scribit D. Lucas, postquam consummati sunt dies Octo, vt circuncideretur puer vocatum est nomen eius ΙΗΣΟΥΣ. *Vbi illud nobis annotandum occurrit, quoniam si verba spectemus Euangelistæ, significari videtur circuncisum esse Christum transactis Octo diebus, id est, nono die. At non est hic eorum verborum intellectus. neque.n. in Circuncisione violare voluit Christus legem Moysis; sed est modus quidam loquendi sacræ paginæ significans postquam aduenit Octauus dies, in eo die Christũ fuisse circuncisum. Quemadmodum & Matthæus facit Iudæos dicentes Pilato, Christum dum viueret dixisse resurrecturum se a mortuis, post tres dies, pro eo quod est, tertia die. Sic Marcus narrat Christum dixisse, filium hominis resurrecturum post tres dies. At Lucas cap. 9. & Matthæus cap. 16. idem cõmemorantes, scribunt dixisse eum tertia die. Spectat etiam ad Octonarij mysteria discutienda, quod filij Dei nomen vocatum est* ΙΗΣΟΥΣ. *huius .n. nominis non tantum etymologia, sed & ipse, qui litteris notatur numerus, perpetuæ salutis nostræ mysteria redolet. nam si respicis etymon, Octo absolute continet elementa. interpretatur.n. SALVATOR: si vero greci nominis numeros spectes, numerum habebis diuinæ resurrectioni congaudentem. Huius.n. numeri sunt I, 10. H. 8. Σ. 200. O. 70. Y. 400. Σ. 200. Qui in vnum redacti, efficiunt 888. Octo scilicet vnitates, Octo decadas, Octo hecatontadas. quemadmodum a Sibilla Cumana fuerat pronunciatum his versibus ex græco in latinum conuersis.*

Matth. 27.

Cap. 8.

Luc. 2.

Beda libro 1. Com. in Lucam.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus patris omnipotentis,
Corpore vestitus. Vocales quattuor autem
Fert, non vocalesq; duas binum Geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa, docebo.
Namq; octo monadas, totidem decadas super ista,
Atq; hecatontadas octo, infidis significabit
Humanis nomen: tu vero mente teneto
Aeterni natum Christum, summiq; parentis.

Sibillinorũ oraculorũ li. 1.

Hoc igitur diuinum nomen Octonis absoluitur elementis; quia resurrectionis exemplum in se mortalibus Octaua die resurgendo prestitit. Continet & decuplata, quia legis decalogus quomodo debeat impleri, suæ nos resurrectionis figuris instituit. Continet & centies ducta, quia gloria suæ resurrectionis ostensa, quæ nos in futurum sequatur retributio præmonstrat. Centenarius namque numerus, qui post tot in læua cursum numerorum, primus dexteram petit, illius nimirum seculi gaudijs figurandis aptissime congruit. Perfectorum autem cumulatio numerorum vnitatis scilicet, Denarij, & Centenarij firmitatis indicium est, auctore Beda. Hec de Octonario castigatius, quam se copia suggerebat.

Com. in Luc. c.2.

DE NVMERO IX.

Nouenarius numerus ad Denarij non accedens perfectionem, sed vnitate minor, citra illum deficiens, rerum & operum imperfectionem ac diminutionem designat; mortalibus potius & rebus seculi competens, quam diuinis. Exhodi cap. 22. Decimas et primitias Deo offerri præceptum, nouem vero partes retineri. Quod ergo primum est, & decimum Deo offertur; quod Nouenario mensuratur, retinetur. quia reuera cuiuslibet boni operis inchoatio, & complementum, ac perfectio, Deo sunt ascribenda. quoniam sine Diuina gratia nullum bonum opus perficitur, aut completur. ipse enim Dominus operatur in nobis velle, & perficere. nec sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nouem igitur partes, idest, quæcunque imperfectio nobis est retinenda, & nobis ascribenda. Docuit hoc pater familias apud Euangelistam, qui hora Nona inuenit ociosos in foro. Legens diuina oracula vix, aut nunquam Nouenarium laudabiliter positum inuenies.

Leuit. 27

Philip. 2.

2. Cor. 3.

Matth. 20.

uenies. Considera Symeonem filium Iahacob in Aegypto detentum, & Nouem fratres eius dimissos vt reuerterentur ad Patrem, quorum diminutum numerum dum specularetur magnus ille Scriba, non dixit eos ascendere ex Aegypto, quod ad hoc reor spectare mysterium. si.n diligentius consideremus, inueniemus, quia nunquã fere in sanctum locum quis descendisse refertur; nec ad vituperabilem conscendisse memoratur. Nam de ciuitate sancta Hierusalem, quæ pacis visio interpretatur, scriptum est: Ecce ascendimus Hierosolimam. Contra in Aegyptum (ea Mundus dicitur, in quem Dominus descendisse in carne memoratur) qui ex semine Abraham nascuntur, descendiße scriptum legitur; & rursum filios Iahacob ascendisse de Aegypto. Et de ipso Abraham sic dicitur: Descendit Abram in Aegyptum. item: Ascendit Abram de Aegyto ipse, & vxor eius. Tum deinde, & de Isaac dicitur; quia apparuit ei Dominus, et dixit ei, non descendas in Aegyptum. Adhuc: Videns, inquit, Iahacob, quia est commercium frumenti in Aegypto, dixit ad filios suos: Vt quid desides estis, ecce audio quia est frumentum in Ægypto, descendit illuc. Et paullo post dicitur, quod descenderunt decem fratres Ioseph in Aegyptum comparare frumentum; cum autem dimissi reuerterentur ad patrem, eo quod, detento Symeone, Nouem essent, non est scriptum, quod ascenderint ex Aegypto; sed: Imponentes, inquit, frumentum super asinos suos, abierunt. Quæ de ascensione, & descensione dicta esse volui, quo diuinam paginam non inerudito sermone compositam; sed secundum disciplinam diuinæ eruditioni accomodatam; neque tantum historicis narrationibus, quantum mysticis rebus, præcipue numeris, inseruire dignoscas. Pascha immolat populus, & alias celebrat festiuitates. omnis eius solennitas octauo absoluitur die, nec ad Nonum peruenit. Qui agnum Paschæ parant, transacta die Nona incipiunt præparare. Dies denique propiciationis, & expiationis mensis septimi, post diem Nonam celebratur. Nouenarium numerum non in bonam partem accipi, & quartus Regnorum

Gen. 42. Origenes i Genes. lib. 15. Matt. 20. Gen. 45. Amos 2. Gen. 12. Gen. 13. Gen. 26. Gen. 42. Gen. 42. Gen. 42. Exho. 12. Leuit. 16. 23.

Ier.39.& 52. *rum liber, & Ieremiæ narrat historia. in hoc enim obsessa, & expu*
2. Reg. 25. *gnata Hierusalem a Nabuchodonosor rege Babylonis. Anno No-*
4 Reg. 18. *no regni Osee, Salmanasar Rex Assyriorum Sammariam cepit, du*
cens populum Israel in Assyrios captiuum. Die Nona mensis Iulij
vtrumque templum dirutũ, atq; euersum. ideo apud Iudæos infau-
D.Hier.i Aggęũ.2 *stus, et ater nuncupatus est Nouenarius. Apud Aggæum, quia pro-*
phetia de immundicia populi futura erat, secundo anno Darij No-
2. Reg. 24. *nus mensis iungitur. Taxatur hic numerus libro Reg. secũdo, quan*
Exho.30 *do peccauit Rex Dauid populum mandans dinumerari absq; sicli di*
midij collectione. dicitur.n.quod Ioab, lustrata vniuersa terra, ad-
fuit in Hierusalem post Nouem menses. Indicabat autem hic nume
rus subsecuturam pœnam. Quare tria leuat Dominus super Regẽ,
vt vnum ex tribus eligat. D. Hieronymus exponens illud Ezechie-
Ezech. 24. *lis: In anno Nono, decimo mense, decima mensis: Nouenarius, inquit,*
pœnarum, & dolorum numerus est, & semper sequitur iustitiam,
4. Reg. 25. *& decimi mensis, & diei decimæ clementia temperatur. idcirco.n.*
adhibentur ægrotantibus pœnæ, vt dolorem sanitas consequatur.
Psal. 9. *Homerus omnis doctrinę artifex, cum sua scripta omni doctrina-*
rum varietate sparsisset, ne desideraretur quasi sacratior eruditio,
mystica etiam numerorum obseruatione decorauit, quem prę mani-
bus habemus Nouenarium semper adhibens ad res tristes, hominiq;
infestas. Sciens.n. hunc numerum pœnę ac castigationi addictum.
Iliad. Rhapsodia prima Nouem diebus sagittę Apollinis Gręco-
rum exercitum peruaserunt, pestem & interitum inferentes.

Nouem diebus per exercitum ibant sagittæ Dei.

Vlyssee Rhaps. vndecima, Tityus ob improbitatem, temerariam-
que libidinem deiectus ad inferos, atq; illic ligatus & prostratus,
iugera nouem terrę cooperire fingitur. vt ex Virgiliana tralatione.

Nec non & Tityum terræ omniparentis alumnum
Virg. Aen. 6. Cernere, erat per tota Nouem cui iugera corpus
Porrigitur.

Vbi vero Vlyssem Neptuni fluctibus, furentibus austris, iacta-

ctatum

ctatum fuiſſe deſcribit, ſic inſenſo hoc fere ſemper vſus eſt Nouenario, vt denarium hinc tandem ſtationi conſecrarit, hęc carens Vlyſ. Rhap. ſeptima, vt interpretatus eſt Simon Lemnius.

Naufragus ipſe ratem cepi, latera ardua prendens,
Brachia iactando, per cęrula naue ferebar.
Namq; Nouem errabam cęca caligine ſoles,
Per pelagus raptus, totidem ſine ſidere noctes.
At decima tandem luce me ligno vagantem
Ipſe Deus quicunq; fuit, miſeratus arenis
Appulit Ogygiam curſu, fluctuq; per vndas,
Seruatum ex pelago triſti me littora primum,
Ogygia accipiunt, peregrino nomina dicta,
Inſula in ingenti ponto, quam ſęua Calypſo
Pulcra comas habitat.

Vlyſ. Rhap. 9.

Hei mihi, tum patriæ tetigiſſem littora terræ
Incolumis, ſi non aquilo fluctusq; feroces,
Aequoreęq; vndę, Maleę ſub curua ſequacis
Saxa retorſiſſent, triſtiq; errore Cithera.
Lucibus inde Nouem varijs freta concita ventis
Ipſe lego, curſu piſcoſa per æquora vectus.
Lotophagum decima tetigi ſub luce carina
Proſper humum, virides qui carpunt frondibus eſcas
Florigeris alacris, terramq; intramus ab vndis.

Vlyſ. Rhap. 10.

Lucibus inde Nouem vaſtum trabe currimus æquor,
Nocte dieq; ſimul remos lentamus in vndis.
Proxima poſt Nonam cum ſeſe aurora moueret,
Tum procul e fluctu patriæ mihi cernitur ora,
Atq; Ithacæ decima ſe tollunt littora terræ.

Vlyſ. Rhap. 14.

Lethiferis ventis & tempeſtate ferebar,
Perq; Nouem ſoles rapiebar flamine diro:
At decima vnda rotans Theſprotum ſiſtit in oris,
Nocte ſub immenſo fluctu, cęciſq; tenebris.

Etiam ad huius numeri naturam indicandam ſpectare videtur, quod idem Homerus Iliad. Rhapſ. 6. de armorum Diomedis, & Glauci commutatione cantans, Nouenario tanquam deterioris conditionis numero vſus eſt.

Sic

Sic vociferantur ab equis descendentes,
Manusq; mutuo acceperunt, & fidem dederunt.
Tunc Glauco Saturnides mentes abstulit Iuppiter,
Qui ad Tydiden Diomedem arma mutauit
Aurea æreis; centum ducatorum Nouem ducatorum.

Est autem huiusmodi historia. Diomedes Græcus, & Glaucus Troianus cum in medio pugnæ feruore inter se obuiam facti essent, vterq; magna sui fiducia fretus, in eoq; iam essent, vt manu conserturi viderentur, inuicem (vt fit) sciscitantes alter alterius genus & patriam, amicitiam tandem hospitiumq; auitum agnouerunt; quo facto cum pugnare nollent, atq; ideo diuersi abire cępissent, ibi Diomedes Glaucum ita alloqui cœpit. Heus tu quin arma inuicem commutamus, vt omnibus his innotescat paternum auitumque hospitium nobiscum intercedere? Quo dicto confestim ex ęquis desilientibus illis, & mutuis complexibus accepta dataq; fide, in tantam amentiam Glaucus Ioue mentē eripiente, prolapsus est, vt arma aurea, ac centum bobus æstimata, æreis armis Nouemque bobus æstimatis continuo immutaret. Huius autem Diomedis & Glauci inæqualis permutatio prouerbio locum fecit, quoties deteriora melioribus reddita volumus significare. Nec tandem a mysterio vacat quod apud eundem Poetam Græci Nouem annis mala machinati sunt Achiuis, tentantes omnibus dolis. nouerat enim Marti dicatum esse Nouenarium, quare hæc canit. Vlyssęę Rhapsodia 3.

Annis namq; Nouem celsæ prope Pergama Troiæ
Nexuimus fraudes Phrygibus per Dorica castra.
Obruimusq; illos pugnis.

Quemadmodum Gręcis Chalchas prouidus augur ex serpentis portento in Aulide prædixerat, de quo Naso sic cecinit lib. 12. Metamorph.

Hic patrio de more Ioui cum sacra parassent,
Vt vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere cęruleum Danai videre draconem
In platanum cęptis quæ stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summa,
Quas simul & matrem circum sua damna volantem

Corripuit

Corripuit serpens auidaq; recondidit aluo.
Obstupuere omnes. at veri prouidus augur
Testorides vincemus, ait, gaudete Pelasgi:
Troia cadet. sed erit nostri mora longa laboris:
Atq; Nouem volucres in belli digerit annos.

At diuina oracula redeamus. Nonus Psalmus illorũ primus est, qui aduentũ Antichristi prophetãt, cuius os maledictione, et amaritudine plenũ, et sub lingua eius labor, et dolor. In eo rursum sacratissimus Domini aduentus exponitur, quãdo Dominus iudicabit Orbẽ terræ in æquitate, et populos in iustitia. Numerus etiã præsens illud occultũ aperire probatur, quod hora Nona Dominus noster IESV Christus sanctum emisit spiritũ. Circa horã quippe Nonã, cũ inclinata iam esset ad vesperam dies, & tepefactus a meridiano feruore radius Solis, mysterium victoriosissimæ passionis consummauit, euidenter se insinuans, propter auferenda scelera, quibus a Diuina luce & dilectione in huius mortem peregrinationis incidimus, crucis subijsse patibulum. Quare inter alia etiam de passione Dominica Psalmus loquitur Nonus, per calculum suum transitus eius horam annuncians, quando etiam Crucis ipsius noscitur narrasse mysteria. Quod si D. Athanasium sequi voluerimus, in hoc Psalmo est Angelorum demonstrata pernicies, cum dicitur: Increpuisti gentibus, & perijt impius. Nam vt in Canonicis decretis legitur, quod Nouem hebdomadibus, Alleluia, intermittimus, non incongrue per Nouem hebdomadas, Nouem Ordines accipimus Angelorum, quorum decimus, per superbiam corruens, Angelicum numerum minuit, & a felicitate perturbauit. item August. sermone de Decimis: Hæc est, inquit, Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, & tu ad decimam reuocaberis, hoc est, ad Dæmones, qui sunt Angelorum pars decima, associaberis. Tractans Salonius locum illũ in Ecclesiaste: Sapientia confortabit sapientem super decem principes ciuitatis: Sapientia, inquit, in hoc loco Iesum significat, qui est virtus et sapientia Dei. Decem principes ciuitatis sancti Angeli sunt intelligendi, qui sunt princi-

[Margin: Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. — De Con. dis. 1. c. Hi duo. Rubert. Tuitiẽ. li. 12. in Iohan. — 16. q. 1. Decimę. — Cap. 7.]

pes

pes ciuitatis, id est cęlestis Hierusalem, sunt & principes Ecclesię, quia ipsi quotidie regunt eam & custodiunt. Decem autem dicuntur, quia decem fuerunt ordines Angelorum, sed vnus cecidit per superbiam, & idcirco boni Angeli semper ad hoc laborant, vt de hominibus numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum, id est denarium; sed quia maius est auxilium sapientiæ.i. Iesu Christi, quam sit Angelorum, ideo dicit quod sapientia confortat super decem principes. Est eiusdem sententię Gul. Durandus, hæc scribens libro Diuinorum officiorum: Nouem sunt Ordines Angelorum, qui, postquam decimus cadens propter superbiam, versus est in Diabolum, in perseuerãtia æternæ beatitudinis solidati sunt. Ad istius ruinæ mentionem spectare videtur quod in Apocalypsi legitur: Decima pars ciuitatis cecidit. Hinc etiam illud exstitit, tot fore saluandos homines, quot Angeli ceciderunt; quod Angelorum ruina per Hominem sit restituenda, vt Psalmo habetur nono supra centesimum: Iudicabit in nationibus implebit ruinas. hoc apertius declarasse visus est cęlestis hominum magister Christus, cum de illis, qui ad cenam vocantur, inquit: Compelle eos intrare, vt impleatur domus mea. sic.n. hũc locum Doctores aliquos explicasse legimus: Quia Lucifer cum subditis sibi, & desertorijs prolapsus locum vacuum reliquit, eum a nobis in ipsius gradum, atq; ordinem per virtutem impleri necesse, iuxta parabolam decem drachmarum apud Euangelium Lucæ. Og rex Basan, qui typus est diaboli, mystice Nouem cubitorum in longitudine fuisse describitur Deuter. cap. 3. Og.n. secundum quod nominis interpretatio notat, congregans dicitur vel absconditus. quo Diabolus ipse, qui hominum peccata tanquam lapillos assidue in vnum congregat, & in pectoris abscondito iugiter reseruat, non inepte repræsentatur, iuxta illud Psalmographi: De absconditis tuis, hoc est, hominum peccatis, adimpletus est venter eorum. In cuius figuram, cum filij Israel desertum pertransirent, ad hunc Regem nullum miserunt nuncium; sed continuo illum sine fœdere, sine interpellatione, aut communicatione aliqua

[Margin notes: Cap. 11. — Pet. Lób. sent lib. 2 dis. 9. — Psal. 109. — Luc. 14. — ...us fenator in Ps. — Cap. 15. — Psal. 16. — Num. 21.]

qua interfecerunt. quoniam Pauli testimonio, nulla Christi cum Belial, nec militum Christianorum cum Dęmonibus, sicut nec iustitiæ cum iniquitate, aut lucis cum tenebris habenda est communicatio. Nec est quod quisquam miretur quoniã Regẽ dixerimus figuram tenere Diaboli, cum audis ipsum etiam Dominum & Saluatorem nostrum, in Euangelio de eo dicentem: Ecce nunc venit princeps huius Mundi, & in me non inuenit quidquam. Et iterũ: Ecce nunc princeps huius Mundi mittetur foras. si ergo totius Mundi princeps esse in Euangelio dicitur, haud absurdum videri debet, si Og, Regi comparatur. Princeps.n. dicitur Mundi, non quia Mundum creauerit, sed quia multi sunt hoc in Mundo peccatores. Peccati autem quia ipse princeps est, ideo etiam Mundi princeps appellatus est. Neq; sine magni significatione mysterij Satanæ addictus est Nouenarius. nam & illustres Theologi malos Dæmones in Nouem gradus distribuunt, quoniam aliqui Dæmonum gradus pseudothei, hoc est, falsi Dij appellantur, qui assumto diuinæ maiestatis nomine, pro Dijs coli volunt, sacrificia, & adorationes expetunt, sicut Satan ille, qui ait ad Christum: Si cadens in terram, adoraueris me, dabo tibi hæc omnia. ostendens illi vniuersa Regna Orbis terrarũ. atq; horum princeps est ille qui dixit: Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo. hos secundario sequuntur spiritus mendatiorum, cuiusmodi fuit ille, qui egressus est spiritus mendax in ore Prophetarum Achab. tertio loco censentur vasa iniquitatis, qui spiritus sunt inuentores malorũ, omniumque artium prauarum, qualis apud Platonem fuit Teut illę Dæmon qui ludos, et aleam docuit. eos Psalmographus vocat Vasa mortis; Esaias vasa furoris; & Ieremias vasa irę; Ezechiel vasa interfectionis, & interitus. quarto loco veniunt vltores scelerum; quinto, præstiagiatores, qui miracula imitantur, & magis infamibus, maleficisq; inseruiunt, atq; ita populum seducunt miraculis suis. sextæ classi assignantur aereæ potestates, se tonitruis, fulminibus, & fulguribus admiscentes, aerem corrumpentes, pestes,

2. Cor. 6.
Iohã. 14.
Iohã. 12.
Rabã. in Num. libro. 3. Cap. 4.
Matth. 4.
Esa. 14.
3. Reg. 22.
Psal. 7.
Esa. 13.
Ier. 50.
Ezech. 9

& alia inducentes mala. septimum locum occupant furiæ seminatrices malorum, discordiarum, bellorum, et vastationum; octauum, criminatores, & exploratores; postremum, tentatores, & insidiatores, qui singulis adesse creduntur hominibus, mali Genij idcirco nuncupati. Sunt igitur in Mundo infernali Nouem genera Cacodæmonum, Pseudothei, Spiritus mendacij, Vasa iniquitatis, Vltores scelerum, Præstigiatores, Aereæ potestates, Furię, Criminatores, siue exploratores, & Tentatores, seu insidiatores. Hoc ipsum Pythagoricorum doctrina licet occulte, astruere videtur, dum fractis alis animam labi e cęlo fingunt, inq; Nouem distribuunt genera tanquã Nouenos Dæmonum gradus. Nam & Pherecides scriptum reliquit Dæmonas olim cęlo lapsos, Ophioneumq; nuncupatum, hoc est, dęmonicum serpentem, qui antesignanus fuerit agminis, a diuino mentis placito deficientis. Illud quoq; in mysterijs exploratum, Iouem quandoq; Dæmones inferiores ad inferna deturbasse. Præterea Nouenario absoluitur Sensibilis mundus. Firmamentum quidem, quod prisci maximum, & supremum sensibilium corporum crediderunt, sequitur planetarum septenarius numerus, cęlum videlicet Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ. Infra Lunam quattuor supersunt elementa, Ignis, Aer, Aqua, Terra, quæ licet heterogenea, & ab inuicem differentia sint; quia tamen vna simpliciq; ratione, qua & corruptibilia, & inuicẽ transmutabilia, continuaque, & sensibilium oĩum seminaria quædam sunt, ab ætherea, celestiue substantia distare cognoscuntur, simpliciq; nomine ea complectimur, vocamusque corpus elementale. conflatur .n. vniuersus Sensibilis mundus duobus corporibus, elementari. s. & cęlesti; atq; id totum, quod a centro terræ ad Firmamenti circumferentiam, cõuexamq; superficiem clausum continetur, sensibilem mundum, totiusq. sensibilis mundi corpus, & quidquid est sensibile, nuncupamus. exstant profecto supra Firmamentum cęli, sed inuisibiles sunt, & insensibiles erratica vel fixa stella carentes. Nouem igitur cũ sint totius Sensibilis mundi partes, hieroglyphice

Nouena-

Nouenario numero notantur Idololatriæ, qui cum debuissent, has Nouem sensilis mundi partes transilientes, venire ad perfectum numerum, qui est super omnes Deos, decimam nempe partem, ac vt verbo vno complectar, ad Dei cognitionem, post creaturas desiderando Creatorem, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dum simulachris diuinos honores tribuunt, atq; adorationem a Creatore ad creaturas transferunt, colentes, ac seruientes creaturæ potius, quã Creatori. Vnde D. Ambrosius. Inexcusabiles (inquit) facti sunt Gentiles, quia, quæ creata erant ad vtendum, venerati sunt ad colendum. Apud Esaiam sub Nouem partibus seu nominibus regnorũ vel prouinciarum, vniuersi nominis Christi & ciuitatis eius cœlestis Hierusalem aduersarij condemnantur, singulisq; onus iudicij, ac grauissimum iniquitatis eorum talentũ superponitur, quæ partes immo scissuræ Nouem sunt, decimamq; unius fidei catholicam Ecclesiam impugnant. Ad quod spectat quod de decem Leprosis narrat Euangelium Lucæ. Nouenarius .n. numerus, si vnum in augmentum sui percipiat, quandam formam vnitatis explet, & in denarium surgit; quo numero .i. denario tanta fit complexio, vt vltra illum alius numerus non excrescat, nisi hic idem denarius repetatur a capite, hoc est ab vnitate, et hæc per infinitatem numeri regula custoditur. Vnum ergo ad vnitatem suam custodiendã non indiget Nouem; Nouem uero indigent vno, vt quędam effigies unitatis compleatur, idest denarius: In eundem modum et illi qui intra vnitatem sanctę Ecclesię sunt collocati, qui per vnum designantur, non indigent auxilio eorum qui extra sunt positi per infidelitatem; illi vero, qui foris sunt indigent adiutorio Electorum, ut per eorũ ministeriũ ac intercessionem mereantur sanctę Ecclesię incorporari, quoniam aliter saluari nequaquã possunt. Pręterea sicut illi Nouem ex pratria Iudęi, qui mundatori suo gratias nõ agentes, sed ingrate abeuntes, effecti reprobi, declarati sunt amisisse regnum cęlorum, vbi maxime vnitas custoditur: pari ratione vnus ille, licet Samaritanus alios, & grati animi officio

Clemens Alexãd. strom. 2.

Rom. 1.

Rupert. in Esa. li. 1. c. 2. & li. 2. c. 12

Cap. 17.

vicit, & Deum laudibus celebrans, vnius Ecclesiæ deuotam Deo humilitatẽ significat, qui vero Deo quotidie gratias exsoluit, quia repressis præsumtionis suæ cogitationib. infirmitatem suam humiliter aspicit, de bonis quæ agit, nihil sibi tribuit, sed omnia a diuina clementia procedere confitetur. Vnde scriptum est: Nonne decem mundati sunt, et Nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena, qui vnus idemq; decimus vnius fidei Ecclesia est: ita profecto si aduersarijs vna inferatur fides, vna fiunt Ecclesia. Quamquã aũt lepræ, vt præter naturã existenti, peccatum comparari possit, vtpote quod præter naturam sit, animamq. deformitate, quẽadmodum lepra corpus afficiat. non incongrue tamen, iuxta significationem spiritualem, leprosorum nomine signantur Hæretici, qui, vnitatem fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. non .n. imperitiam suam abscondunt; sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantia sermonis ostentant. Nulla porro falsa doctrina, quæ nõ aliqua sit veritate permixta, ne si aut aperte mẽdax fuerit, haud recipiatur; aut si ex toto vera, hæretica non sit. Quemadmodum autem vulnera vnius corporis in cute apparentia, diuersis coloribus carnem obducunt; ita in vniuscuiusq. Hæretici doctrina falsa veris resperguntur, vt sub obtentu veritatis falsitas inimica præualeat, more eorum qui venena propinantes, ora calicis melle liniunt, vt dum mellis dulcedo intenditur, virtus poculi auidius insumatur. Nec me fugit hæresim esse electionem vel sectam, quæ, vt dicunt Scriptores referente Laertio, rationem aliquam, iuxta id quod apparet, et in promtu est sequitur, aut sequi videtur, vnde et Nouem Philosophorum sectas seu disciplinas fuisse testatur apud Suidam Hippobotus, Megaricam, Eretriacam, Cyrenaicam, Epicuream, Anniceriam, Theodoriam, Zenoniã seu Stoicam, Academicam, Peripateticam. Et Cicero in præfatione Parodoxorum, de secta Stoicorum verba faciẽs: Cato (inquit,) & ea sentit, quæ non sane probantur in vulgus, & ea est hæresi, quę nullum sequitur florem orationis, neq. dilatat argumentum,

Gregor. Naz. lib. de baptismo. Aug. qq. Euãg. li. 2. ca. 40.

Seruius Grmma. Aen. li. 10 Act. 14.

tum, sed minutis interrogatiunculis quasi punctis, quod proposuit, efficit. Augustinus lib. de Ciuitate Dei: Aristoteles Platonis discipulus, vir excellentis ingenij, cum sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueuerat, plurimos discipulos, præclara fama excellens, viuo adhuc præceptore, in suam hæresim congregauit. Nostri tamen Theologi malam opinionem hęresim intelligunt, hæreticosque vocant, qui contra dogma catholicum, & christianum sentiunt, suntque in sua opinione pertinaces. qua de re isti in Nouenario numero tanquam imperfecti, remanebunt. Et merito eos seruator noster Christus, quasi ignotos, vbi sint, inquirit. Sicut enim quos eligit, scire comprobatur; ita, quos reprobat, non incongrue nescire dicitur. Quare & quibusdam in fine dicturus est. Nescio vos, vnde sitis. non quod Deum aliquid lateat; sed quia impiorum vias, quorum figuram isti prætendunt leprosi, quasi ignotos reprobat. Nunc a Pythagoricis hæc demonstrata fuisse probemus; ipsi quidem perfectum numerum vocant, quem suarum sectionum singulæ partes aliquotæ simul sumtæ coæquant. Huius igitur perfecti numeri vniuersæ notę in vnum redactę Nouenarij multiplicem vna superant vnitate. Nam si numeri 28 notas aggregaueris, denarium habebis ex 2. & 8. conflatum, qui sola vnitate Nouenarium superat. numeri quoque 496 perfectorum tertij, nec non 8128 perfectorum quarti, & 130816 quinti perfecti, separatim sumtæ notulæ, numerum 19. reddunt, a quo demta vnitas, remanent 18 bina Nouenarij pluralitas. perfectorum sexti 2096128 perfectorum pariter septimi 33550336 simul acceptę notę, vt prius, 28. producunt, qui subtracta vnitate, residuũ faciunt tertiã Nouenarij pluralitatẽ. Atq. hoc in cunctis perfectis ita habet, vt, demta vnitate, sola relinquatur Nouenarij pluralitas. Et quid hoc aliud notat, quam nullam exstare numeri perfecti substantiam, nisi vnitas Nouenario copuletur? vsque adeo Nouem indigent vno, vt perfecta sint. Accedunt ad hanc rem comprobandam decem prædicamenta, seu decem prima genera, ra-

Libro 8. ca. 12.

Gregor. mora. li. 2. ca. 4.

tione distincta in substantiam, & accidentia, de quibus dici solet.

Summus Aristoteles, trutinando cacumina rerum,
In duo diuisit, quidquid in Orbe fuit.

Substantiæ vnum est prædicamentum; reliqua Nouem sunt accidentium. substantia, vtpote omnibus numeris absoluta, & per se existit, & seiuncta ab omnibus accidentibus considerari, & mente percipi potest; Nouem vero accidentia ita affecta sunt, vt per se existere nunquam possint; sed in subiecto, quod est substantia, semper esse necesse est. dicunt enim Logici, aliquid esse in subiecto, quod, cum in alio sit, sine eo esse non possit, & tamen non est pars eius. Atque de his hec dixisse sit satis, ad alia transeamus. Humano mortalium generi infestissimum esse Nouenarium argumento sunt multæ admodum graues, & acutæ infirmitates, quæ vsque ad hunc numerum semper crescunt. Quare in renuntiationibus apud Iudices contexendis de imbecillitate seu de membri deprauatione, primis a vulneris diebus suspendit iudicium Medicus, nec ante Nonum diem exactum elogio suo vulneris qualitatem testificatur, quod intra id tempus promere se soleant symtomata, leuia, vel horrenda, pro vulneris, & corporum lesorum conditione, aerisque ambientis secundum primas qualitates, aut venenatam corruptionem conditione. Mulier quoque infante nato, si purgari perseueret, permanet sana; sed si vltra Nouem dies differtur purgatio, prope ad periculum accedit ægritudinis: vnde male admodum habet, & cito incurrit ad mortem. Homo quoque dicitur Nouem diebus in aqua, vbi submersus est, latere; & postea enatare. Homo etiam, qui morsus a Leopardo, a muribus ad corrodendum impetitur, liber remanet, si Nouem diebus ab ipsorum murium impetu defendatur. Pediculus item, qui de homine nascitur, Nouem diebus viuit. Quin & Noueni ætatis anni, sicut & septeni, quos enneaticos vocant, & hebdomaticos, decretorij, maleficique, ac ad vitam succidendam apti.

Ambrosius Parentract. de Renūtiationibus.

Petr.^s Berthorius.

Auctor

Auctor Iulius Maternus propterea sexagesimum tertium ætatis annum præcipue videri periculis insignem, quoniam vtriusq; multiplicatam, ac inuicem obligatam sibi summam perficiat. Nouies .n. septem, & septies Nouem, 63. efficiunt. Apud Aul. Gellium legimus obseruatum in multa hominum memoria, expertumq. senioribus plerisq. sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo, & clade aliqua venire, aut corporis, morbiq; grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis; quo sane argumento Andracles dicitur, quod vitæ substantiam omnem frangat, & comminuat. Augustus Caium nepotem lætum natalem diem suũ celebrare iubet, quod annum illum omnibus senibus periculosissimum, euasisset. Quare Climactericus præcipue annus ille vocatur, quia a Nono incipiens, vitam hominis, quasi per gradus quosdam agat. Admonent Pythagorici sexagesimam tertiam numerorum Sedem perfecto orbatã esse atq; vacuam numero, sicut & octogesima prima, Nam et numerus 81, in humanæ vitæ annis maxime formidabilis iudicatus est; quippe qui raro sine vitæ, aut fortunarum periculo trasmitti soleat, vt qui ex Nouem Nouenarijs resultet. Quare Climactericus, siue scansilis, & ipse nuncupatur, quod ad eum per gradus, & veluti quasdam scalas, paullatim ascendatur. ternanque sumta vnitas ternarium conficit. is per se multiplicatus, Nouenarium. Nouenarius autem in se ductus 81. constituit. Ad quod forte respicientes Sophistæ seu Magi, qui cælestibus siderum errantium globis quadratos numeros dicarunt, Nouenarium Saturno. 16 Ioui. 25 Marti. 36 Soli. 49 Veneri. 64 Mercurio. 81 Lunæ consecrarunt. At vero Philosophi, vbi cęlestibus numinibus numeros assignant, dualitatem dicunt dari Lunæ, quæ secundum luminare est; itemque Saturno & Marti, duobus apud Astrologos infortunijs. ille .n. frigidus est & siccus, melancholicus, naturæ humanæ inimicus, et vitam destruens, maleuolus, & infortunijs aßociatus: hic vero calidissimus, & immoderate siccus, cholericus, maleuolus, & malæ fortunæ comes.

Gel. lib. 15. 7.

Septenarius ad Saturnum pertinet, idemq. Lunæ motum, lumenq. dispensat. Nouenarius item ad Lunam, omnium cęlestium influxuum vltimum receptaculum, spectat. nam omnes aspirationes per orbem ipsius ad nos vltimo descendunt. Sic in harmonia Binarius, Septenarius, & Nouenarius male audiuntur. nullus.n. in Musica vel leuiter versatus, ignorat secundam vocem, & septimam esse dissonantes. at cum octaua omnium consonantiarum perfectissima redeat ad primam, Nona similis erit secundæ; quare et insona. Pythagorici Nouenarium, vtpote primi versus finem tenentem, adscribunt Marti, a quo finis oĩum rerum. Cum.n.ex litterarum numeris nati horoscopũ aucupari voluissent, computabãt nomen suum, & vtriusq; parentis sui per singulas litteras, collectamque totius summam per 12. diuidebant, & si remansisset vnum, notari volebant Leonem. 2 Aquarium. 3 Capricornum. 4 Sagittarium. 5 Cancrum. 6 Taurum. 7 Arietem. 8 Libram. 9 Scorpium. 10 Virginem. 11 Pisces. 12 Gemini. Cum vero dominatricem stellam scrutabantur, totam summam collectam per Nouenarium diuidebant, illum subtrahendo quoties fieri potuisset, & remanente vnitate, aut 4. vtroq; Solem volebant indicari; si 2. aut. 7. Lunam. 3 Iouem. 5 Mercurium. 6 Venerem. 8 Saturnum. 9 deniq; Martem. Quod vero de stella dominatrice adduximus, illud animaduersione dignũ videtur, quasdã in corpora humana vires ostẽdere; actuũ autem nostrorum nulla prorsus esse signa. nos.n. liberę potestatis a Conditore facti, domini nostrarum actionum sumus. si.n. astrorum imperio cuncta facimus, et necessitate ea operamur quæ facimus. atqui quod ex necessitate fit, neq; virtus neq; vitium est. si aũt neque virtutem neq; vitium possidemus; neq; laudibus & coronis, neque vituperationibus & punitionibus sumus digni. Inuenietur aũt & Deus iniustus, his bona, illis vero tribulationes tribuens. sed neque gubernabit, neque suarum ipsius creaturarum prouidentiam geret Deus, si secundum necessitatem ducuntur omnia. sed & in nobis ratiocinãdi potestas vana erit. Nã si nullius actionis domini sumus

vane consultamus. rationalis autem potestas, omnino consilij gratia nobis indulta est: vnde & omne rationale, liberę potestatis & arbitrij est. quod præter Ptolomeum, sensit & rerum omnium peritissimus Virg. cum dicit lib. 2. Georgicorum.

Cētiloq. propos. 8

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atq; metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus.

Et lib. 3. Aeneidos.

Fata viam inuenient, aderitq; vocatus Apollo.

vbi ostendit religionem dominari fato. Quod si quis obijciat de Cometis, qui plerumq; portendunt interitum Regum, dicimus cometas non esse stellas cęlestes, aut in cęlo constituas, sed diuina ordinatione eos interdum in aere fieri ad quippiam præsagiendum, & deinde disparere atq; resolui. Nam secundum Aristotelis sententiam, ex exhalatione copiosa in supremam aeris regionē sublata atq; compacta, gignitur cometes, vbi illa exhalatio ex ignis vicinia incendium concipit, & ab halitu calido atq; sicco continue sursum ducto pabulum suscipit & alimentum. Redeamus ad nostra. dicebamus Nouenarium Marti, Scorpioq; dicatum. miræ n. vtriusq; coniunctionis similitudo est. nam Scorpio, qui est Domus & Gaudiū Martis, etiam humani corporis pudenda assignantur; & ipse Mars adulteriorum infamia semper notatus fuit, ex quo a Satyrico Poeta Meretrices NONARIAE dictæ videntur.

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellet.

siue quod Mars censeatur Deus adulterij; siue quod hora Nona cellas aperire solerent, prostituendi sui corporis gratia. Nam hac ipsa hora rebus serijs, ciuilibusq; expeditis negotijs, somno, voluptati, libidiniq; operam dare licebat, quod præclare quidem Martialis in diei atq; horarum populi Romani partitione hoc epigrammate complexus est.

Prima salutantes, atq; altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.

Ad quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſsis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nouam nitidis octaua paleſtris,
Imperat exſtructos frangere Nona toros.
Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum,
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.

Hinc illud etiam apud Venetos vulgatum.

Nell'hora di Nona non s'in contra buona perſona.

Nec illud tacendum, eam eſſe Scorpij improbitatem, vt diuina oracula per eum indicent Diabolum, & ſectatores eius, de quibus in Euangelio dicitur: Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & Scorpios. Ac fortaſſe huc ſpectat, quod dictum eſt: Ipſa nempe Mulier, conteret caput tuum. nam & ſi Scorpij conteratur caput, non tamen ad inſidiandum adimitur venenum, quod in cauda eſt; ſic etiam ſi apertæ Dæmonis tentationes repellantur, redit tamen, vt teſtatur Dominus in Euangelio, fortior, aſſumtis ſecum ſpiritibus nequioribus ſe. Itaque quo ſæpius de Dæmone triumphatur, eo maior adhibenda cura ad cauendum; cum in cauda remaneat venenum. quod conſpicatus Nicander Colophonus in Theriacis dixit ſcorpij caudam, in qua veneni aculeus eſt, Nouem a cuſpide compagibus ſphondylorum contineri.

Luc. 10.
Gen. 3.
Matth. 12
Luc. 11.
num. 43.

Τοὶη οἱ κέντροιο κόκις. τοῖῳ δ᾽ ἐπὶ κέντρῳ
Σφόνδυλοι ἐννεάδεσμο, ὑπὲρ εἴρουσι κεραίης.

vbi Antigonus, & Demetrius ἐννεάδεσμοι *ſimpliciter, non pro Nouem poſitum dicunt (neque enim Nouem ſunt ſphondyli, ſed tantum ſeptem, vt inſpicienti cuique manifeſtum eſt), ſed quod Nouenarius numerus maxime infelix ſit, atque veneni Scorpij quamſimillimus. Quin etiam idem Nicander* ἐννεάδεσμοι *alibi dixit de eo, qui duos tantum aculeos haberet, vt Scholiaſtes notat. Quare & Hydram Lerneam maxime mortiferum monſtrum, Nouem ſerpentum capita habere dixerunt. Alcæus enim eam* ἐννεάκεφαλην *vocat; cuius ſignificatum multi alijs atque alijs modis interpretati*

Suidas.
Gre. Nazar. i Iul. orone. 1.

sunt. nos ea contenti esse possumus expositione, quam Plato in Euthydemo posuit, vbi per eam sophysticas ait nugas significari; quo hominum genere nihil in vitæ societate perniciosius esse potest. Itaque bene cum Nouenario consentit Scorpius. Ipse autem Nouenarius vsqueadeo affinis est Marti, vt in Oraculis res bellicosa habeatur hic numerus, quemadmodum colligitur ex Nouem regnis quando ciuili bello quattuor affectus contra quinque sensus insurrexerunt, ac totam animam quasi ciuitatem adduxerunt in ruinæ & vastitatis periculum. constat.n. Nouem esse temperamenta, seu complexiones, resultantia ex quattuor qualitatibus humorum, quibus anima a diuinitate prohibetur, quarum quattuor simplices sunt; quattuor vero commixtę. nam siccitas mixta frigori, terrestrem, ac melancholicam corporaturam facit; calori, igneam ac biliosam; humiditas cũ frigore, aquaticã seu pituitosam; cũ calore, aereã facit, & sanguineã; Nonam volunt æqualem, in qua suam iustitiam oẽs qualitates operentur; nullaq; nec superet, nec superetur. Ex harum igitur Nouem complexionũ discordia, religari animas apud inferos dictum est; symboliceque per Paludem Stygiam Nouies inferno circumfusam coerceri, & contineri. De qua Poeta nobilis.

Alligat & nouies styx interfusa coercet.

Quam quidem Paludem Stygiam ad iusiurandum adhibere cum soliti essent Dij Gentium, tum si quis eorũ peierasset, illa erat proposita pœna, vt per Nouem annos a nectare & ambrosia, atque ab omni Deorum consuetudine abstinerent, præsertim autem concubitu. lectus enim & mensa Deorum, cui simul contingebant, hunc diuinitate donari volebant, vt apud Virg.

Nec Deus hunc mensa, nec Dea dignata cubili.

& Hesiodus in Theogonia.

Ille Nouem procul a Diuis depellitur annos;
Concilio totidem Diuorumque abstinet, idem
Cum superis pariter conuiuia nulla frequentat;
Pristina conditio decimo cui redditur anno.
Tantus honor stygijs iuratis additur vndis.

Addam hic quosdam gentilium asseruisse Nouem apud inferos esse anima-

animarum sedes, de quibus commeminit Ioannes Rauisius Textor in officina. harum prima infantium animas tenet. Secunda, eorum qui sibi per simplicitatem adesse nequiuerunt. Tertia, eorum, qui euitantes erumnas sibi letum peperere. Quarta, eorum habet animas qui amauerunt. Virg. per totum sextum Aeneidos. Quinta, virorum fortium. Sexta, nocentum, qui a Iudicibus puniuntur. Septima, vbi purgantur animæ. Octaua, vbi animæ ita purgatæ sunt vt redeant. Nona est campus Elysius. Hic suum teneat locum Oraculum illud celeberrimum ad D. Patritij puteum in Hybernia, quo Nouenis haustibus expiari animos a grauibus delictis ferunt, atq; inde concepto vaticinio ad diuinationem præparari. Antiqui Nouenarium numerum mestitiæ symbolum esse voluerunt. inde Venerem, quæ est vniuersæ hilaritatis auctor, arbitrati sunt ab Erycis monte digressam per Nouem dies statos singulis annis secessum colere, interimque nullas toto eo tractu Columbas apparere. abire enim illas Deæ suæ comites, Nonam vero post diem aduentare vnam reditus prænunciam, quæ Veneris templum ingrediebatur, reliquas mox vno turmatim agmine reuerti. atque hinc gaudio exultantes Venerem adesse profitebantur, diemque illum hilarem, cantibus et iocis festiuum celebrant. Scribit quoq; Aelianus Sophista quod Formica, cum Nonum a Lunæ coitu diem inauspicatum norit, numquam eo die de latebris exit. Notant hunc numerum Græci littera Theta ϴ, quam Isidorus libro Etymologiarum mortem designare scribit, eamque in sepulcris solitam poni, quod illa, tum cordis humani transfixi speciem quodam modo repræsentet; tum capitalis sit littera verbi Græci θάνατος, quod mortem significat. ac ita militari more fieri solitum dicebat, vt T nomini militis appositum, superstitem designaret: ϴ, cæsum. Ad hanc alludit Martialis:

Paul° Iouiu° i descriptiõe Hyberniæ.

Vide Pierium in Hierogl.

De aïa libro 1. capit. 23.

Etym. li. 1. cap. 2.

> Nosti mortiferum Quæstoris Castrice signum.
> Est operæ precium discere Theta nouum.

Et Satyrographus:

Et potis est vitium mortis præfigere Theta.

Item alius Poeta:

O multum ante alias infelix littera Theta.

Persius Satyr. 4.

Nec omittendum quod Asconius Pedianus litteris mandauit, olim scilicet in iudicijs, sortes, quę mittebantur in vrnam, triplicem notam habere solitas; ac Θ *quidem damnationis signum fuisse;* T, *absolutionis;* Λ, *ampliationis, id est, quoties sibi non liquere significabant, ac denuo caussam agi oportere. Atq. ab huiusmodi iudiciorum more dictum est illud a Cicerone in Oratione pro Milone, cum de Pompeio loqueretur, qui illi quæstioni iudicioq. præfuerat: Vidit, inquit, in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. quod nisi vidisset posse absolui eum qui fateretur, cum videret nos fateri, neque quæri vnquam iussisset, nec nobis hanc tam salutarem in iudicando litteram, quam illam tristem dedisset. Etiam in sacrificijs Gentium Nouenarius expiationi dicatus habebatur. Cum.n. piaculum esset si quis cæde pollutus, vel alio flagitio, ad aras accessisset, minimeq. grata essent sacrificia, quæ ab impuris sceleratorum hominum manibus offerebantur, per Nouem dies, noctesq. opus erat vt abstinerent ab omni libidine sacerdotes aut mulieres, quibus sacræ res erant tractandæ, vt est apud Ouidium lib. 10. Metamor.*

Festa die Cereris celebrabant annua matres,
Illa, quibus niuea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum,
Perque Nouem noctes Venerem, tactusque viriles
In vetitis numerant.

Idem aperto testimonio declarat Propertius lib. 2. Eleg. 33.

Tristia iam redeunt iterum solennia nobis,
Cynthia iam noctes est operata Nouem.
Atque vtinam Nilo pereat, quæ sacra repente
Misit matronis Inachis Ausonijs.
Quæ Dea tam cupidos toties diuisit amantes,
Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.

Nundinamquoq; Deam colebant Romani, vt asserit Vectius Prętextatus, qua ipsi infantes Nona die a suo natali aqua & igne lustrabantur, illisq; nomen imponebatur, quos dies appellabant Lustricos,

stricos, ut in cenis etiam Macrobianis habetur. Præterea Nouem vicibus orabant cum Lemures placare putabãt. de quo ritu in hunc modum scribit Alexander libro 3. Genialium dierum: Funestam (inquit) familiam, aut hominem funere pollutũ, nec ędes Deorum dedicare, nec publica sacra facere posse, liquet, nisi in Lemuralibus et Parentalibus, in quibus inferis dijs dare inferias vsus obtinuit: quo tempore ædes Deorum clausæ iacent. In Lemuralibus fabam noctu iacere vsurpatum est, Lemures se ex domo eijcere clamãtes, quam nigram esse cõuenit; ipsamq; lotis manibus, et pede nudo per ora versare, & post terga reijcere, ærisque tinnitum facere, vtque Lemures fabis redemti, domo abirent, Nouies orare. Hęc Alexander. At quando videmus Nouenarium conuenire lustrationi et deprecationi, non incongruum fortasse fuerit hic referre, quæ de primo Tartarorum duce scribit Aloysius Regius libro de rerum vicissitudine nono. sic.n.ait: Sciãguis primus Chã, primusq; Scytharũ dux vidit in somnijs equitem cataphractum equo albo insidẽtem, a quo proprio nomine vocatus fuit his verbis: Scias Scianguis Cham, Diuinam volũtatem esse, vt transeas montem Belgiam, ac tendas Occidentem versus, vbi acquires ditiones ac Regna, innumerasq; nationes tuo imperio subiugabis; vtq; certe scias quæ te facere moneo, Diuino nutu tibi indicta esse, Surge et cum copijs tuis versus Montem illum proficiscere ea ex parte qua a Mare abluitur, eoq; descendes, & vbi descenderis Nouies genuflexus Deum adorabis. Ipse.n. Omnipotens monstrabit viam qua tutissime valeas pertransire. Quamobrem hanc visionem sequens Scianguis cum exercitu eo perrexit vbi amplum pelagus Mõtem illum attingebat. Et cum ibi nullum iter vlterius proficiscendi apparuisset, nihilominus Diuino iussui fidens, ipse et vniuersus exercitus descendentes de equitibus, ibi Orientem versus flexis genibus Deum adorauerunt, suppliciter petentes, vt viã, qua inde incolumes exirent, ostenderet. Cumque illa nocte orationibus intenti perstitisent, mane surgentes viderũt Mare vlterius per Nouem passus a Monte remotum fuisse,

Cap. 12.

Vide Martinũ Cromerũ de rebus Polonorũ li. 7

adeo vt ipsis progrediendi viam satis latam reliquisset. Atque hoc factum est anno a Christo nato 1212. Adde quod hora Nona effunduntur ad Deũ preces, et supplicatio. Vt. n. legitur in Actis Apostolicis cap. 3. Petrus & Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis Nonam. et cap. 10. Orans eram hora Nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait. Corneli exaudita est oratio tua. Illud deniq; de hoc numero dici potest, quod ad extremam mæstitiam & luctum declarandum eum adhibuerunt, qui externis ritibus sacra naturæ, et viuentis Dei mysteria explicare conati sunt. Cum. n. aliquid humani acciderit, vel ipsi Summo Pontifici, vel purpuratis Patribus, qui & totius Ecclesiæ cardines sunt, & omnium Fidelium instar, ex mystica cæremoniarum formula indicitur per Nouem dies vniuersæ Romanæ curiæ luctus. Quod idcirco ab Ecclesia vsurpatum videri poterit, quod cum duo omnino Fidelium sint vitæ status, alter quidem in via, qui futuri figura censetur, et octaua benedictione perficitur: alter in patria, ubi Deũ facie ad faciem videbimus, qui denario numero perfectus habetur; mors ipsa sane sit mediũ quoddam terribilis horrendiq; transitus, non tam huius corporeæ naturæ dissolutione, quam diuini iudicij vltionisq; dici exspectatione. Quare infelicissimum hoc tempus, cum & suppositum nostrum tanto doloris sensu dissoluatur, & anima ipsa nudata et perterrefacta illi tremendo Iudici sistatur, ex cuius sententia vel summa gloria, vel horrendi cruciatus pendeant, Nouenario teterrimo numero significari mystice voluerunt, simulq; interea per totidem dies sine intermissione exorandã precibus Dei benignitatẽ iudicarunt. Neq; vero hic moueat nos quod huiusmodi Nouẽdialia ab Aur. Aug. improbari videantur. Nam si recte eius sententia attendatur, non damnat Nouendialia; sed quorundã opinionem, qui propterea ad expiandos Manes a fidelibus adhiberi arbitrabãtur, quod olim fuissent a Gentibus in funeribus excogitata. fuit. n solenne apud illos vetustissima cõsuetudine Nouendialia pro mortuis celebrare, quemadmodũ licet plurimis in locis aĩaduertere.

Lib. qst. 1 Genes.

Apud

Apud Homerum, quem vnum omnium Gentium mores diligentis sime persecutum fuiße testatum est, Nouem diebus inter Deos immortales cōtentio exorta, eo quod Achilles Hectoris cadauer inhumatum teneret, neq; Priamo patri, vt sepeliretur, restitueret,

Iliad. 24.

Nouem diebus iam contentio inter immortales orta est
Hectoris circa cadauer, & Achillem Vrbium expugnatorem.

Et paullo post inducitur Priamus Nouem dierum inducias ab Achille petere ad faciendas Hectori exsequias.

Si placet vt dignos nato impendamus honores.
Flere Nouem luces permitte domi Hectora nostrę,
Aetheraq;, & miseris implere vlulatibus vrbem.

Apud eundem Poetam Niobes sex filij, & filię totidem; hæ ab Apolline; illi a Diana interfecti, Nouē diebus inhumati iacuerunt.

Ibidem.

Namq; & pulcra comas Niobe postquam edita vidit
Funera natorum ter quattuor, obruta luctu
Indulsit mensis tamen, atq; alimenta recepit.
Sex etenim puerosq; mares totidemq; puellas
Enixa est vtero, quorum illos Delius arcu
Letifero occidit: tulit has irata Diana,
Quod se prætulerit Latonę stulta parenti,
Quod geminos tantum Latona enixa tulisset,
Se bis sex peperisse animo iactabat inani.
Hi gemini tamen hos omnes arcu atq; sagittis
Confecere suis, qui ter tribus vsq; diebus
Immundo iacuere solo, sine honore sepulcri.
Non etenim exstabat quisquam qui corpora humaret,
Cum populum in lapides vertisset Iuppiter omnem.
At decima superi miserati luce iacentes
Mandauere solo.

De hoc ritu loquitur Poeta nobilis.

Aen. li. 5.

Præterea si Nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

vbi Seruius Grammaticus docet apud Maiores in more positum, si forte defunctus non extinctus erat domi, cui celebrandæ fuerant exsequiæ, domum referebatur, vbi dies septem seruatus, octauo incē debatur, Nono sepeliebatur. Vnde & Nouendiales pulueres vocat Horatius. sic & ludi funerales Nouendiales aliquando dicti sunt, & sacra ipsa, Nouendialia. Idem affirmat Donatus in Commen-

In Epodo.

tario

tario Phormionis dicens, in funere Nonum diē voti habere instaurationem. Atque huius sacrificij mētionem fecit Suetonius Tranquillus scribens Cottam Messalinum quandoq. coargutum, quod cū die natali Augustæ inter Sacerdotes epularetur, Nouendialem dixisset cenam illam. Ad hanc Nouenariam funerum cæremoniā spectat quod cum Plotina supremum diem clausisset, per Nouem funeris dies pullatus incessit Adrianus, templumq; erexit, ac hymnos in eam fecit, vt refert Dion Cassius. Vigebat itidem huiusmodi vsus mortuorum lugendorum per Nouem dies temporibus Iustiniani Imperatoris, per quem etiam sancitum fuit, quod hæres non teneretur creditoribus defuncti respondere ante Nouem dies ab obitu defuncti in Auct. Sed neq; C. de sepul. viol. De quo Glos. fin. l. si ex re. §. si. ff. de stip. ser. dicit tempore Digestorum in vsu fuisse, vt vniuersa familia defuncti veste lugubri incederet, famuliq. atq; omnes hæredes tenerentur portare illas vestes per Nouem dies. quia totidem diebus debebant lugere. ideoq. non vocabantur in ius illis Nouem diebus. Subijciam tandem miraculo Cimiterij Innocentij Parisiensis confirmatum fuisse numerum Nouenarium morti dissolutioniq; obnoxium esse. sic. n. proditum est, et quotidie experimento comprobatur, cadauera quæ illuc fuerint illata, intra Nouem dies adeo computrescere, quod in puluerem reducantur, & ossa nuda extrahantur, alijq; in eisdem sepulcris sepeliantur.

Petr⁹ Berthori⁹ in diction. mor.

DE NVMERO X.

SENTENTIA omnium Sapientum illa est præclarissima, eo superiora inferioribus perfectiora dici quo plura dispersa in infimis eminēter continent. Hinc fit, vt inter corpora, cęlestes Orbes infimis corporibus pręstent, non solum quia corruptionis expertes, verum etiam quia quod perfectionis & nobilitatis his inferioribus inest, in illis

præexsistat

Dionys. li. de diuinis nomin.

præexistat eminenter. Substantiæq; illæ separatæ licet corpulentam non habeant compositionem, virtute tamen perfectionem in compositis repertam complectuntur. Deus deniq; qui purissimus idemq. simplicissimus ab omnibus habetur, eminenti virtute, cuncta continet, portans omnia verbo virtutis suæ. Quod mirum vtiq; non est, cum rerum species, attestante Philopho, sint sicut numeri, qui consistunt non solum propter vnitatis additionem, quæ differentiam ab alio numero specificam constituit, verum etiam quia superior numerus vniuersas inferiores complectitur vnitates. Ex quo fit, vt Denarius numerus cunctis perfectior dici possit, vt qui vniuersa numerandi genera in se continet, parium quidem, & imparium; parium, vt duo; imparium, vt tria; & ex vtrisq; compositorum parium & imparium, vt quinq; sed & numerum primum nuncupatum, quem vno tantum metimur, cuiusmodi esse duo, tria, quinq;, septem diuidendo intelligas. continet & quadratũ quaternarium, numerum quidem pariter parem; tum & tessellatum, siue cubum octonarium, pariter parem pariter figura præditum, id est, longitudini latitudiniq; æqualem habentem profunditatem; deinde & senarium suis adæquatum partibus. Et si in se ipsas duxeris Denarij partes, quæ sunt vnum, duo quinq;, restitues Denarium, quo nihil absolutius, quod in decem proportionibus quattuor cubici numeri consummationem accipiant, quibus aiunt Pytagorici cuncta constare. Complectitur etiam Denarius numerus naturam, tum indimensam, tum dimensioni obnoxiam. quæ dimensione caret, ex puncto solo constat. at quæ distinguitur interuallis tres habet formas: Lineæ, Superficiei, et Solidi. quæ.n. duabus notis siue punctis terminatur, Linea est; quę autem in duo interualla tribuitur, Superficies, linea scilicet in latitudinem diffusa; quæ deniq. in tria, Solidum, cum longitudo, & latitudo crassitudinem sibi adiunxerit, in quibus natura gradum sistit; nam plura, quam tria non procreauit interualla. Numeri, vnde ista primum expressa, sunt, Vnum, quę est puncti dimensione carentis nota; Duo, quę lineę; Tria, quę su-

Heb. j.

perfi-

perficiei; & Quattuor, quæ solidi rationem habent. Horum compositione, vnius scilicet, duorum, trium, quattuor, perficitur Denarius. Qui etiam in rebus sub aspectum cadentibus, alias præclaras formas exprimit. per hunc .n. numerus infinitus pene fit mensurabilis, eo quod fines quattuor ipsum constituentes sint, Vnum, Duo, Tria, Quattuor. Quibus totidē fines æquis portionibus respondentes ex Denarijs Centenarium gignunt. coaceruatis .n. Decem, viginti, triginta, quadraginta, Centenarius procreatur. Eodē quoq; modo & Millenarius ex Centenarijs conflatur. Vnitas autem, Denarius, Centenarius, & Millenarius, quattuor sunt termini, e quibus nascitur Denarius. Vnde illum Pythagorici primam quadraturam appellarunt, quod ex 1.2.3. & 4. collectis fiat Denarius primus numerorum limes. Est autem Denarius etiam tanto ceteris numeris perfectior, quanto cunctos singulatim numeros includit. vt .n. ipsum nominis etymon docet, decas dicitur ὡς δεκτικὴ πάντων τῶν ἀριθμῶν, id est, quod omnes numeros capiat. nam cum ad decem peruenerint numeri, progrediendi finem faciunt, ac deinceps iterantur solum ac reuoluuntur.

Hinc efficitur, vt quisq; iure merito mirari possit huius numeri naturam: cum omnes fere homines, tam Barbari, quā Græci ad Decem vsq; numerare consueuerint; quasi decem digitis naturali lege creati homines, sui numeri calculos adipiscentes, hac eadem multitudine cetera quoq; cōnumerent. Quod ipsum ex Pythagora adducit Aristoteles, & a Plutarcho quoq; traditur lib. de Placitis philosophorum primo, quo loco de principijs rerum disserit. Sed & Vitruuius lib. 3. Architect. cap. 1. Perfectum (inquit) Antiqui instituerunt numerum qui Decem dicitur. namque ex manibus Denarius digitorum numerus, ex digitis vero palmus, & a palmo pes est inuentus. Sicut autem in vtrisque palmis ex articulis a natura Decem sunt perfecti; ita etiam Platoni placuit esse eum numerum ea re perfectum, quod ex singularibus rebus, quæ Monades apud Græcos dicuntur, perficitur decussis, quæ simul ac vndecim, aut

duodecim sunt factæ, quod superauerint, non possunt esse perfectę, donec ad alteram decussim peruenerint. Hęc Vitruuius. Tum quoque iustissimi viri dextras præbebant in tutela rei, vnde Diodorus Siculus in Philippo dicit: datæ dextræ fidem apud Persas firmissimam. Homerus omnis doctrinæ Artifex. *Iliad. 6.*

Sic vociferans ab equis descendentes
Manusq; mutuo acceperunt, & fidem dederunt.

Virgilius Aeneid. lib. 1.

---cur dextram iungere dextræ
Non datur?

Item libro 6.

---nec veriti dominorum fallere dextras.

Ouidius in Epistolis.

Heus vbi pacta fides, commissaq; dextera dextræ.

Et ad Gal. 2. dicitur quod dederunt dextras: quasi Denarium numerum præmittentes. Quæ quidem res nunc suis hominum litteris confirmantur. Hic igitur numerus, sicut Vnitas, est circularis, quia coaceruatus redit in Vnitatem, a qua sumsit exordium. Et ipse numerorum omnium finis est, & complementum, & principium Decadum. Porro sicut Denarius refluit in Vnitatem, ex qua processit: non secus omne fluens reuertitur ad id, a quo habuit principium sui fluxus. sic Aqua currit ad mare, a quo traxit originem. Corpus in terram, a qua sumtum est, reuertitur. Tempus redit in æternitatem, a qua fluxit. Mens a Deo facta, ad eundem regreditur. Beda in Genesim: Anima, inquit, a Deo data est, & ex nihilo facta. quare nullum habet elementum, ad quod reuertatur, nisi ad Creatorem suum, postquam de corpore exierit. Omnis denique creatura, secundum se considerata, fluit in nihilum, ex quo creata est, nec nisi Diuino Verbo sustentatur, in quo vniuersa sunt condita. Cuncta demum cum Denario, & per Denarium gyrum efficiunt, vt inquit Proclus, a Deo incipientia, & in ipsum desinentia. sicut enim ab

Eccles. 1. Eccli. 3.

vno principio demanant omnia, nempe a summo bono; sic in vnum finem tendunt, in bonum dico, quod omnia appetunt. Deus enim Ἄλφα, & Ωμέγα, principium, & finis omnium entium. Ipse prima Vnitas, qui priusquam se se in principio temporis communicasset, primo se ab æterno in primum numerorum, scilicet Ternarium diffundit, dehinc in Denarium, tanquam in Decem Ideas, mensuras omnium numerorum, & rerum omnium faciendarum. quas Hebræi Decem attributa vocant, & Decem Diuina nomina numerant. qua de caussa vlterior numerus dari nequit. Hinc, quæ in natura Categoriæ siue Prædicamenta vocantur, quibus constare putant, & intelligi quæcunque in hoc Conditoris orbiculari globo continentur, Decem dumtaxat esse consentit etiam Aristoteles Peripateticorum Gymnasiarcha: Substantiam dico, quantitatem, ad aliquid siue relationem, qualitatem, agere, pati, habere siue habitum, situm esse, vbi, & quando. Quæ quidem omnia hoc elogio continentur: Alexander, magnus, Imperator, Philippi Regis filius, comedendo, venenatus, hic, nunc, iacet, tumulatus. Hunc quoque ornatissimum Mundum Mathematici recentiores Decem Sphæris moueri probant. Cui & tu addas Denarium a Græcis Decada vocari, quod omnem, vt diximus, in se numerum recipiat, Pythagoreosque Decada Mundum vocasse, quod eo numero sit compactus. Archytas etiam Tarentinus nobilis Pythagoreus omne, quod est, Denario numero claudit. Diuinus autem Plato Denarij numeri perfectionem ostendere volens, vt Marsilius docet, integram absolutę Reipublicę formam denario librorum numero composuit. Iam vero apud Iureconsultos maior pars præscriptionum Decem annorum numero circumscribitur; aut si longius tempus deposcit, aut illius absentia, contra quem præscribitur, vel caussæ aut partium qualitas eodem annorum numero, vel duplicato, aut aliter multiplicato fere semper concluditur. Adhæc statuerunt tempus simpliciter, & sine alia declaratione prolatũ, significare

Apoc. 1. 21.22.

Arist.lib. Prædicamẽtorũ.

gnificare decennium. ita enim ſcribitur in l. ſine præfinitione D. de poenis. quam in ea rem expendit Dominicus, & dicit ſingulare in cap. ex litteris col. 4. ver. quid ſi Iudex dicit, extra de conſtitutionibus. Sed & rerum Series, quas Alcmæonij cõtrarietates appellarunt, ob Arithmeticæ artis amorem, in numerum Denarium coarctarunt. vt

Finitum,	Infinitum:
Impar,	Par:
Vnum,	Multa:
Dextrum,	Siniſtrum:
Maſculinum,	Femininum:
Quietem,	Motum:
Rectum,	Curuum:
Lucem,	Tenebras:
Bonum,	Malum:
Quadratum,	Altera parte longius.

Atque hæc ita ſunt vtralibet, quod duo ſunt, nam ſi vnum eſſent, non vtiq; contraria forent. Deniq; omnia Dena perfectum quoddam in ſe habent. Nam & priſci Scriptores quicquid ingens eſſet, vocabant Decumanum, ampliſſima quæ fuiſſent ſcuta appellantes Decumana, & Decumanum dicentes ouum, ac fluctum Decumanum, pro magno: quod a ruſticis, & nautis obſeruatum ſit decimum quodque ouum naſci ceteris maius; & decimum quenque fluctum reliquis eſſe ampliorem, quod aſtruit Ouidius libro 1. de Triſtibus, cum ait:

Alexan. Neapol. li. 6. c. 22. genialiũ dierum.

Qui venit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes:
Poſterior nono eſt, vndecimoq; prior.

Et libro Transformationum decimo.

Vaſtius inſurgens Decimæ ruit impetus vndæ.

Et Greg. Nazianzenus in diſtichis.

Doctus Gubernator Decimas vndas cauet.

Valerius item Flaccus lib. 2. Argonauticon.

--quanta quoties & Palladis arte
Incaſſum Decimæ cecidit tumor arduus vndæ.

Poſtremo Lucanus lib. 5. Belli ciuilis.

Hæc fatum Decimus, dictu mirabile, fluctus
Inualida cum puppe leuat.

Quod

Quod si Poetarum auctoritas non satis est, Bedamquoq; libro de Mundi constitutione his uerbis loquentẽ audiamus. Exæstuat mare inter diem & noctẽ ter; bis in æstiuo die, et semel in nocte; bis in hiemali nocte, et semel in die: et dodrantẽ, et semunciã horæ durat. sed siue exęstuent, siue vento impellãtur, dein, et dein fluctus ordinãtur, quorũ Decimus est maximus. hæc ille. Erit igitur Denarius et ipse quædam vnitas, iteratione Vnitatis, ac secunda Vnitas perfecta, perfectionisq; procreatrix, atq; aliquo pacto ipsi primæ, & antiquissimæ Vnitati magis similis, quam vllus simplicium numerorum, vt pote qui ipsius Vnitatis lucidam captat effigiem. Estque formalis quædam Vnitatis resumtio. Nam Decem per ι idest Iota, quæ virgula est erecta, Græce scribimus, aut per solum punctũ Hebraice notamus ׳, idest Iod, quæ tam Barbaris, quam Latinis alioqui simplicem referunt Vnitatem, quippe a qua numerus Denarius oritur, & in quam desinit. Neq; tamen hanc expressam, claramq. simplicissimæ Monadis effigiem, hanc sui principij formalem identitatem Denarius fert absolutam; sed in alteritatis cuiuspiam, ac priuationis subsellio. Non enim Denarius simplici seque ferente Vnitate pingitur ab Arithmeticis; sed Vnitate, cum anteriore scabello priuationis, idest, Vnitate, cui ab antica parte notam alteritatis adiungunt, 0, quam vocant Zifram. Nam huiusmodi orbiculare signum, numerus quidem non est, nec vllum exprimit numerum; sed numerorum alteritates, & interualla. Quo fit, vt in Denario, qui ad hunc modum pingitur 10: manifesta Rationalis fabricæ conspiciatur imago. Quemadmodum enim Denarius ex Vnitate, & priuationis forma conflatur: ita humana substantia animo, corporeque constat. Humanus Intellectus est quidem intellectus, non tamen per se, sed intellectus inditus alteritati corporis. corpus autem ad animum, vicem non entis obtinet. Vnitatis igitur character hominis exprimit animum; sed alteritatis & priuationis appositio speciem gerit humani corporis. Quemadmodum autem vera, perfectaque

Denarij essentia ipsius Vnitatis est species, conducit tamen & ad eius substantiam priuationis articulus: pari analogia verum hominis esse præcipua est animi portio, (a forma.n.prouenit esse secũdum Philosophum,) ad illius tamen substantiam quoquo pacto corporea desideratur appẽdix. Præterea primus numerorum Denarius Vnitatis speciem in scutula priuationis excepit: prima quoq; humana substantia insignem Diuina specie animum corporeo texit amiculo. Supra Denarium, quidquid est numerorum, expers est priuationis, & exteræ sedis, seipsum fulciens, & sustentans: quidquid item est eminentius humano animo, corporis ac sensuum exsors in sua ipsius sede figitur, ac stabilitur. Est.n. humanus intellectus in confinio vtriusq; naturæ mortalis, & immortalis, vtriusq; nexus, & medium ad vtramq;. Nam per mortale, mortalibus coniungitur, & ad mortalia descendit; per immortale, immortalibus, ad immortaliaque ascendit. Et vt elucidatior Denarij numeri ad humanũ intellectum struatur analogia, scribo numerorum ordinem ab Vnitate ad Denarium, a dextris in sinistrum, vt Hebræorum morem sequar, tamquam ab Ortu in Occasum, quo modo etiam Decima Mundi rotatur Sphæra.

10	9	8	7	6	5	4	3	2	1

Denarij formæ, quæ est præcipuum eius esse, quæ Vnitatis scribitur nota, priuationis effigies videtur obesse, quo minus superiori immaterialium numerorũ cœtui adnumeretur: quemadmodum etiam humanum intellectum esse Diuinã effigiem, sed corporis obice e choro simplicium Diuinarum imaginum eliminatã fatentur Theologi. Magis .n. ad imaginem Dei, simpliciter loquendo, dicendus est Angelus, cum principaliter attendatur ista imago secundum intellectualem naturam, quæ perfectiori modo in Angelis reperitur, cum sint formæ simplices intellectuales; homo autem anima constet, & corpore. Rursus priuationis nota, quamquã media sit inter. 9. numerorum simplicium supremũ, & Denarij Vnitatem; longius tamen

men

men abest a nouenario, nihil ei cohæret, sed ad animam spectat Denarij, illiusq; est naturalis positio, cum qua substantiam quoq; Denariam adimplet: in eundem modum corporis moles, licet inter extremam simplicium intelligentiarum, & humanam intelligentiam habeatur media; hæc tamen nihil ad Angelicum intellectum pertinet, sed ad humanum spectat tota. Qui vero citra Denarium sunt numeri, absoluti sunt, & simplicissimi, immateriales, nulli numerorum alteritati, & varietati permisti, simplicibus descripti notis, persimiles prorsus illis absolutis cęlestibus formis substantiam sortitis extra, ac supra materiam, nullis alteritatibus subiugati. Qui rursus Denarium pręcedunt numeri, nullo in orbe sedent, superiores sunt orbe, nullis circumferentiæ vallis obteguntur: Et quę supra hominem Angelicæ mētes circulum transcendunt, orbi nequaquam insunt, nullo ambitu circumferentiæ capiuntur. nullo .n. loco circumscribuntur, neq. sunt alicuius corporis formæ; sed in loco dici merentur per operationem, et corporibus cęlestibus, vt motrices, non vt formæ inhærentes, adesse. Quemadmodum item humanus intellectus, ab intellectu Angelico separatus, inferiori regioni mancipatur: ita fere spiritus, qui Denarij inest orbiculo, a superiorum numerorum regione seorsum, inferiori cuidam terrestri regioni deputatur. Nihil .n. refert si Denarij spiritum intra eius corpus collocaueris, idest, Vnitatem, in suæ priuationis orbiculo, hoc inquam modo ⓘ, quod mutata descriptione illius nō immutetur substantia. Est igitur Denarius rationalis animæ numerus, hoc materiali, & corruptibili corpore vallatæ. Quando autem corruptibile corpus nostrum, a vitijs purgatum, resurget corruptione deposita, vt verum sit illud quod dicit Apostolus 1. Corint. cap. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatue in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. tunc profecto nostra mens sedem nanciscetur inter purissimas, simplicissimas, ac supercęlestes mentes; vt per Apostatarum ruinam, diminutum numerum rursum superueniens vnitas,

Amb. de Nohe & Arca c. 1.

tas, Decadem restituat. D. Greg. explanans Euangelium apud Lucam cap. 15. de vna ex decem drachmis perdita, diligenter quęsita, et demum reperta: Sed inter hæc (inquit) nequaquã relinquere negligenter debemus, cur ista mulier, per quam Dei sapientia figuratur, decẽ drachmas habuisse perhibetur, ex quibus vnam perdidit, quam cum quæreret, inuenit. Angelorum quippe & Hominum naturam, ad cognoscendum se, Dominus condidit; quam dum consistere ad æternitatem voluit, eam proculdubio ad suam similitudinem creauit; Decem vero drachmas habuit mulier, quia nouem sunt Ordines Angelorum; sed vt compleretur Electorum numerus, Homo Decimus est creatus: qui a cõditore suo nec post culpã perijt: quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans, ex lumine testæ reparauit. Hæc Greg. Quoniam vero in illa perenni luce, vbi Dominum facie ad faciem contuebimur, erit vera quies, mystice Nohe, qui requies interpretatur, Decimus in generationibus constituitur. Adam quippe genuit Seth, qui genuit Enos, ex quo natus est Caynan, a quo Malalehel, qui genuit Iareth, ex quo natus est Enoch, a quo genitus est Mathusalem, a quo Lamech, ex quo decimus natus est Nohe. Porro Adam secundum Hebraicam translationis virtutem interpretatur homo, quod commune est masculo & feminę. Nam sic de eo scriptũ est: Creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suã, masculũ & feminã creauit eos. D. Hieronymus hominem, siue terrenũ, vel terram rubrã interpretatur. Eusebius Cęsarien. terrenũ, seu carnalem, siue natũ a terra.

De nominũ interpretatione legen. Hier. lib. de Hebraicis nominibus. Aug. in Ciuit. lib. 15. c. 17. Isidorus Etymol. li. 7. c. 6. Glos. ordin. in Gen. Philo Alex.

Seth resurrectio dici potest, eo quod post interfectum fratrem natus sit in hanc lucem. Beda de sex Mundi ætatibus: Seth, (inquit) interpretatur resurrectio, significans resurrectionem Christi a mortuis, cuius mortem illatam a Iudæis significat Abel, qui dicitur luctus, a fratre Cain occisus.

Enos interpretatur homo, uerum non sicut Adam. quem .n. nostra lingua rationalem hominem dicimus, Chaldęi dicunt Enos. Vnde ait Eusebius: Hominem Enos appellant Hebręi, quo sane voca-

Lib. 7. ca. 3. de pp. euang.

vocabulo, non terrenam, sed rationalem naturam significant.
Caynan iuxta hebraicam veritatem dici potest lamentatio, vel lugens, aut luctus.
Malalehel dicitur laudans Deum.
Iareth interpretatur roboratus:
Enoch dicitur dedicatio.
Mathusalem dici potest mortis remissio, vel mortis concussio.
Lamech humilis siue humiliatus.
Cum igitur Nohe quietem sonet, hæc erit conuenientia mysteriorum ex interpretatione decem nominum:

Philo. biblic. antiquit.

1: Procedens Homo ex terra,
2: Resurgens a peccatis,
3: Vir erit inuocans Deum,
4: Destens peccata pristina,
5: Sicq; laudans Deum,
6: Roboratus spiritu Diuino,
7: Dedicatur ad vitam æternam,
8: Atque mortis victor,
9: Deo subiectus, & humiliatus,
10. Requiem possidet sempiternam.

Quis hic non videat vel duce natura, vel Dei iudicio nominum factam impositionem? Scite profecto magnus ille Origenes, cum Diuinorum nominum virtutem mirificam considerasset, testatus est in his magnam atque mirabilem latere virtutem; ideoq; ipsa non esse ex Hebræa, in aliam linguam transferenda. Plato vero in Cratylo, asserere non dubitauit, positione quadam constare nominum rectitudinem; at non quidem temere, vel vt obtigit, sed positionem ipsam de naturæ penu promi; nec aliud esse nominum rectitudinem, quam naturæ ipsi consonam positionem. Porro quod ad huiusmodi nominum rationem spectat.

Cõt. Celsum. li. 1. & 5. Beda in capi. 19. Apocal.

1. Adam siue homo in Genesi Vnitatem adeptus est, quia Vnus creatus est homo, vnaque illi mens indita.
2. Sed qui per peccatum noluit esse cum Deo vnitus, factus est in seipso diuisus, Ideoq. in secunda propagine, vocatus a Deo, resurgit a peccatis.

Prouer. 18.

3. *In tertia factus vir, inuocat nomen Sanctissimæ Trinitatis, quia turris fortissima nomen Domini, & ad ipsum concurrit iustus.*

4. *In quarta generatione deflet peccata pristina. nam quaternarius elementorum, (ex quo corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam,) ductus per suum trigonum Denarium, procreat quadragenarium numerum pœnitentiæ sacrum.*

5. *In quinta mundatus, et purificatus Deum laudat, dum oculus recta videt, odoratus recta odoratur, auris recta audit, & gustus Verbum Dei gustat, manus denique palpat, & contingit de Verbo Dei. sic*

Iohã. 15.

6. *Roboratus spiritu Dei ad senarium transit numerorum omniũ perfectissimum, quia Sine me, dicit Veritas apud Iohannem, nihil potestis facere. Hoc igitur Diuino auxilio roboratus,*

Gen. 5. Aug. cõ. Faust. li. 12. c. 14.

7. *In septima dedicatur ad vitam æternam. Enoch enim septimus Deo placuit & translatus est. & septima requies prædicatur, ad quam transfertur omnis, qui tamquam sexto die, idest sexta ætate seculi Christi aduentu reformatur. post septimam,*

8. *Ad octauam transiens, victor mortis resurgit.*

9. *Et per superbiam diminutum numerum supercęlestium mentium, ipse, Deo subiectus, implebit.*

Exo. 22. Clemẽs Alexan. strom. libro 1.

10. *Vt ex nouenario fiat Denarius, vnde etiam hominis est decimas soluere. Augustinus Serm. de Decimis: Attende quod creatura decima inter intellectuales creaturas est Homo, quia Angeli in nouem ordinibus consistunt: decimus vero ordo est Hominum, & Hominis est decimam soluere, vt ruinam Angelorũ valeat supplere, & decimum ordinem adimplere. Ad quod respiciens Legislator & animalium, et omnium terræ fructuum Decimas Domino consecrat. Atque hæc edoctus Ethnicus ille, qui fecit Europiam de Apolline, qui mystice, ex priuatione multorum, intelligitur vnus Deus, decimam Deo reddi demonstrat his verbis.*

Ὄφρα θεῷ δεκάτην, ἀκροθίνιά τε κρεμάσωμεν,
Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

Quæ

Quæ sic quidam vertit non inepte:

Vt decimamque Deo, primos fructusque dicemus;
Sedibus ex sacrosanctis, celsaque columna.

Tradit præterea Herodotus libro 1. Cyrum a Creso monitum vt Decimæ omnium hircorum Ioui redderentur. Et lib. 9. Aeginetas Decimam ex spolijs Persarum, qui ad plateas occubuerunt, dijs quibusdam dedicasse. Xenophon quoq; in Oratione, quam habuit de Agesilai laudibus, in duobus annis centum talenta & amplius Deo apud Delphos Decimam dedisse refert. Vt quod notius est omittam, Decimas Herculi olim fuisse destinatas. propter quod Plautus Decimam partem appellat Herculaneam, in Trinum. Narrat & Plinius lib. 12. cap. 15. quod vbi Tus collectum erat in ciuitate Sabotam, per vnam specialem portam inferebatur, & ante omnia decimabatur, nec illud extrudere licebat, donec Sacerdos Decimam habuisset. Insinuat igitur Denarius numerus Angelici chori restaurationem, & spem cœlestium præmiorum, Domino confirmante, cũ eos qui in vinea magni patris familias laborabant, remunerandos fore Denario repromisit; qui diurnus præcipue nominatur, quod inibi sit perpetus dies absq. aliqua nocte, sicut in Apocalypsi legitur scriptum: quod etiam ab Antistite Augustino fuit adnotatum, qui mercedem illam, idest, ipsius Dei visionem in matutinam secat, & vespertinam, nocte seclusa, in qua damnati permanebunt orbati huiusmodi Denario diurno. in Inferno enim, tenebræ, ignis sine luce. Ab hoc mysterio non dissonant Pythagorici supercælestem mundum Denario cõparantes. statutis. n. duobus extremis, Vnitate. s. & Millenario, ceteros oẽs numeros per accessum, aut recessum ab illis definiebant; atq; inter hæc, duo statuebant media nempe 10. & 100. Denarium numerum appellantes radicem; 100. quadratum; 1000. cubum. Vnitas absq; diuisione est, & vt Punctum; Denarius, Millenarij radix, cum vnica diuisione. est. n. pariter impar, et vt Lineas; Centenarius cum dupla diuisione, & vt Superficies. diuiditur. n. in 50, & 50; dein 25, & 25; Millenarius vero cum trina diuisione,

Matth. 20.

sione,

ſione, & vt corpus, cum diuidatur in 500, et 500; deinde in 250, et 250; rurſus in 125, et 125. ibiq; diuiſio finem habet. His igitur ad triplicem mundũ, Superçeleſtem, Çeleſtem, & Elementarẽ ſurgebant. Triplici Mundo ſupereminet ſimpliciſſimus actus expers potentiæ Deus ipſe; non ſecus atque Vnitas, Denario, Centenario, & Millenario; nec non Punctum, lineæ, ſuperficiei, & corpori; eoq; Deum vnitate, & Puncto ob ſimplicitatem exprimebant; Superçeleſtem mundum, Denario, & Linea, nempe ob vtriuſq; ſimplam diuiſionem. Nam cum extra Deum nihil ſit ſimplex, eſt vtiq; quodque a Deo compoſitum, ſaltem compoſitione actus & potentiæ, eſſe & eſſentiæ. quare diuiſibile; ſimpliciſsimum autem diuiſibile, quod vnam dumtaxat diuiſionem ſuſtineat. Habet item Linea vnicum ſui dimenſus terminum; & Denarius, vnicam ſe priorem Vnitatem, a qua multiplicatione ſurgit, ac definitur. Ita ſane ſupramundanarum Mentium vnica, eaq; ſimpliciſſima menſura. Quod ſi ſolam reſpicis quantitatem, occurrit Linea ſimpliciſsima cuiuſq; continui menſura. Nam quodq; continuum Linea, ſuperficies, aut corpus eſt. Porro Linea metitur, & definit ſuperficiem pariter, et corpus; & ab horum nullo finitur, menſuraturue. Non abſimili ratione ſi creaturas dumtaxat ſpectamus, ſupra mundanas Mentes agnoſcimus aliorum quidem eſſe diſcretiones, & menſuras, & a nullo diſcerni, præſertim cum compoſitum, id quod ſimplex eſt metiri nequaquã poſsit. Eam ob rem Angelicus intellectus, cum ſit creatura ſimpliciſsima, & nullum proinde creaturæ dimenſum ſubiens, tempori noſtro non ſubiacet, atque ſupra tempus, quo nos, ceteraq. entia inferiora metimur, eſſe rite colligitur. Quare qui ad ſolas creaturas ſuos deflectit obtutus, Angelum cognoſcit immortalem & incorruptibilem, vt pote materiam non habentem priuationi connexã, quæ malum corruptionemq. tendit ſemper. Quod ſi ad vſq. Deum ſeſe attollit, qui Angelo per immenſum, ſimplicior, perfectior, quique omnium rerum menſura, ac principium eſt, non obſcure agnoſcit eundem Angelum menſuram aliquam ſe habere priorem; perinde atque

linea,

linea, se priorem punctum habet suum quidem terminum. Quare non simpliciter absoluteq; immortalis est: quemadmodum neq; absoluta, neq; simplicissima mensura, quod in puncto, & linea e vestigio innotescit. Ceterũ superficie, ac Centenario Cęlestem mundum exprimebant, idque quo cælestia corpora geminam admittunt sectionem. Corpore tãdem, ac Millenario, elementarem regionem, ob trinam sectionem, quæ secum pariter inuehit omnem alteritatis rationẽ, quæ profecto in hoc inferiore mundo est vel maxima. Elementarem igitur mundum, Millenarius refert; Cęlectem, Centenarius; Supercęlestem, Denarius. Et iure optimo per Denarium merces figuratur æterna, in qua nostra & in æternum Diuinæ visioni coniungitur, quia in ipso numero mistice Diuina simul & humana natura designatur. Deus quippe Trinitas est; Homo autem, septenarius. nam, & quattuor elementis constat corpus; & triplex est interioris hominis differentia, quam nobis oracula Diuina demonstrant, cum diligere iubent Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute. Vnde & in Decalogo tria sunt mandata, quæ ad cultum Diuini amoris excitant; septem, quæ proximi dilectionem commendant. Primum quidem tribuitur Patri, dum dicitur: Dominus Deus tuus Deus vnus est: vtiq; vt hæc audiens, vnum Deum Patrem colas, & in multos fictos Deos fornicationem non effundas. Secundum tribuitur Filio dicens: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanũ, idest, ne putes creaturam esse Filium Dei, quia omnis creatura vnitati subdita est; sed credas eum æqualem esse Patri. Tertium mandatum de sabbato põt tribui Spiritui sancto, cuius dono requies nobis sempiterna promittitur. Nam quia Spiritus dicitur Sanctus, propterea & septimũ diem sanctificauit Deus Reliqua septem mandata ad dilectionem proximi pertinent, quorum primum, quod tamen in ordine quartum est; incipit ab honore parentum. inde Apostolus hoc primum nominauit, dicens: Honora Patrem, & matrem, hoc est primum mandatum in lege. Qui ergo Decalogum in Dei, & proximi amore custodierint, iure merce-

Matt. 22.

Exho. 20

Matth. 15

Ephes. 6.

mercedem huius custodiæ in Dei visione percipient, & de gloria proximi gaudebunt. Quiq; in hac vita, et proximum, quem vident, & Deũ, quem non vident, diligunt, hi in futura vita, & Deum Regem in decore suo, & proximum glorificatum ac decoratum videbunt. Ceterum quis inficiabitur Decalogũ digito Dei fuisse descriptum, cum diuina scriptura testetur Deum dedisse Moysi in monte Synai duas Tabulas lapideas digito Dei conscriptas? Porro digitus Dei est Dei potentia, per quam efficitur Creatio Cęli, & Terræ, quorum amborum intelliguntur Tabulę esse signa. Nam Dei scriptura & formatio in subiecta Tabula, est Mũdi Creatio; Decalogus autem in imagine cęlesti continet Solem, & Lunam, astra, nubes, lucem, spiritum, aquam, aerem, tenebras, ignem. Hic est Cęli naturalis Decalogus. Terræ autem imago continet homines, pecora, reptilia, bestias, & ex aquatilibus pisces, & cete; similiter ex volucribus, & quæ sunt carniuoræ, et quæ miti ac mansueto vtuntur cibo; & ex plantis similiter, & quæ sunt fertiles, & quæ steriles. Hic est Terræ naturalis Decalogus. In ipso quoq; Homine, quem Philosophus minorem mundum nominauit, habet Denarius admirabilem vim. adsunt .n quinque sensus, & vocis edendæ facultas, & vis seminaria, & hic quoque octauus qui fuit in formatione spiritus, nona est facultas animæ, quæ principatum tenet, & dicitur principalis, & decima est sancti Spiritus, quæ per fidem accedit, formam & characterem tribuens proprietas, per lauacrum regenerationis. Adhuc Decem sunt sanguinei Hominis res, menstruum dico, sperma, plasmatiuus spiritus, massa, humores, organicum corpus, vegetatiua, sensitiua, ratio, & mens. Decem præter hæc simplicia integralia Hominem constituentia, os, cartilago, neruus, chorda, ligamentum, arteria, vena, panniculus, caro, cutis. Decem insuper partes, quibus constat intrinsecus Homo, spiritus inquam, cerebrum, pulmo, cor, hepar, fel, splen, renes, genitalia, matrix. Tabernaculum denique Mosaicum cęlesti tabernaculo figura respondens, & humani corporis formam præ se ferens,

[Margin: Exho. 31] [Margin: Clemens Alexan. Strom. lib. 8.] [Margin: Aristot. Physicorum, li. 8.] [Margin: Exho. 26]

decem

decem cortinis erat ornatū. Accedunt huius numeri alia Sacramēta. Decē fuerunt Cantores Psalmorum, vt habetur in מדרש תלים *Midrasch: Tillim, videlicet, Adā, Abraham, Melchisedech, Moyses, Asaph, Dauid, Salomon, & tres filij Choræ; quamquam a nostris Theologis alij connumerentur, nimirum: Moyses, Dauid, Salomon, Asaph, Ethan Ezrachi, Eman, Ezraita, Idithū, et tres filij Choræ, quorum in primo Paralipomenon nomina recensentur, videlicet: Asir, Elcana, & Abiasaph. Illis correspondent Decem organa, idest, Decem instrumenta, vel Decem modi Musicæ, quibus canebantur, sic dicti apud Hebræos: Neza, in quo canebantur Odę: Nablum, idem quod Organum; Mizmor, in quo Psalmi: Sir, in quo cantica: Tephila, in quo orationes: Beracha, in quo benedictiones: Halel, in quo laudationes: Hodaia, in quo gratiarum actiones: Asre, in quo alicuius felicitas: Halleluiah, in quo laudes Dei tantum, atque contemplationes. Quin & Græcorum theologia, nouem deputat Apollini Musas, ipsumq; Decimum Musis adijcit: illa videlicet caussa, quod humanæ vocis Decem sint modulamina. Vnde cum Decachorda Apollo pingitur cythara. Dauid etiam Psalterium vocat Decachordum Psal. 32. 91. & 143. Porro decem chordæ, sunt Decem præcepta legis; quia ipsa chordæ sunt, quas si bonorum actuum qualitate tangamus, salutare melos efficiunt, & ad Cælorum regna perducunt. Quod si priscorum Theologorum mysticos sensus scrutari voluerimus, Decachordum Psalterium dicimus Verbum IESV, qui manifestatur elemento Decadis. Decalogus (inquit Clemens Alex.) per elementum Iota, nomen beatum significat, IESV, qui Verbum est, ostendens. Vt enim Græci Denarium notant elemento Iota ι; Hebræi, littera י Iod; Arithmetici, & Calculatores signo 1, addita nota priuationis orbiculo signata: pari modo Latini Denarium insinuant intersectione Græcæ litteræ X, quam dicunt decussationem, cuius forma Iustinus philosophus, & martyr in secunda ad Antonium Pium Apologia, sacratissimę Crucis Christi mysterium contineri probat.*

Capit. 6.

D. Hier. in Psal. 32. & Epist ad Dardanū de diuersis generibus Musicorum.

Clem. Alexād. Pędago. Libro 2. capit. 4.

Beda ī Rut.

Stro. 6.

Decē a Grę cis scribitur per Iota, q̄ ē prima littera nominis IESV.

Valeri⁹ probus de litteris antiq.

probat. Nam recto vno apice a summo in imum ducitur, rursus alio non dispari per transuersa brachiorum componitur. Vnde & merito Decem verbis lex absoluitur, vt per eundem numerum figura Crucis exprimeretur. Hinc & ipsemet Christus ait: Non veni soluere legem, sed adimplere; vtique per passionem Crucis, cuius imago fuit in tabulis. Adhuc etiam Aegyptiorum Sacerdotes per ✠ Crucis effigiem, venturæ salutis spem intelligi volebant, sic ca vsi, postquam huius characteris nota cuncti, iussu Diuino, ianuarum postibus sanguine signatis, Hebræi ab Aegyptijs incolumes, illorũ primogenitis oĩbus ab Angelo interemtis, euaserunt. Quamquam & illud dici posset, Aegyptios notasse Denarium, per virgulam, quæ lineam transuersim agat; vti quinarium per eam, quæ lineam contingat, non aũt secet; vnitatem vero, per eam, quæ seorsum ponatur, vt hoc in exemplo licet videre. ┿ significat decem: ╪ notat quindecim: ┿ significat sexdecim; ╪ I. decem & septem. Orbiculus vero notabat centum sic o, seorsum positus: at coniunctus totidem, quot numeris apponitur, centenarios indicabat, vt sic, oo, vel sic II o. ducenta, sic ooo, vel etiam sic III o, trecenta; ├°, quingenta; ┼°, decies centena, siue mille. Magnum hoc mysterium Arabibus non fuit incognitum, qui hanc diuinam imaginem ┼, in brachijs, quo a nonnullis calamitatibus tutiores forent, sibi pingi volebant. quod & Platonem olfecisse, per suã decussem, coniectura consequi possumus. Refert etiã Ruffinus Aquileien. in Historia Ecclesiastica in templo Serapidis Alexandreæ destructo inuentas fuisse litterarũ notas in lapidibus sculptas, quæ apud Aegyptios vocantur sacræ, habentes ✠ crucis figurã, quas cum vidissent Christiani, Paganiq; singulos eorum hoc signum religioni propriæ deputasse. Christiani quippe signum esse dicebant salutiferę passionis IESV Christi; Pagani vero aliquam communionem Christo, & Serapidi per hoc signum ✠ asserebant; Interpretes autem signum Crucis hieroglyphico sensu vitam superuenientem insinuare dicebant. Quã ob caussam Christiani ad summũ fastigium sunt euecti.

Matth. 5

Lib. 11. ca. 29. & Tripart. li. 9. c. 29. Geo. Cedren' libro Hist.

Symbol. ✠

Vita ventura.

Cumq;

Cumque & per alias litteras, quæ apud eos dicuntur sacerdotales, iudicaretur finem habiturum Serapidis templum, & ea quæ tunc colebantur, quando videlicet Crucis character apparuisset, qui vitam superuenturam sine dubio declararet, multo plures ad fidem conuertebantur ex his, qui erant ex Sacerdotibus, vel ministris templorum, quam ex illis, quos errorum præstigiæ, & deceptionum machinæ delectabant. Non est silentio inuoluendum quod de Bathi Tactarorũ Principis vexillo legimus, cui character X. Grecorum litteræ non absimile, pictus erat, terra percussa, extemplo, tali tantaq; caligine, Polonorum acies, qua pene Tactaros profligarant, obducta est, vt eius caussa victi, et in fugam versi sint. Denarius preter hec aliud habet euidens sacramentum, quia dicitur numerus iustitię, quod astruere visus est sapiens ille Abrahã Patriarcha, dum imminente incendio supplex pro Sodomitis deprecatur, vt, si reperiatur in his Denarius, veluti quidam numerus iustitiæ, detur eis venia. orditur.n. supplicationẽ a remissionis numero quinquagenario, et in Denariũ desinit. Mitto allegoricã expositionem, quod vsq. ad Decem iustos non perire Sodomã dixit, quia si in quolibet, per Decem præceptorũ custodiam, Xp̃i nomen inueniatur, iste non perit. Decem.n. vt diximus, sunt Diuina mandata, et Denarij numeri figura Crucẽ Xp̃i demonstrat. Adde quod nomen Iesu apud Hebręos et Græcos a Iod, et Iota ι incipit, quod vtrumq; denarij numeri nota est. Animis item purgandis hic numerus accõmodatur, vnde Veteres ceremonias appellauere Denarias, quibus illos qui expiãdi, aut ad sacra adituri essent, per Decem continuos dies a certis qbusdã reb. abstinere oportebat. Inde apud Aegyptios mos fuit illi, qui sacris Isidis initiari vellet, Decem dierũ ieiuniũ indici. quod testatur Apul. de seipso inquiens: Illud plane cunctis arbitris pręcepit, vt Decẽ illis cõtinuis dieb. cibariã voluptatẽ coercerem, et neq; vllũ aĩal essem, et inuinius essem. Adhuc apud Plat. Herus Armenius genere Pãphilius de supplicijs purgatorijs differens, ad delendã culpã vtitur Denario numero, qđ dolorib. aboleatur, quę voluptib. inoleuit

Io. Laur. Ananias lib. 4. de natu. demonum. Aug. de Concor. Euãg. li. 2. c. 4. Gen. 8.

Lib. vlt.

De Legib. li. 6. Clemen. Alexãd. Stro. 5.

culpa. Sane pro quolibet voluptatis gradu, Decē adhibet supplicij gradus, quasi vniuersus numerus opportune purgandis aīs accōmodetur, vt per hūc allegorice insinuetur, uniuersam corporis labē prius esse deponendā, quam ad Vniuersi peruenias Principem, penes quē nihil pōt esse corporeum. Vniuersitatem quippe notat hic numerus, vt qui primus numerorum limes: ex quo etiam fit vt consummatæ tribulationis significationem accipiat. Hac nimirum lege, in Hebræorum gratiam, Aegyptijs Decem inflictæ sunt pœnæ; vt, qui in peccando nihil sibi reliquum fecerant ad summam malitiam, omnibus punirentur modis, perfectoq; poenarum numero ferirentur. Eo spectat quod in Apocalypsi legitur scriptum: Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, & habebitis tribulationem diebus Decem. quod explanans Primasius: Vniuersali (inquit) Ecclesiæ hæc dicta conueniunt, aduersus quā Diabolus inextricabiles inimicitias semper exercet. & propterea in Decē diebus, præsentis vitę significatur excursus, in quo Decalogi mādata sunt necessaria; quare subdit propheticus sermo: Esto fidelis vsq. ad mortē; et dabo tibi coronā vitę: ostendens quo pertingant Decē dies, qui vsq; ad mortē suadet seruare fidē. Sic Decē vicibus dicitur Laban mutasse mercedē Iahacob. typum gerens Diaboli inducentis hoīem ad oīum pręceptorum transgressionem. Sanctus Iob dicebat amicis suis, qui eum multis affecerant cōtumelijs: En Decies confunditis me, et nō erubescitis opprimentes me. Numerorum cap. 14. vbi Deus loquitur de Iudęorum sceleribus, quibus ipsum sępe ad irā prouocauerant: Qui viderunt (inquit) maiestatem meā, et signa quę feci in Aegypto, & in solitudine, et tētauerunt me iā per Decem vices. Et 1. Reg. cap. 1. Helcana Annam vxorem alloquens: Nunquid, ait, nō ego melior tibi sum, quā Decem filij? Daniel cap. 1. dicit de se ipso ad Malasar, Tentanos dieb. Decem. quem locum his verbis dilucidat D. Hier. Nō temeritate aliqua, sed fidei magnitudine, firmissimaq. Diuini auxilij fiducia, Decem illos dies pręstituit, certum habens fore, vt Deus apud gentem illā barbarā miraculo aliquo declararet, quā sibi grata

Cap. 2.

Ibidem.

Gen. 31. Glo. interest.

Iob 19.

grata esset suæ legis obseruantia. At contra Ozias arguitur quod quinq. dierũ tẽpus præfinisset, post quos, nisi aliunde subsidium popularibus preberetur, se ipsos dederent Assyrijs. In eodẽ Propheta scriptum est Regem inueniße pueros Decies doctiores alijs sapiẽtibus, qui Arioli & Magi dicebantur. In Apoc. cap. 12. 13. et 17. Decem cornua draconis, oĩa Mundi Regna cõplectuntur. Decem vero virgines in Euangelio, vniuersitatem credentium possunt insinuare. sic Decima generatio aliquando dicit totum tẽpus, vt qui non intrant in Ecclesiam etiam post Decimam generationem .i. nunquam. Vis Denarij alia sacramenta? Nouenarius, vt prædiximus, res bellicosa in oraculis habetur; superueniens autem Vnitas ad explendum Denarium amica putatur. id colligitur ex nouem Regibus, quando ciuili bello quattuor affectus, contra quinq. sensus insurrexerunt, & totam aĩam quasi ciuitatẽ adduxerunt in ruinæ, et vastitatis periculum. Quod prudens Abraham Decimus cum suorum manu superueniens sustulit, pro tempestate, trãquillitatem; pro morbo, sanitatem; vitam, pro morte, afferens, fauente nimirum Deo victoriam assecutus; ob quam gratus obtulit illi Decimas. Docent deniq; diuina oracula hoc numero quidquam esse latentis energiæ ac mysterij, cum adeo frequenter illum nobis inculcent. Gen. cap. 16. Sara post Decẽ annos Agar ancillam dedit Abrahamo in vxorem, vt ex ea liberos susciperet. cap. 24. Decẽ cameli, quos accepit seruus Abrahę, quęsiturus Rebeccã, significant decem præcepta legis, seclusis traditionibus Phariseorũ. Armillæ quoq; pondo Decem siclorũ, quas dedit Rebeccæ, sunt custodia mandatorũ. cap. 42. Decem fratres Ioseph in Aegyptum descenderunt, et cap. 45. Ioseph fratri Beniamin redeũti Decem asinos, ac totidem asinas dedit tritico paneq; onustas. Num. ca. 29. mensis septimi dies Decima sancta & venerabilis prædicatur. & paullo post dicitur: Die quarto offeras vitulos Decem. Ios. cap. 1. Nouem tribus cum dimidia transeunt Iordanem cũ Iosue, quia doctrina Christi perficienda fuit per Spiritum sanctum. cap. 17. Ceciderunt Manasse funiculi Decem. Iudic. 20. Decem viri eliguntur e

Iudith. 7. 8.

Matth. 25.

Deuter. 23.

Gen. 14.

Origen. hom. 3. in Ios.

centum, & mille e Decem millibus. Ruth. cap. 4 Boos tollit Decem viros de senioribus ciuitatis. Adhuc & 1. Reg. 17. Isai filiũ Dauid iubet accipere Decem panes decemq; formellas casei. Et cap. 25. Dauid misit Decem iuuenes ad Nabal. Et 2. Reg. 15. Reliquit Dauid Decem cõcubinas ad custodiendã domum. Rursum cap. 19. in fine, Decem partibus, inquit vir quispiam, maior ego sum apud Regem. 4 Reg. 20. Sol Decem gradibus reuersus est. quod & repetitur Esaiæ cap. 38. Thobias, vt in eius lib. c. 1. scribitur, Decem talenta a Rege accepit. 2. Mach. 5. legitur scriptum quod Iudas Machabęus, qui Decimus fuerat, in desertum locum secesserat. quasi diceret, in paterna Decem pręceptorũ lege perfectus. In Esaia cap. 5. Decem iugera vinearum faciunt laguncula vnam. Quem locum enarrans D. Hier. scribit Denariũ numerum in scripturis sacris mysticum esse, atq; perfectum. Apud Zachariam cap. 8. Decem ex oĩbus linguis Gentium apprehendunt fimbriam viri Iudęi. Iohan. 1. Hora Decima venerunt discipuli Iohannis ad Christum, quia docturus erat legem spiritaliter implendã. vel quia necesse est vt qui Deum videre desiderat, Dei se mandatis humiliter subdat; quiq; luce diuinæ contemplationis postmodum frui appetit, prius adiuuante Domino Decalogum per opera lucis, quasi Decẽ horas dici Sole illustrante compleuit. vel quia aduentus Christi fuit in nouissimis diebus. Aut quia Decima die tollebatur agnus. Luc. cap. 19. homo nobilis Decem minas seruis dedit, ex quibus is, qui ex vna Decem alias minas acquisiuit, laudatus est, et a Domino potestatem supra Decem ciuitates accepit in pręmium. de qua re statim audies quid Origenes dixerit. Et ne per singula curram, lege eundem Origenem hom. 13. in Leuiticum. Gregorium in Iob cap. 49. Cassiodorũ Senat. in expositione decimi psalmi. Augustinum de doctrina Christiana lib. 2. & de ciuit. Dei lib. 15. cap. 20. Hirenęum aduersus hæreses lib. 1. cap. 15. Nicolaum Lyranum in Matth. cap. 25. Andream Tiraquellum Tract. de Præscriptionibus. & inuenies quæ de huius numeri ratione disserunt.

Rupert' i Amos.

Exho. 12.

De

DE NVMERO XI.

VNDENARIVS numerus nullam habet cum diuinis, neque cum cælestibus communionem, nec attactum, nec scalam ad supera tendentem, nec vllum meritum. Primus enim transgreditur denarium, significans illos qui transgrediuntur Decalogum mandatorum. Et sic potest dici illud Matthæi cap. 28. quod vndecim Discipuli abierunt in Galilæam: quia scilicet Galilæa interpretatur volubilitas vel transmigratio. Et sicut denarium legis, & præceptorum numerum superat; ita deficit a duodenario, qui gratiæ, & perfectionis est. Ideo numerus peccatorum, & pœnitentium dicitur. Vnde non absque huius numeri mysterio, in gradu Vndecimo collocatus Propheta Regius pœnitentiæ se satisfactione prosternit. Omne enim peccatum est Vndenarium, quia dum peruerse agit, præcepta decalogi transit. Inde quia nulla nostra iustitia per se vitæ æternæ meritoria est, in tabernaculo testimonij, quod erat in itinere populi Dei veluti templum ambulatorium, iussa sunt fieri Vndecim saga cilicina, qui est habitus pœnitentium, & lugentium pro peccatis. Namque in cilicio est peccatorum recordatio propter hædos. In veteri siquidem lege hoc genus pecudis pro peccato iubetur offerri. pilus vero species est emortua, exsanguis & exanimis. ex pilis autem caprinis (hædos enim Iudex in fine seculi ad sinistram collocaturus est) contexebantur cilicia, quibus operiebantur, qui dignos pœnitentiæ fructus agebant, tamquam dicentes cum Psalmographo: Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. idest, habitu pœnitentiæ, & humilitatis. Beatus Prosper de Promissionibus & prædicationibus Dei: In huius (inquit) numeri sacramento, Vndecim velis cilicinis tabernaculum desuper operiebatur, quo reum esse ostendat totum

Psal. 129. Beda.

Exho. 36 & 36.

Origenes li. 13. in Exhodum.

Matt. 25.

Psal. 34.

mundum Deo, ab sub pœnitentia degere. Et in Vndecimo psalmo Propheta defecisse sanctos, & filios hominum veritates vanitatibus ac dolis mutasse conqueritur, dicens: Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filijs hominum; vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum labia dolosa, in corde & corde locuti sunt. Hoc numero tacite designans, quod huiusmodi homines duplicis linguæ & cordis, neq; legalia decalogi præcepta custodiant, neq; apostolicã Euangelij percipere gratiam possint. Eandem sententiam profert D. Augustinus lib. 2. de Concor. Euang. dicens. Denarius iustitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur. porro peccatum est legis transgressio, & vtique transgressio denarij congruenter in Vndenario figuratur. vnde & vela cilicina iubentur in tabernaculo Vndecim fieri. Quis autem dubitet ad peccati significationem pertinere cilicium? Alibi etiam septenarij, & Vndenarij perscrutatus naturam, hæc infert: Non frustra, nec temere Dominus septuagesima septima generatione venit aboliturus omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet, quod ad significationem pertinet omnium peccatorum, et hoc Vndenario, & septenario considerandum est, qui numeri per se multiplicati, ad tantum perueniunt. nã Vndecies septem, & septies Vndeni sunt septuaginta septem. Vndecimus autem numerus denarij transgressionem significat. Deinde subdit: Manifestum quod transgressio denarij peccatum significat per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionemq. amittentis. tantũ ille. Spectat ad hoc mysterium quod in Genesi quattuor Lamech filij cõmemorantur, Iabel, Tubal, Tubalcain, & eorum soror Noema. cum tamen in ceteris vnus dumtaxat filius recenseatur. Vxores. n. Lamech aliud significant; non hoc, quod nunc cõmendatur. hic quippe de generationibus loquimur: illæ vero, vnde genitæ sint, tacetur. Cum igitur varia quantitate numerositatis annorum interposita per tam longam ætatẽ ab Adam, vsque ad Cataclysmum non ęqualis numeri generationes habuerit vtraq; progenies, sed per Seth decem

Cap. 4.

In Ciuit. Dei. lib. 15. ca. 20

Questio. euang. li. 2. cap. 6. Beda in Luc. c. 3.

Gen. 4.

Aug. in ciuit. lib. 15. c. 20.

cem, nam decimus Nohe; per Cain sceleratũ septem, a quo Lamech, isti tres adduntur filij, & filia, vt impleatur Vndenarius, peccatũ mystice notans. Quare & ipse numerus a femina clauditur, a quo sexu initium factum est peccati, per quod omnes morti subijcimur. Cuius mysterij non ignarus Augustinus hæc scribit in Ciuit. Diuina. Hoc non incassum notandum arbitror, quod in his generationibus, quæ propagantur ex Seth, cum genuisse filios dicatur & filias, nulla ibi genita nominatim femina expressa est: in his autẽ quæ propagantur ex Cain, in ipso fine quousq; protenduntur, nouissima femina genita nominatur. Hæc ille. Commissum est etiam vt & voluptas carnis, quæ spiritui resisteret, sequeretur. nam & ipsa filia Lamech Noema, voluptas ab eodem Augustino interpretatur. Non est autem hoc loco prætereundus sacrificij veteris mos, vbi masculi vocabulo insontem, & nulla criminis macula notatum intelligi debere autumant Theologi; per feminam vero, crimen. Cyrillus.n. in Leuitico Hom. prima, siue huius sit, siue Origenis, vbi agitur de vitulo masculo sine macula offerendo, masculum ait intelligi, qui peccatum ignorat, propterea quod femina sit peccati symbolum. labilis.n mollis, & ad delinquendum procliuis admodum est mulier, tanteq. infirmitatis vt Salomon dixerit, meliorem esse iniquitatem viri, quam mulierem benefacientem. Cui concinit Menandri versiculus.

Lib. 15. c. 17

Lib. 15. c. 10

Exho. 12. Leuit. c. 21.

Eccles. 42.

Muliere nihil est peius, vel etiam bona.

Alter quoque.

Vbicunq; mulieres sunt, ibidem mala sunt omnia.

In quibusdam libris hanc inueni descriptionem: Mulier hominis confusio est, continua solicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, solitudinis impedimentum, adolescentiæ naufragium, animal pessimum, pondus grauissimum, aspis insanabilis, humanum mancipium. Nonnulli feminas monstra esse hominum aiunt, & propter calorem deficientem nasci. Nec id quidem iniuria, cum multis placeat mulieres ferme rationis esse expertes. Nã Diuinus Plato du-

Feminarum mala plurima in vnũ cõgessit Io. Chrysostomus ea Homilia quam in Decolla. Iohãnis edidit. Tertullianus libro de habitu muliebri. Origenes in Euãg. Chananeæ, Cyprianus lib. de singularitate feminarum.

bitare videtur, vtro in ignem ponat mulierem, rationalium animalium, an brutorum. Martianus autem scribit Mineruam ideo sine matre natam, quoniã in femina prudentia non est, cuius dea est ipsa Minerua. Versus Martiani sunt huiusmodi in hymno Palladis.

Hanc de patre ferunt sine matris foedere natam,
Prouida consilia quod nescit curia matrum.

Dum hæc scriberemus Lucretius Rotha Comes & Canonicus Bergomas optime indolis adolescens, familiæ claritate, litterarum studio, & morum commendatione insignis hoc epigramma nobis suppeditauit.

Vxor, amice, tibi est semper mala; cum male tractas,
Fit peior: sed fit pessima, quando bene.
Sed bona, si moriatur, erit: melior tamen, id te
Si faciat viuo, ast optima, si propere.

Porro mulierem omnem esse malam, perquam venuste significauit & Democritus, qui cum percunctaretur, cur cum magnus esset, vxorem duxisset pusillam: Ego (inquit) in malo deligendo, quod minimum erat, elegi. Et Protagoras interrogatus, ob quam caussam inimico filiam dedisset; respondit se illi nihil dare potuisse deterius. Vt aliquid tandem a nostris mutuemur, Blancum Bongum vtroque iure Consultissimum, atque in maiori Bergomate ecclesia Primicerium, patruum nostrum, tantæ profecto & dignitatis & auctoritatis virũ, vt in huius obitu totius cleri lumen, & ciuitatis extinctum splendorem magno Illustrissimi Cardinalis Albani testimonio comprobatum sit, sepe illum inquam dicere solitum accepimus, trium maxime rerum caussa gratias se Deo agere, primo quod homo non bellua, deinde quod non mulier sed vir natus esset, postremo quod cœlibem vitam agere maluisset. Nec vero nos quispiã existimet, in mulierum genus ideo inuehi vehementius, quod ab illis grauia forte perpessi simus. Quemadmodum .n. nemo non intelligit, et antiquitate & splendore Bungorum familiã multis id genus alijs in nostra ciuitate maxime excellere, cum plurimis quidem de caussis, tum pręcipue quod olim summa rerum Bergomatum diu potita fuerit, quemadmodũ annales ipsi forenses vel facile testantur,

Ant. Monachus serm. lib. 2. c. 34.

in quibus actitata multa apparent in curia Nobiliũ de Bungis. vnde postea factum est, vt ad hanc vsq; diem Nobilitatis elogio ipsa familia decoretur, nec vllo illiberali studio violata sit; sed perpetuo viris vel litterarũ studio, vel militiæ disciplina præcellentibus floruerit: ita illud etiam ad huius generis splendorem cõseruandũ accessit, quod ne feminis quidem huius familiæ vlla vnquam labis nota inusta sit. At de his hactenus. Reperitur hic idẽ numerus in generationibus filiorum Cham a patre maledicti. Nã generationes filiorũ Nohe cœptæ sunt commemorari a filio minimo, qui vocatus est Iaphet, cuius filij octo nominati sunt, nepotes autem septem de duobus filijs eius; tres ex vno, quattuor ex altero. Fiunt itaq; omnes quindecim. Filij aũt Cham, (hoc est, medij filij Nohe, qui propter peccatum reprobatus, ac in filio maledictus,) quattuor, ac nepotes quinq; ex vno eius filio; pronepotes duo ex nepote vno. Fit igitur eorũ summa vndecim. D. Hieronymus in Zach. Vndenarius ad res seculi pertinet, sicut Vndecimus mensis. Refert et Ven. Beda com. in Apocal. Antichristum positũ hoc in numero, quo illius insinuetur præuaricatio. Vndecimũ .n. cornu in bestia significat Antichristũ. & Deuteronomij librũ Vndecim dieb. a Moyse fuisse descriptũ ad dicit significandũ Iudaicæ plebis lapsũm in Euãgelio per transgresionem Decalogi mandatorum. Est .n. Deuteronomiũ repetitio quattuor librorum legis, siue secunda legislatio, quod significat Euangeliũ. Ostendunt huius numeri infelicitatem Vndecim filij Iahacob vendentes eorũ fratrẽ Ioseph, eo quod apud patrẽ illos accusasset crimine pessimo, vt legitur Genesi cap. 37. Adhęc Vndecima mãsio filiorũ Israel fuit in Raphidim, quo sub numero duo mala cõmisit populus, alterũ iurgij aduersus Moysen, alterum tẽtationis aduersus Deũ, dicendo: Est ne Deus in nobis? Quare nomen loci illius dictũ est Tẽtatio. In hoc numero persecutiones patitur Iustus. Quare in Psalmo 82. Vndeni enumerantur pugnantes aduersus sanctos, Idumęi. s. Ismaelitę, Moab, Agareni, Gebal, Ammon, Amalech, Philistijm, Tyrũ habitantes, Assur, filij Lot. Quod mysterium D. Hier. non reliquit intactum

Cap. 1.
Cap. 17.
Dan. 7.
Gre. moral. 32. 15
Beda qő. in Deut. cap. 1.
Beda in Act. 1.
Gregor. mor. lib. 32. c. 15.
Exh. 17.

tactum

tactũ hęc scribens in eiusdẽ Psalmi expositione: Vndecim (inquit) sunt qui pugnant aduersus sanctum. Quoniã ergo pugnauerunt contra sanctos, ad perfectum numerũ.i.duodecimum, venire non potuerunt. Ierem.cap.52.de Sedechia, qui peccauit contra Dominum, nec veritus fuit regis Babylonis fallere dextrã, scriptum est quod Vndecim annis regnauit in Hierusalẽ. Et 4.Reg.25.relatum est clausam fuisse ciuitatẽ Hierusalẽ atq; vallatã vsq; ad Vndecimũ annũ Sedechiæ. In Vndenario Petrus Apostolus remanere metuit. Nisi.n. signari culpã per hũc numerum cerneret, impleri Apostolorũ numerũ tã festine duodenario non curaret. Cum.n.proditor Iudas defecisset, Matthiam duodecimum sorte missa requisiuit. Et hic est ille operarius in Vinea Domini, qui circa horam Vndecimam venit, qui cum ceteris Vndecim Apostolis connumeratus est. Homo.n.qui diluculo egressus est ad conducendum operarios, Deus est; Vinea, Mundus: Operarij sunt Apostoli. Iuxta altiorem autem intellectum, damnum Ecclesia, quod in falsis fratribus patitur, hactenus ex parte maxima perdurat incorreptum. At cum in fine Mundi Populus Iudæorum, qui Dominum crucifixit, reconciliandus Ecclesiæ creditur, velut quinquagesimo die appropinquante, Apostolorum est summa restituta. Ceterum quod apud Ezechielem dicitur longitudinem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem vndecim cubitorum, videtur facere quæstionem quomodo dualis numerus (qui refertur ad duas decadas,) & Vndecimus, qui probantur infausti, in vestibulo templi esse dicantur? Hoc ita soluit D. Hieronymus: quamuis sancti sint Sacerdotes, et in templi ministerijs collocati, & quotidie victimas offerant Christo, tamen quia in hoc mortali fragiliq. corpusculo, et ægrotationibus vitijsq. subiecto, commorantur, vicenarium habent numerum, et Vndecimum. Vnde dicebat Apostolus: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed ab his transeamus ad Pythagoricam disciplinam. Perfectum numerum suis adæquatum partibus, Virtuti contribuũt Pythagorici; abundantem vel diminutum, vitijs. Omnis.n.

Beda in Act.1.

Gregor. mor. lib. 32. c.15.

Atha. li. quęst. capit. 51.

Matt.20.

Beda.

Cap. 40.

Rom.7.

moralis Virtus medio inter plus & minus residet loco, & in mediocritate extremorum consistit, arcens ac vetans tam quod abundat, quam quod deficiens & imperfectũ est. Quemadmodum igitur perfectus numerus, virtutis; pari ratione diminutus, vel superfluus, vitiorum habet similitudinem, id quod rata fit serie. Qui enim superuacua magis progressione porrigitur, vel contracta diminutione remittitur, is vitiorum maxime censetur æmulator. Liquet vero Vndenarium numerum apud Arithmeticos, inter primos & incompositos locum possidere, qui veluti paupertate inopes, ac nimis oppressi, nullam aliam partem habent, nisi eam, quæ a tota numeri quantitate denominata est, vt ipsa pars non sit, nisi vnitas. Quare Vndenarius mystico sensu vitia designabit. quod adeo conuenit cum Theologis, vt nec quidquam simile dici possit magis. Illud itidem ad huius numeri naturam considerandam referri potest, quod antiquis gentilium Sacerdotum ritibus recõditum, hoc dierum numero vmbras errare, ac silicernio pasci. quo sane tempore Dijs superis haud sacrificabant, nec accendebantur ignes, nobiles seipsos non ornabant, & nuptæ a viris suis secubabant. Huius ritus meminit Ouidius Naso libro de Fastis.

Lib. 2.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
 Aufer, habent alias mæsta sepulcra faces.
Dij quoque templorum foribus cælentur opertis,
 Ture vacent aræ, stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulcris
 Errant, nunc posito pascitur vmbra cibo.
Non tamen hoc vltra, quam quot de mense supersunt
 Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia iusta ferunt dixere feralia lucem.
 Victima placandis Manibus illa dies.

Alexan. Neap. li. 3. c. 7.

Licurgus huius numeri perspecta natura Lacedæmonijs Vndecim dierũ spacio funeris luctum terminauit. Illud deniq; mirum quod Vndenarius numerus ita videtur natura vndiq; imperfectus, vt in vndecima numerorũ linea, siue sede vnitatis, nullum perfectum numerum inuenias, cum id fere in alijs contingat. id autem singu-

los

los numeros recensentibus, qui vndecim notis constant, perspicuum erit, & a nobis quoque clarius explicabitur, cum ad 28. numerum perfectum deuenerimus. Quam ob caussam fortasse Nothis hic numerus attributus videri potest, cum & numerus, & ipsi nothi sint in omnes partes imperfecti. Est n. diuinum quiddam & legitimum in natalibus hominum, quo qui caret Nothus dicitur, quasi numine priuatus, vel a Diuinitate alienus. Quare existimantur qui ex illegitimo concubitu nascuntur, ad honorum gradus inhabiles. Itaq; tam ex veteri lege, quam Summorum Pontificum decretis, interdicti sunt a sacris Ecclesiæ muneribus, quibus nihil non perfectum & omnibus numeris absolutum videtur conuenire: quamuis aliæ quoque caussæ, (vt quasi præteriens id quoq; tangam,) soleant a scriptoribus assignari, quamobrem sacris Ordinibus non admittantur spurij. quarum prima est incontinentiæ metus, ne quid in liberis paternæ libidinis resideat, cum ipsi nati censeantur vna stimulante libidine. Solent. n. liberi plerunq; parentum vitia, virtutesue referre. Quo circa iam vsurpatum in prouerbijs est: Fortes gigni ex fortibus. Et Atticismus ille tritus est κακοῦ κόρακος, κακὸν ὠόν, idest ex malo coruo, malum ouum. Atqui ita fere fieri videmus, vt ex nothis, nothi sæpe gignantur. licere enim sibi putant, vt pote qui nulla sint existimationis dignitate insigniti, tamquam immundæ sues eodem cœno, quo nati sunt, vsq. volutari. Iure igitur cum sancta et pura Dei ministeria deceat sancte & pure tractari, id hominum genus flagitiosa labe pollutum reijcitur. Altera vero est, vt hominum incontinentia reprimatur, cum videant ex ea gigni fetus, qui sint censuris Ecclesiasticis obnoxij. liberorum. n. pœna, vel ipso Cicerone teste, retardat maxime parentes a scelere. Tertia caussa est, quod fere apud omnes mortales Nothi nomen opprobrio detur. Scite enim Lacædemones, cum Delphicum oraculum vulgaretur, tum eorũ imperium casurum cum mancus, ac claudus imperaret; interpretatus est Leander, nullum magis debilitatum videri, quam, qui ex adulterio natus male audiret. In cultu autem summi, & altissimi Dei,

Suidas dictiõe Nothus.

Ad Brutum.

qui

qui adhibentur, carere debent omni vitio & labe. Itaque reijciuntur nothi, qui, cum plurimum a ceterorum hominum perfectione distent, Vndecimo numero, qui imperfectionis est, notati sunt. Percrebuit. n. dictum: Nothos esse Vndecim vnciarum. quod certe idcirco dictum videri potest, quia, quemadmodum vndecim vnciæ deficiunt a perfectione ponderis, quæ libra est, eaq. duodecim vnciarũ, qua fere solent res ponderari: sic nothi etiam quodammodo vncia deficiunt a perfectione humanæ naturæ, quæ per perfectum pondus, nempe libram, designatur. Etsi arbitrarer ego Vndecim digitorum dicendos esse nothos, quia mos est oblatarum rerum magnitudinem spithamis, quæ nobis promta est mensura, dimetiri. Est autem spithame duodecim digitorum spacium; digitus vero, quantum occupant tritici quattuor cohærentia grana. At vero spithame auctoribus D. Hieronymo, & Michaele Neandro extentam significat manum a pollice vsque ad extremum digitum auricularem, quam quidem dimensionem nos materna lingua haud multum a Greco sermone distante, Spana, vocamus. Obseruatum est autem nothos breuiorem habere digitum auricularem, quam legitimos, ita vt auricularis digiti summum sit infra extremum annularis digiti articulum, & manus extensione spacium spithames, quod duodecim digitorum latitudine constat, dimetiri non possint; sed eorum manus extensio ad Vndecimum tantum digitum perueniat. Hocque inditio etiam Chiromantici vsi sunt ad dignoscendos illegitimo matrimonio procreatos. Quod si aliqui occurrant, qui, cum habeant digitum istum breuiorem, censeantur tamen, & habeantur certa communi hominum opinione legitimi; non idcirco tamen falsa præsens obseruatio existimanda est, quæ non tam hominum opinioni, quam veritati rei innititur, statuens quod longo vsu, & probatione verum comperijt, cum ex diuerso opinio ducatur sæpe tum ab apparentibus quibusdam coniecturis, tum vero ab hominum fama et rumore, qui in verbis solis plerumq. consistit. Prudentissimo tamẽ cõsilio factũ est, vt sæpissime opinio preualeat,

Hieron. com. in capit. 40. Esaiæ.

veriorq;

ueriorq; cẽseatur, & maiorem auctoritatem apud omnes obtineat, quam ars vel scientia aliqua, & faciles vel sapientissimus quisq; aures ei rei adhibendas putat, quæ sibi & honestior & tutior videtur. Nam cum expedit in ijs, quæ in precio habentur, vel vitio verti solent, prudens ab inueterata opinione recedendum nõ putat. Non ob id igitur quod filius hoc digiti signo sit præditus, vir bonus & prudens vxorem adulterij insimulauerit, neq; ad maculam delendam vtetur remedijs, quæ ab iratis vulgo solent adhiberi, diuortio. s. vxoricidio, veneno, & filiorum abalienatione. Ex quibus quæ dedecoris labes, quæ inimicitiæ, quæ vitæ propriæ odium contrahatur, quis est cui possit esse dubium? Quare semper prudentes viri, minime prudentis existimarunt huiusmodi suspicionem vel liberis, vel vxori, vel cuiquam alij obijcere: & facile passi sunt etiã non incertæ cognitioni derogari ab hominum opinione.

DE NVMERO XII.

PLENAE, cõsummatæq; virtutis est Duodenarius. recipit. n. diuisiones (ex quibus consurgit) ordinatas, multiplicatione senarij per binarium, & binarij per senarium, & ternarij per quaternarium, et quaternarij per ternariũ. nec mysterio vacat, quod in eius compositione quinarium elegit, & septenarium. nam quinarius consurgit copulatione binarij cum ternario. Materies exprimitur nomine binarij, forma vero nomine ternarij; atque id sane quod binarius fons exsistit diuisionis, ac multitudinis, vt non tam multitudo Philosophis videatur, quam multitudinis initium, & origo, quodq; ab vnitate primo fluxit, primusq. sit vnitatis partus, quatenus, & Diuinæ creationis primo producto respondet. Ponebant. n. Philosophi non ignobiles Deum, & Nihil, infinita duo; sed Nihil Diuinæ subiectum infinitati, & omnipotentiæ, vtpote cuius verbo ad esse prodijt.

dijt. primitus autem prodijt materia, quam complexionis necessitudinem nonnulli posuere, quoniam iuxta eius compositionem darentur formæ. hinc dicebat Plato formas dari secundum merita materiæ. Secundo autem loco prodijt forma, quod tamen intellige posterioritate temporis, non naturæ. idq. non ab re, ternarium, vt pote secundo loco ab vnitate, formæ adscripserunt, quod forma secundum se indiuidua, & quo perfectior, eo amplius, veluti a qua omnis procedit vnio. Primum autem compositum dixere quinarium, binario & ternario resurgentem; Septenarium autem secundum dixere compositum, vt pote ex crassiori materia restitutum; ternario inquā, & duplicato binario, ex quibus conficitur Duodenarius, Ciuitatis apud Platonem numerus. Continentur autem his Duodenarij partibus omnes concentus, totaq. harmoniæ ratio. Nam prima sesquialtera nascitur inter tria, & duo, vnde quinarius dicitur prima huius proportionis radix. prima quoq. sesquitertia prouenit inter quattuor, & tria, quare septenarius est radix sesquitertiæ. Sesquialtera consonantia generat Diapente. Sesquitertia procreat Diatessaron. Ex his duabus quinta, & septima conflatur consonantia, in dupla proportione consistens, Diapason, cuius radix est Duodenarius. Porro consonantiam Diapente Plato potioribus assignabat: at Diatessaron deterioribus tribuebat, & imperfectioribus. Adeo volebat Ciuitatem potioribus, & deterioribus constare, quo nobis, vt in symbolo, pingitur hic Mundus perfectioribus, & imperfectioribus compositis conflatus. Eo vsq; per quinarium de perfectioribus huius Mundi compositis philosophatur; & per septenarium de imperfectioribus. Verum si ad nos hæc conferre voluerimus, dicemus, quæ trium ad duo concinnitas assignatur, nobis esse argumento perfectionis nimę; & id actione, & contemplatione, cui consonantia Diateßaon, eaq. quattuor ad tria, admota, cōcinne partis corporeæ sensibilisq. ad animam, exprimit interuallum. Rursum quod Duodenarius duobus perfectis numeris, nempe sex & sex, in quos primū resoluitur, constat, humanā vitę vtriusq. notat perfectionem,

actiuę

actiuæ.s.& contemplatiuæ. Adeo status humanus, humanaq. perfectio in quodam velut biuio, vita inquam actiua, & contemplatiua exsistit. Porro vtraq; tribus integrata, nempe principio, medio, & fine. ita sane vtrinq; sunt incipientes, proficientes, & perfecti; quẽadmodum senarius tribus consurgit partibus restitutus, ternario, binario, vnitate, eoq. pedetentim deiformes fiunt, & ad vsq; vnitatem, omnis perfectionis initium & complementum, feruntur. Præterea cum impariter pares consurgant imparium disposita serie a ternario, & pariter parium a quaternario, quolibet in quemlibet ducto, Duodenarius primus erit impariter par, surgens ex ductu primi imparis, nempe ternarij in quaternarium primum pariter parem. At quaternarius cum sit numerus elementorum, rerum corporea exprimens elementa, sintq; impares numeri formarum expressiones, apposite Duodenarius perfectissimum exprimet mixtum. Homo .n. quo ad corpus, expressus est quaternario, & quo ad animum ternario, trina siquidem rationalis anima, Diuinæ Trinitatis proximum vestigium. Porro ternarij in quaternarium ductu, & veluti quadam ternarij informatione, restituitur Duodenarius nobis ex ea parte Hominem exprimens. Præterea Duodenarius est primus vitæ numerus, primi item prouentus, atq; incrementi. omnes etenim se transilientes atq; abundantes numeros quidam Pythagoræorum (Bouillo testante) vitales vocant ac fecundos. Hi.n.postquam semetipsos restituere, suisq. partibus coaluere, aliquid insuper in sese proferunt, largosq. prouentus ac fœnora reddunt. Horum primus est Duodenarius, nam eius simul sumtæ partes. 1.2.3.4.6. sextumdecimum conflant, & simul ductæ pariunt. 144. Duodenarij quadratum. Et vt Duodenarius se præcellit, superatq. quadrato, nam quaternario; ita & suis partibus efficit gignitq. quadratũ. Est enim 4. secundus actu quadratus: 16. quartus. Et si quod suis efficit partibus videlicet. 16, illi copulaueris, surget perfectorum secundus. 28. concrescens ex. 16. & 12. quo numero Astronomi Lunę globum proprio motu circa terram circumuehunt. His de causis

Platonici

Platonici vniuersalis formæ mundanæ, vel humanæ, atque ciuilium gubernatorem indicant Duodenarium, plurimumque rerum propagationi, mutationiq; congruere. Illum porro summopere Plato celebrat in Phædone, Duodenario formarum numero describens Orbem: in Critia plagis Duodecim antiqua ante diluuium describit regna: in Phædro Deorum, Dæmonumque exercitum sub duce Ioue in ordines disponit Duodecim: in Legibus custodias, magistratus, agros, vicos, ciuitatemque secat in partes Duodecim. Quod vero partes vrbis sequi circuitum Vniuersi dicit, totum octauæ sphæræ circuitum intelligit, triginta & sex annorum millibus perficiendum. qui sane numerus tribus millium Duodenarijs perfecte completur, adeo vt in primo millium Duodenario, ex Antiquorum sententia, intelligas iuuenilem totius Mundi habitum, in secundoo virilem, & senilem in tertio. Suam quoque Ciuitatem Dijs Duodecim commendat Plato, quod & in syderibus Zodiaci Duodecim a Pythagoræis positi fuerint particulares Dij, siue animæ sitæ in cordibus eiusmodi syderum, atque exinde totum sydus regentes, scilicet in corde Arietis, Pallas particularis; in corde Tauri, Venus particularis; in corde Geminorum, Phœbus particularis; in corde Cancri, Mercurius; in corde Leonis, Iuppiter; in corde Virginis, Ceres; in corde Libræ, Vulcanus; in corde Scorpionis, Mars; in corde Sagittarij, Diana; in corde Capricorni, Vesta; in corde Aquarij, Iuno particularis; in corde Piscium, Neptunus particularis. Octauo deniq; libro de Republica Duodenarium tamquam diuinum celebrat. Neq; dumtaxat Duodenarium laudat Plato; sed et vniuersum illum, qui Duodenario prorsus accommodatur, commendans numerum 5040. in domiciliorum & agrorum diuisione, quod in Duodecim partibus secari possit. Videtur.n.Plato plurimi facere, quod ille numerus Duodecies diuidatur in 420.quodve hic rursus Duodecies in 35.at vero hic Duodecies, in duo, atq; insuper vndecim duodecimas partes. sed de hoc nume-

ro proprius dabitur loquendi locus. Ad Duodenarium redeo, quo facierum numero Mundus a Platone formatur in Timæo, etiam propter sphæras Mundi Duodecim. Namque post illam primam Mundi animam totius huius visibilis auctricem, quem dicimus Mundum siue Vniuersum, Duodecim sunt principes animæ, quæ Duodecim præsunt partibus Vniuersi, octo videlicet Orbibus cęlestibus, ac quattuor elementis, quarum singulæ, quia iuxta Orphicam Theologiam, partim congruunt cum Mundo intelligibili, ex quo sunt; partim declinant ad corpora, quæ producunt, duplicem dicuntur habere virtutem; vnam in cognoscendo positam; alteram in viuificando & regendo corpus suum sitam. Hoc modo in cælestibus sphæris priorem illam virtutem Orpheus vocat Bacchum, alteram appellat Musam, nominans animam

Terræ,	Plutonem & Proserpinam;
Aquæ,	Oceanum & Tethin;
Aeris,	Iouem fulminatorem & Iunonem;
Ignis,	Phanetam & Auroram;
Lunæ,	Bacchum licniten & Thaliam;
Mercurij,	Bacchum lysium & Erato;
Veneris,	Bacchum trietericum & Melpomenem;
Solis,	Bacchum silenum & Euterpen;
Martis,	Bacchum bassareum & Clio;
Iouis,	Bacchum sabazium & Terpsichoren;
Saturni,	Bacchum amphietum & Polymniam;
Postremi Orbis,	Bacchum Pericyonium & Vraniam;
Ipsius autē Vniuersi,	Bacchum Eribromium & Calliopen.

Duodecim igitur sunt totius Orbes, Duodecimq. aīarū diuinarū, & ordines et duces. Nec tamen cum quibusdam Platonicis ita censemus, quasi Cælum, & omnia elementa habeant ipsa quoque peculiarem animam, quam vocant motricem, eo quod perpetuo & infatigabiliter moueantur, quod opinatus fuerat etiam Theophrastus Aristotelis discipulus. nam huiusmodi opinio de anima motrice prorsus peccat contra vulgatam loquendi rationem, & contra Philosophiæ principia. Quod.n. præclari Philosophi, vt Cicero commeminit,

Cælum,

Cælum, Stellas, & Mundum dicunt habere animam, proculdubio significare volunt ista moueri, regi, & gubernari ab animis & spiritibus, non quidem insitis sibi tamquam corpori animato, sed cura Dei sic instructis & alligatis, vt Angeli, aut boni Dæmones suum quisque cęlestem orbem, suam stellam moueant, ac regant, atq; ipse demum Mundus vniuersus a summa Anima, idest, a Deo ipso vegetetur, foueatur, ac regatur, iuxta illud Virgilianum,

Li. de natura Deorum.

Principio cęlum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Igneus est ollis vigor & cęlestis origo
Seminibus.

Aen. 6.

Ad Heliophorum redeo.

-----vt certis dimensum partibus Orbem
Per Duodena regit Mundi Sol aureus astra;

Virg. Georg. libro 1.

sic iure conijcere possumus ceteros omnes pari ratione se habere, quando singuli quodammodo totius retinent ingenium, sicut in Timæo noster significat Plato. Non sunt autem silentio inuoluendæ, quas Astronomi rationes adducunt de Duodenario numero Signiferi. Primo enim Sol, Venus, & Mercurius Zodiacum Duodecim percurrunt mensibus; Iuppiter, annis Duodecim; Luna quotidie gradus, siue partes peragit Duodecim, suasq. mansiones habet Duodecim partium, ipsaq. cum Sole menses agit Duodecim, adeo vt multi Lunarem non Solarem secuti rationem, annum constituerint dierum tercentum quinquagintaquattuor. Duodecim enim menses Lunares conficiunt dies 354. mensibus alternatim in 29. & 30. diebus distributis, quibus si 11. Epactas, & quadrantē adieceris, numerum 365.$\frac{1}{4}$ conflabis. Adhuc etiam quattuor naturarum, siue qualitatum sunt elementa. est enim in igne, caliditas, & siccitas; caliditas & humiditas, in aere; est aqua frigida & humida; terraque frigida & sicca. Ceterum cum signa

agāt in elemēta (nā superiora imprimunt in inferiora) necesse fuit esse signa secundum quattuor qualitatū varietatē. Quare in quattuor elementa agent signa secundum tres modos; primo modo, esse nutriendo & augmentando; secundo, esse nec ex toto nutriendo, nec ex toto destruendo; tertio, esse destruendo. quo efficitur, vt quælibet tria signa, secundum prædictos tres modos, in vnum agant quattuor elementorum, tria scilicet ignea, Aries, Leo, Sagittarius, in ignem; tria simili ratione aerea, Gemini, Libra, & Aquarius, in aerem; tria quoq; aquea. s. Cancer, Scorpio, Pisces, in aquam; tria denique terrea, Taurus, Virgo, & Capricornus, in terram. At tria per quattuor ducta Duodenarium restituunt. In his fuere concordes Ptolemæus, Aaydimon, Astaphan, Alcabitius, Albumasar, Bonatus, omnes deniq; Astronomi, vniuersum globum diuidentes in Domos Duodecim, quod diagramma, seu themation vocant Attici. His accedit, quod signorum quodlibet in suum agit elementum secundum tria esse, principium. s. medium, & finem. quare quattuor cum sint elementa, Duodenario numero signa concludi necesse fuit. Hinc Plato (si ea quæ scripsit in Timæo sunt potius ad eius dogmata referenda, quam ad Pythagoricam disciplinam) Duodecaedram figurā, quæ Duodecim facies habet, adscribit Mūdo, propter syderum formas Duodecim, non ex Mathematicis Physica componens, sed in his quandam proprietatem communiter esse persimilem insinuans; & comparanda hæc inter se potius, quam componenda. Quemadmodum. n. Duodecim sunt formæ Signiferi, quarum quęlibet in partes triginta secatur, ac per Duodenariū numerū ductæ, oēs statuunt numerū 360. pari analogia in figura Dodecaedra pentagonos licet intueri Duodecim, sigillatim in triāgulos æquilateres quinq; diuisos, ita vt vnusquisq; rursus ex triangulis sex scalenis cōficiatur, & in omni mole Dodecaedra 360. trianguli reperiantur. Hic suum habet locum geometrica figura, qua solidam Orbis circumstantiam numero concludi Duodenario conspiciemus. sed reuocanda in mentem quæ de circuli circumferentia diximus alibi.

docebamus

docebamus enim superficiei plenitudinem, planamq. circuli circũstantiam esse senariam. Constituo igitur Orbem vnum in plano aliquo subiecto, cui addo circumstantiam sex æqualium Orbium (sicut enim sex circulis in plano eundem medium circumstare asseuerabam, ita prope et sex Orbes eundem ambiunt æqualem Orbem) scrutor deinde quot Orbes medium Orbem, eiusq. circumstantiam tangendo aperiant, superiusque impleant Hemisphærium. comperio id tribus impleri Orbibus, quod de parte aduersa idem censeas opus est. quare sex additi Orbes totum claudent, quem quærimus, ambitum. Hoc igitur experimento didicisti Duodenarium numerum esse metrum totius corporeæ plenitudinis, ac solidæ Orbis circumstantiæ; nec plures quam Duodecim Orbes circa eundem sisti posse, illum, seq. præmentes, & attingentes. sex enim Orbes in corona illi aptantur, & conglutinantur, in superiori quidem Hemisphærio tres; totidem in inferiore. Constat igitur circumstantiam circuli planam, dimidiam tantum esse plenitudinem; corpoream autem solidam circumstantiam, duplam totam ac integram. Huius ergo Duodenarius, illius senarius inuentus est numerus. Ostendit etiam Duodenarius in inferioribus suam fecunditatem. nam crescentia multa hoc numero progrediuntur. sic Pauo Duodecim oua ponit. Lepus & Cuniculus fecundissimi Duodecies in anno generant, pariuntq;. Camela Duodecim mensibus fetum gerit; & licet tanta sit insignis magnitudine, vsque ad Duodecimum diem sine potu perdurat. vnde Aegyptij longa ieiunia, & diuturnæ sitis tolerantiam per hoc animal significant. Quod vero hydrologijs sedentem insculpunt Cynocephalum, illud habet mysterij, noctem cum die Duodecim horarum spacio ab eis diuidi. nam & huiusmodi animal vtriusque æquinoctij tempore Duodecies, per horas quippe diei singulas, potus excrementa profundit, in ipsisque temporum cardinibus, id animal Duodecies, horis quippe singulis quanto potest argutiore vlulatu vociferatur. Atque ex ipsis datur intelligi, quodnam sit animantium id genus,

Arist. de nat. ani. li. 6. c. 9.

quod nullo expreßo nomine Victorinus Rhetor memorat eo loco, ubi M. Tullius lib. Rhet. temporis finitionem quærit. Ait.n.is, Trismegist.cum iu Aegypto esset, sacrum quoddam animal Serapidi dicatum Duodecies toto die vrinam facere obseruasse, idq. pari semper interposito tempore, vnde ipse diem per Duodecim horas dimensum esse coniecerit; exindeque hunc horarum numerum constitutum. Quamquam sunt qui velint ex cęli dimensioae, quæ secundum musicam rationem in Duodecim partes diuisa fuit, horas itidem Duodecim adinuctas. Adde quod lib.6. de Thermis c.23. scribit Andreas Bacius Elpid. in Cantabria tres fontes octonis distantes pedibus, singulis dieb. Duodecies exsiccari. sic Iudæi & aliæ gentes sicut diem a nocte diremerunt, ita diei quoq. cuiuis artificiali, tam æstiuo, quam hyberno; tam verno, quam autumnali, horas Duodecim assignarunt, hoc est, singulos dies in Duodecim æqualia spacia distinxerunt, quorum quodlibet Hora dicebatur. In cuius rei testimonium apud Euangelium secundum Iohannem dicit Christus; Nonne Duodecim sunt horæ diei? si quis ambulauerit in die non offendet. Vbi quamuis allegorice se diem, Discipulos vero qui a se illustrandi fuerant, horas appellauerit, solito tamen humanæ computationis ordine numerum definiuit horarum? Mirabile vero quod scribit Georgius Cedrenus auctor Græcus, hoc Duodenario spacio cunctas creaturas preces offerre Deo. Prima, inquit, diei hora preces peraguntur primæ in cælo; secunda, preces Angelorum; tertia, volucrium; quarta, iumentorum; quinta, bestiarum; sexta, Angeli assistunt, omnesq. discernuntur creaturæ; septima, ad Deum intrant Angeli & exeunt; octaua, laudatio & sacrificia Angelorum; nona, precatio & cultus ab hominibus; decima, aquarum inspectio, precesq. cęlestium & terrestriũ; vndecima, mutua confessio, & exaltatio omnium; Duodecima, interpellatio hominum Deo accepta. Hæc Cedrenus in Cõpendio Hist. Neq. mirandum quod bruta numeri inscia, Deum laudare dicantur. quemadmodum.n.S.Tho. edocet, dicũtur bruta Deum inuocare propter naturale desiderium, quo

Cap. 11.

Beda de temporũ rõne c.2.

2. secundæ. q.83. artic. 10. ad 3.

cuncta

cuncta suo modo Diuinam bonitatem consequi desiderãt, sicut etiã Deo dicuntur obedire ob naturalem instinctum, quo mouentur a Deo. Videamus tãdem Duodenarij copiosissimum vsum indiuinis litteris. magna.n. est huius numeri præ ceteris omnibus obseruatio, magnaq. et multiplicia eius mysteria, quorum aliqua recensebimus, quibus facile constabit Duodenarium plenitudinem quandam mysteriorũ significare. Duodecima mansione post exitum de Aegypto, descendit Dominus in monte Synai, dans populo legem, vbi fabricatur tabernaculum, hostiarum varietas præcipitur, vasorum diuersitas, indumenta Pontificis, Sacerdotũ, & Leuitarum cæremoniæ: ibiq. enumeratio populorum, & Leuitarum, oblationes quoque Principum, & reliqua sacramenta in hac Duodecima mansione scripta sunt. Duodenario numero electa Dei familia, in coordinatione bellica, in distributione promissæ terræ: & in omni celebri progressu, partita fuit. Duodecim Duces Hismael. Duodecim viri, qui noluerunt sumere lapides pro turre fabricanda, ex quibus vnus fuit Abraham sapientissimus, quem Dominus iussit egredi de terra, & cognatione sua. Duodecim vituli. Duodecim sunt opera pietatis, sex dico corporalia, & totidem spiritualia. Isti sunt Duodecim fontes in Helym, vnde lassatus valde, valida siti, populus potatus est. Helym.n. deficiens interpretari potest, quia deficientes & pauperes debemus cum Duodecim fontibus. i. cum Duodecim pietatis operibus refrigerare, & spiritualiter ac corporaliter recreare. Duodecim lapides altaris, quos ferrum non tetigit. Duodecim lapilli cum suis sculpturis, qui in pontificali veste talari circum rationale, quod vocant, intexebantur, quibus insculpta fuerant Duodecim nomina Patriarcharum notata diuinis litteris, naturarum diuinarum monumenta, de quibus meminit Ezechiel, nec non & Iohannes in sua Apocalypsi. Post Iesum Naue rem Iudaicam Duodecim Iudices rexerunt, per successionem ordine in defunctorum locum subrogati. Duodecim Exploratores, quos iubente Domino, misit Moyses ad considerandam terram Chanaan, quam Deus Abrahæ,

Tribus Israel.

Gen. 17.

Philo Iud. lib. Bublicarum. Antiq.

Gen. 12.

Exo. 24.

Exho. 15

Philo Alexã. lib. Quis hæres rerũ diuinarũ

D. Hier. Epist. 58. ad Damas.

Num. 13.

2. Paral. 9. Apoc. 22 ad Gal. 5

& semini eius daturum promiserat. Duodecim leunculi in solio Salomonis. Duodecim cubiti Ariel. Duodecim fructus ligni vitæ, & fructus spiritus, de quibus meminit Paulus Apostolus. Diabolus in Paradiso delitiarum inter Duodecim lapides legitur enutritus. Sancta denique, illibataq. Dei Ciuitas Hierusalem in concordi, atque vnanimi Ducum vtriusq; legis delectu a Deo instauranda decantatur. vbi etiam perpetes in ea futuri ciues, animique & corporis immortalitate pares Angelis euasuri sub Duodenarij quadrato definiti a Beato Iohanne pronuntiatur. Erunt enim ex vnaquaque Tribu Duodecim millia signati: quia in quibuscunque singuli fidelium virtutibus profecerint, antiquorum necesse est Patrum semper fide roborentur, atque informentur exemplis. Ad augmentum autem perfectionis pertinet ipsa Duodecim duodecies multiplicari, & ad summam millenarium perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus, Ecclesiæ significans stabilem vitam, quare etiam Duodenario figuratur, quia per orbem quadratum, idest, per quattuor Mũdi cardines in fide consistit sanctæ Trinitatis. ternarius.n. quater ductus, Duodecim conficit. Hinc Dominus & Seruator noster, non multo post initium suæ prædicationis, Duodecim ex omnibus Discipulos assumsit, quos & ceteris sectatoribus suis præferens, speciali quodam electionis priuilegio nominauit Apostolos, cuius nominis uirtus missos indicat, numero Duodenario figurantes operis sui mysterium, vt videlicet mundi salutem, quam verbo prædicaturi erant, suo quoque numero mystice commendarent. Vnde & Dominus Duodennis suæ sumsit disputationis exordium. quod hic prædicandæ fidei Euangelizantium numerus deberetur. Inde & illud perspicuum fit, cur Salomon, in typum Ecclesiæ, Templum Domino ædificaturus, fecit & mare æneum, in quo Sacerdotes mundarentur, Duodecimque illud boum clunibus imposuit, quorum tres Aquilonem, tres Occidentem, tres Meridiem, & tres Orientem aspicerent. Allegorice enim insinuabat Apostolos ac Apostolorum successores cunctas

Apoc. 7.

Beda cõment. in Apocal.

Matt. 10. Mar. 3. Luc. 6.

Luc. 2.

3. Reg. 7.

Orbis quadrati plagas fide, confessioneque sanctissimæ Trinitatis a peccatis expurgaturos. quoniam robusti sunt, & fortes virtute ad fulciendum doctrinam sacramentorum; in quibus lauantur animæ fidelium. Porro vt de quattuor animalium faciebus suo loco dictum est, ipse & sacer Apostolorum numerus multis antiquæ legis figuris, & velamentis ante signatus est. primo quidem per Duodecim Patriarchas filios Iahacob. quoniam ipsi sunt principales, & præcipui patres in nouo testamento. Deinde per Duodecim principes tribuum Israel, quia constituti sunt a Deo, principes super omnem terram, vt legitur Psalmo 44. tertio per Duodecim lapides de medio Iordanis alueo sublatos, quos Iosue fixit in loca castrorum in testimonium sempiternum posteris suis, quod siccis pedibus illum transissent. quoniam ipsi sunt lapides viui, coniuncti cemento charitatis ipsi Christo primario lapidi. quarto designatus est sacratus Apostolorum numerus per Duodecim Prophetas minores vno volumine comprehensos. ipsi.n. sunt Duodecim precones altissimi, annunciantes Mūdi terminum, et tremendi Iudicis aduentum. quinto per Duodecim stellas in corona sponsę, quoniā Ecclesiæ Christi afferentes ornatum spirituale, totum mundum suæ doctrinæ claritate illustrāt. sexto per Duodecim panes propositionis non fermentatos, qui pro numero Tribuum in sacrario per singulas hebdomadas super mensam purissimā corā Deo proponebantur, quoniam solido doctrinæ Euāgelicę cibo ieiunas hominum mentes ipsi a Deo missi refecerunt atq; cōfortarūt. Attestatur plane hoc ipsum Cyrillus lib. 4. cōmentariorū in Iohannem dicēs: Quemadmodum cum ipse Christus sit vera lux, hanc rem Discipulis quoq; gratia attribuit: Vos.n estis (inquit) lux mundi: sic cum ipse sit panis viuus, qui oīa viuificat, continetq. vt sint; similitudine atq; vmbra legali per Duodecim panes sacrū Apostolorū prefigurauit cōsortiū. septimo designatus est Apostolici collegij numerus p̄ Duodecim fundamēta supernę Ciuitatis. quoniā ipsi sunt fundamēta ipsius spiritalis Hierusalē, de qua dicitur in Psal. 86. Fundamēta eius in mōtib. sanctis.

Gen. 46.
Num. 2.
Iosue 4.
Apoc. 12.
Leuit. 24
Matth. 5.
Apoc. 21

octauo

Apoc. 21. octauo significati sunt itidem Apostoli per Duodecim portas eiusdē ciuitatis sanctorum, quod per ipsos habemus aditum ad patriam, et regionem viuorum æternam. Vel forte etiam per Duodecim portas designatur vniuersitas saluandorum. sepe .n Duodenario numero propter Apostolorum & patriarcharum summam, totius Ecclesiæ formam designari certissimum est. Nam & apud Mattheum per Duodecim eorum qui iudicaturi sunt sedes, omnes sancti cum Christo mundum iudicaturi, accipiendi sunt. Et per Duodecim tribus Israel, vniuersitas eorum qui iudicandi sunt, ostenditur. Non .n. soli Duodecim Apostoli iudiciariam exercebunt auctoritatem in regeneratione seculi. Nempe & Paulus, qui ex illis Duodecim nō est, etiam iudicaturus est mundum, sicut ad Corinth. scribit. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus. et de iustis dicit sapiens, quod iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. Neq; etiam soli Iudei in extremo illo examine iudicandi sunt; sed omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt scribit Paulus: & cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur (vt dicit Matthęus) ante eum omnes gentes. In eundem sensum quando satiata turba ex quinq; panibus, collegerunt Apostoli Duodecim cophinos fragmentorum plenos, omnis Doctorum spiritualium chorus exprimitur, qui obscura scripturarum, (quæ per se turbæ capere nequeunt,) & meditando colligere, & mandata litteris, suo pariter ac turbarum vsui conseruare iubetur. Ceterum quod anno Duodecimo mulier liberatur a fluxu sanguinis, & Duodecimo mense liberantur Iudei a cęde per Haman intentata, finis Mundi potest insinuari. Duodenis. n. partibus diuisum est seculum, quando iusti ibunt in vitam æternam; mali vero, in ignem æternum. Nam & Duodecim cubitorum erat linea ambiens vtramque columnam Salomonis, significans in iudicio iudicandos omnes per sex opera misericordiæ; bonos quidem a dextris per misericordiam, quia impleuerunt opera misericordiæ; malos vero a sinistris per veritatem, quia illa opera spernere maluerunt.

Beda in capit. 7. Apoc.
Matth. 19
1. Cor. 6.
Sap. 3.
2. Cor. 5.
Matth. 25.
Iohan. 6.
Luc. 8.
Esther. 8. 9.
4. Esdr. 14.
3. Reg. 7.

DE

DE NVM. XIII. ET XIV.

IN culpabilibus apud Pythagoreos, Hebræos, & Græcos Theologos positus reperitur numerus Ternarius supra denarium. A Pythagoræis quidem dictus est Leimma, siue Diesis quasi defectus, quod de partitione toni in partes æquales desperauissent. Cum.n. de interuallis ad concentum pertinentibus tonũ notassent numero 27, defectũ appellarunt 13, quod vnitate distet a medio. Adhuc primus & incõpositus nuncupatur, cum nullam habeat partem aliquotã, præter eã, a qua denominatur decima tertia, nempe vnitas. quod fuit quinario, septenario, & vndenario proprium. Semper.n. huiusmodi numeri post binarium, & ternarium, in senariorum multiplicium vicinia collocati comperiuntur, aut vno minores, aut vno maiores.

Progressio incompositorum.

Primi incompositi.	5. 11. 17. 23. 29. --- 41. 47. 53. 59. ---
Senarij multiplices.	6. 12. 18. 24. 30. 36. 42. 48. 54. 60. 66.
Primi incompositi.	7. 13. 19. ---- 31. 37. 43. --------- 61. 67.

Ternario supra denarium vsus est Theocritus cum vellet significare hominem ingenij hebetis, tardi, & stupidi, inducit.n. Praxinoen de Viro ita cum socia Gorgo loquentem Idyl. 15.

Ille quidem pater ille forum quum nuper adesset
Empturus nitrumq; recens, fucumq; marinum,
Rettulit insipidi demortua grana salilli:
Hic vir inutilis vlnarum bis quinq; triumq;.

Longitudinem vlnarum Tredecim ei tribuit, quasi omni corporis & animi proportione carenti. Ex corporis.n. forma (vt alibi diximus) conditio mentis fere conijcitur. Nouies quidem repetita longitudo manus, quanta ea est, a summis digitis ad extremam vsque manum, (quam vocant vlnam) complet communiter longitudinem corporis; sicuti etiam latitudo eiusdem manus extensæ a summo pol-

lice

lice ad extremum auricularem, octies repetita, continet eandem. Si quis igitur esset Tredecim vlnas longus, omnino necesse foret eũ habere manum multò minorem, quam fert communiter hominum natura. Huiusmodi autem manuum paruitas, ex Pomponij Gaurici, et aliorum Physiognomorum sententia, exiguitatem quoq; sensus, & rationis indicat. Quod si quis malit cubitum in eo loco interpretari mensuram longiorem, videbitur tum Theocritus hyperbolice locutus de homine iusto longiori, & proportionem moderati corporis excedente. quales etiam esse videntur insipientes, & imprudentes. Vnde apud nos adagio quodam vulgo dici solet. Questi è vn huomazzo. Sed ab his receptui canentes huius numeri sacra mysteria recenseamus. Iuxta Hebręorum traditionem anno a Mundo cõdito Tertio decimo primus reproborum exemplar, primus parricida, ciuitatis diaboli, & regni impiorum conditor Cain nascitur. hoc item numero Iudęorum impietas taxata. vt.n. colligitur ex lib. Numerorum Decima tertia mansione in exitu de Aegypto murmurauit populus contra Dominum suum, & Moysen, reuersi corde in Aegyptum ad carnes, cœpas, & pepones, dicentes: Venerunt nobis in mentem pisces, quibus in Aegypto vescebamur gratis, cucumeres, pepones, porrum, cœpe, allium: nunc anima nostra exaruit: nihil, præter manna, vident oculi nostri. Quare irato Domino tunc multos subitum vorauit incendium, & intercedente Moyse humum vorax flamma consumsit. Tunc accipiunt coturnices, & vsq; ad nauseam ac vomitum deuorant. Saturatoq. populo dum adhuc escę essent in ore eorum, ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, vnde & appellatus est locus Sepulchra concupiscentiæ. Et quia pro meritis digestus est etiam Hymnorum liber, in Psalmo Decimotertio de Iudæorum vesania in hunc modum legitur scriptum: Dixit insipiens in corde suo: non est Deus: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Sepulcrum patens, est guttur eorum; linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labijs

eorum, et reliqua. Hismael Tredecim annos natus circumcisus est. quo significatur tunc coercendam esse libidinem, cũ incipit excitari. vel (vt exponit Glossa) designatur non pertingens ad perfectionẽ legis, & Euangelij, quæ denario, quaternarioq. signantur. Adhuc quia Decimus tertius est primus a duodenario, doctrinæ Apostolorum notat transgressionem. Hugo a S. Victore: Christus, seruator noster Tertiadecima transgrediens, Tertiadecima passus est, ad vesperam, anticipans comedere Pascha, fecit pro nobis sacrificium vespertinũ, vt de vespere mortis, nos perduceret ad matutinum vitæ. Quamuis autem sequenti die, hoc est, Decimaquarta luna, qui erat dies Paschæ, ad vesperã, affixus fuerit cruci, hac attamen nocte, quã immolatus est agnus, et carnis, sanguinisque sui Discipulis tradidit celebranda mysteria, & a Iudæis detentus ac ligatus, ipsius immolationis, hoc est, passionis suæ sacrauit exordium. Hugoni suum addit calculum Paulus Orosius in hunc modum scribens: Eadẽ quoq; die ad horam diei sextam Sol in totũ obscuratus, terraq; nox subito obducta terris est, et, sicut dictũ est:

Gen. 17.

2. Miscell. li. 4 tit. 26.

lib. 7. cap. 3.

Impiaq; æternam timuerunt secula noctem.

Vsq; adeo aũt, neq; Lunã lumini Solis, neq; nubes obstitisse manifestũ est, vt Decimaquarta Luna ea die tota Cæli regione interiecta longissime a conspectu Solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cælo fulsisse, referatur. hactenus ille. Ex his posset solui quæstio, cur Pascha non celebretur Decima quarta Luna, quod non passionis, sed resurrectionis dies sit obseruandus. si enim Luna Decima quarta, qua affixus fuit cruci, inciderit in dominica, in alteram hebdomadam celebritas Paschæ transfertur. Huic tamen assertioni de passione Domini soli Græci subscribunt. nam ceteri Latini Doctores volunt Dominum edisse Pascha Luna Decima quarta. Vnde inter Græcos, & Latinos orta est contentio de materia Eucharistię, Græcis asserentibus panem esse debere fermentatum; quod talem panem putent fuisse in mensa cum instituueretur Eucharistia, quia

Chrysostom. Nicephor. Call. li. 1 cap. 28.

ante vesperam Lunæ Decimæquartæ non auferebatur fermentum e domibus Iudæorum. Ambrosius Epist. ad Episcopos per Aemiliam constitutos: Ipse (inquit) qui legem locutus est, veniens per Virginem nouissimis temporibus plenitudinem legis consummauit, & celebrauit Pascha hebdomadæ, in qua fuit Decimaquarta Luna, quinta feria: sequenti autem die, hoc est, sexta feria, crucifixus est Luna quintadecima. Sabbato quoq; magno illo sextadecima fuit. Porro suam Latini probarunt rationem ex verbis Lucæ, & Marci, quorum ille dicit de feria quinta, quod in ea necesse erat occidi Pascha; iste vero, quod tunc Pascha immolabant. sic.n. habet capite Decimoquarto: Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt Discipuli: Quouis eamus, & paremus tibi comedere Pascha? Aiunt igitur Latini primum diem Azymorum esse Quartumdecimum primi mensis, quando fermento abiecto Pascha immolare.i.agnum occidere solebant ad vesperam, adeo vt quintadecima Luna suum Christus tradiderit spiritum. Hoc quidem iuxta veteris instrumenti scripturam inter Pascha, & Azyma distat, quod Pascha, ipse solus dies appellatur, in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est, Quartadecima Luna primi mensis. quintadecima autem, quando egressum est de Aegypto, & succedebat festiuitas Azymorum, quæ septem diebus vsq; ad vigesimumprimum diem eiusdem mensis ad vesperam est statuta solennitas. Euangelistæ tamen indifferenter & diem Azymorum pro Pascha; & pro diebus Azymorum Pascha ponunt. Dicit.n. Marcus: Erat autem Pascha, & Azyma post biduum. dicit Lucas: Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Item Iohannes in passione Domini: Qui ducebant IESV non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha. notandum vero quod & Paschæ dies, videlicet, Luna Decimaquarta, in Azymis panibus est celebrari præceptus. Neq; tamẽ sine magni significatione mysterij Græci in fermentato conficiunt. significatur.n. vnio naturæ humanæ ad verbum diuinum, sicut fermentum

Epist. 83. Luc. 22. Mar. 14. D. Hieronym. in Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Iohã. 18. 1. Cor. 1

mentum pane miscetur. hoc etiam fit in detestationem heresis Nazareorum, aßerentium obseruanda esse ceremonialia legis veteris simul cum Euangelio. & quia Christus confecit in Azymis, vt seruaret ceremonias paschales, volunt etiam Nazarei conficere in Azymis, vt obseruent illam ceremoniam legis veteris. non licet tamen iã obseruare ceremonias veteres, quia Apostolus eas detestatur, vt patet Gal. 5. Ideo Greci ne viderentur obseruare ceremonias veteris legis, voluerunt potius in fermentato, quam in azymis conficere. nos vero Latini non in fermento veteri malitię, & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis panem manducamus. peccaretque Sacerdos Latinus qui manens inter Latinos, cõficeret in fermẽtato, & puniretur vt patet extra de celebr. miss. c. per literas. peccaret eodẽ modo Grecus presbyter si, in Ecclesia Grecorum existẽs, cõficeret in azymis. quia seruandæ sunt Ecclesiarum consuetudines. Tho. 3. par. q. 74. ar. 4. Christus igitur fecit pascha cũ Discipulis suis Luna Decimaquarta sub ipsum. s. tempus, quo lunaris circulus omni ex parte perficitur, atq; velut adulterino quidem lumine Orbem collustrat; ceterum decrescere ac desinere incipit, vt hinc, quasi ex imagine quadam intelligas, quod omnibus quidem Orbis partibus tenebrarum princeps celebrabatur (Luna siquidem in principatum noctis posita est) ac Mundi sapientiam velut fucatam quandam lucem errantium hominum cordibus infundens, plenam sibi gloriã comparabat. At verus Agnus pro nobis moriens, diaboli gloriam oppressit. eam n. desinere in posterum, & absumi coget. Atq; id s. erat, quod in Psalmis canebatur: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Quod si hoc loco Lunam in bonam partem intelligere volueris, idcirco ad Decimamquartam spectamus, quia per aspectabilem lucem, materiaq. constantẽ eam imagine quadam concipimus, quæ spiritalis est, materiæque expers, vt in speciem quidem Lunam plenam expetamus, quæ lucem suam tota nocte perdurantem nobis præbeat: reuera attem nobis legis vice sit hæc cæremonia, iubens, vt omne tempus, quod in

Psal. 71.

diem

diem noctemq. secatur, nobis perpetuo clarum sit, nec vlla caliginosa opera admixta habeat. Quod si alia ratio proferenda est cur Decima quarta Luna agnus immolaretur, dic Lunam esse typum Ecclesiæ Christi, vt coniugem Christi, quare die in quo fuit Quartadecima Luna in principio, eo die Israel iussus est in primis sacrificare Pascha, in typum Christi. Si ergo agnus Christum præfigurabat, est perspicuum quod Lunæ quoq; dies qui est plenę Lunę, significat plenitudinem Ecclesiæ, propter quam Christus est sacrificatus. Aliã huius numeri speculationem in medium affert D. Ambrosius Oratione quam habuit in obitu Theodosij Imperatoris, his ferme verbis: In Quartodecimo perfectionem hominis accepimus; sed illic formatus perfectus licet vir, sed adhuc peccato obnoxius, quia viuit in seculo. Hic vera perfectio est, vbi iam culpa cessauit, gratia perpetuę quietis affulsit. Ideo centesimus quartus decimus Psalmus, quia remuneratio Charitatis est. Vnde domini Pascha Quartadecima Luna formam celebritatis accepit, quoniã qui Pascha celebrat, debet esse perfectus, debet amare Dominum Iesum, qui diligens populum suum perfecta Charitate, sese obtulit passioni. Grande numeri mysterium quando Pater Filium vnicum pro nobis omnibus tradidit cum pleno luminis sui orbe Luna fulgeret. Ita est.n. Ecclesia, quę pie Pascha celebrat Domini nostri Iesu Christi, sicut Luna perfecta in ęternum manet: quisquis bene hic Domini Pascha celebrat, in lumine perpetuo erit. hęc ille. Etiam Quartadecima agnus immolabatur die, quando Luna plena est, & nihil ei de lumine deest, quia Christus non immolatur, nisi in perfecto corde, & pleno lumine sine tenebris. Adhuc etiam agni immolatio Decimaquarta die fieri conuenit, quia vt notat Beda, Mesraim Decimusquartus ab Adam, primus sanguinem idolis immolauit.

Libro de Argumẽtis Lunę.

Complectitur pręter hęc quaternarius supra denarium suo ambitu vtrumq; testamentum, quod quaternarius, Euangeliorum, quę ad nouum attinent Testamentum, prętendat demonstrationem: denarius uero decalogi significatiuus, antiquam respiciat legem, ex

quibus

quibus simul cõpactis totus hic numerus surgit. Atqui hunc esse dixerim illũ Quartumdecimum annũ, in quo D. Paulus raptus fuit in cęlum, de quo 2. Cor. 12. Scio (inquit) hominem in Christo ante annos Quattuordecim raptum vsq; ad tertiũ cęlũ. ac si diceret per hunc perfectionis numerum ad Empyreum cęlũ perueniri, vtriusq; Testamenti obseruantia. Ad huius mysterij contemplationem refertur numerus centum quadraginta annorum, quibus vixit Iob post flagella. Designatur.n. ducendo 10 per 14. quod vtrũq; Testamentum Ecclesia custodiens, & tam secundum legis decalogum, quam secundum quattuor Euangelij libros viuens, vsq; ad perfectionis culmen extẽditur. Habet sane cognationem quandam cum denario numerus 14. nam huius simul positæ partes aliquotæ parturiunt decem, & insemet multiplicatæ restituunt Quattuordecim numerum quaternario denariũ excedentẽ. & si ab vno addens numero, ad quattuor peruenias, denarium implebis numerũ, atq; ita fiet, vt & vetus Testamentum constringatur in nouo; & nouum in veteri dilatetur. In veteri namq. Testamento Sacramenta sunt Euangelica: & in nouo Testamento Sacramenta sunt legis. Quare 4. Reg. dicitur, quod anno Quartodecimo Ezechię ascendit Sennacherib cõtra Hierusalem. Et Num. cap. 6. Fuerunt qui percussi sunt, Quattuordecim millia hoĩm. Gen. rursus cap. 14. Quartodecimo anno capti fuere Sodomitæ a Chodorlahomor. quia per transgressionẽ pręceptorũ, legis. s. et Euangelij, capiũtur hoĩes a Diabolo. Sentit id ipsum Augustinus, exponens tres tessaradecadas. i. ter Quattuordecim generationes, quas deducta Christi generatione ab Abraham vsq; ad Christũ, epilogo quodã cõstringit Euãgelista, vbi ait: Tres distinctiones in generatione Christi, mystice insinuant fidẽ sanctæ Trinitatis, quã concorditer astruit doctrina legalis, & euangelica. Tres. n. Trinitatis fidẽ: quattuor, doctrinam euãgelicã: decem, legis significãt institutionẽ. Idẽquoq; paullo post: Q đ aũt ter Quattuordecim ponũtur; id uerã significat religionẽ. quattuor. n. et decẽ, nouũ et vetus testamentũ indicãt. quia uia ad Christũ. per decẽ uerba legis

Cap. 2.

D. Hier. in Ezechiel. 48. & in Psal. 90.

Cap. 18.

Matth. I.

et quattuor Euãgelia prędicatur. ita tamẽ vt quidquid ascribitur, Trinitate, quæ Deus est, cõsecremus. quia nulla præceptio impletur, nisi hic numerus colendi Deum teneatur. Ex his Augustini imo Euangelistæ verbis, et altera sese prębet obuiam ipsius qua ut supra denarium numerum commendatio, vtputa quia aduentui Christi in carnem addicitur, atque appropiatur. Vnde Quartodecimo anno percussionis ciuitatis, vidit Ezechiel nouã ciuitatem. quia tertia tesseradecade .i. Quartadecima generatione post captiuitatem Babylonicã, venit Christus ædificator Ecclesiæ suscipiens infirma carnis nostrę. Quod sane annotauit Cassiodorus hæc scribens in fine expositionis Decimiquarti Psalmi: Calculi quoq; ipsius, non est considera tio negligenda. Nam Quartadecima generatione a transmigratione Babyloniæ, aduentus Domini saluatoris eluxit. vt merito et hic ipse videatur locutus, qui in eiusdem numero generationis aduenire dignatus est. Præsens deniq. numerus, quia geminatum continet septenarium, quo septena Spiritus sancti gratia declaratur, duplicatam in homine interdum designat eiusdem Spiritus largitatem. vt cor & carnem in unũ iungens, faciat vtrumq. exultare in Deũ. Nõ .n. anima solum, sed & corpus hoĩs, Spiritus sancti est receptaculũ. Quemadmodum scribit Paulus ad Corinthios: An nescitis quoniã membra vestra templũ sunt Spiritus sancti, qui in uobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Denique Quattordecim millia ouium possidet Iob, ut ipse testatur c. 42. quia cum in sancta Ecclesia virtutum perfectio ad utrumq; sexum ducitur, septenarius in ea numerus duplicatur.

Cap. 40.

Matth. 1.

Psal. 83.

1. Cor. 6.

Gregor. Mor. lib. 36. c. 20.

DE NVMERO XV.

QVintus supra decimum numerus diuinarum scripturarũ mysterijs accõmodatus, vel uitam, quę nunc est, & futurã, vel complementum utriusq. testamenti in passione Domini, uel sabbatum aĩarum in futuro, & carnis resurrectionem, uel plenã scientiã, consummatãq. doctrinã, aut certe aliquid aliud

cęlestis

cęlestis semper & spiritalis continet arcani. nec vtiq. mirum. conflatur.n.ex septenario & octonario vna coniunctis, quorum septenarius (sicut sæpe dictum est) significat hebdomadam, propter sabbatum veteris Testamenti. Octonarius uero dominicũ diem in quo Dominum a mortuis resurrexisse manifestum est, quod ad nouum pertinet testamentum. qui simul iuncti, Quintumdecimum numerum complent. Huius est mysterij quod vas electionis Paulus, post Damascum Arabiamq; lustratas, ascendens Hierosolymam, diuersatus est apud Petrum diebus Quindecim; significans se constitutũ esse doctorem veteris, ac noui Testamenti. Hieronymus ad Paulinum: Hoc (inquit) mysterio hebdomadis, & Ogdoadis futurus Gentium prædicator instruendus erat. Isti sunt septem & octo de quibus & Osee dicit, quod eo numero conduxerit sibi & acquisierit fidei plenitudinem. sic.n.habet: Et abij, & conduxi mihi Quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei. Conducendam autem ei meretricẽ Dominus præceperat. In superioribus itaq. manifestum est quod conduxit eam, qui etiam mercedem quantitatis expressit. Duorum igitur Testamentorum, idest, plenæ fidei precio, prophetia consummationem accepit fidei; Ecclesia, plenitudinem. Primo enim Testamento Israel acquisitus est populus; secundo nationum & Gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, vel ex Gentibus copulam sui quærens; vel ex adultero Iudæorum populo, qui Dominum suum, & auctorem virginalis fidei dereliquerat, conuentus suos totius Orbis spacio diffundens. Quod autem dixit: In coro & in semicoro hordei; in coro mensuræ plenitudo est; in semicoro, semiplena mensura; plenitudo, in Euangelio; semiperfectio, in lege. Sicut legimus, dicentem Dominum. Non veni soluere legem, sed adimplere, Matth. 5. & alibi habemus dicente Domino per Micheam prophetam: Quia tunc pax erit in terra Israel, cum venerit Assyrius in terram eius, & insurrexerint in eum septem pastores, & octo morsus hominum. Tunc enim plena pax est fideli populo ab omnibus tentationibus, & vanitatibus

Gal. 1.

Cap. 3.

D. Ambrosius Epist. 39.

Cap. 5.

tibus absoluto, cum mundi huius vanitatem excluserint de cordibus nostris pax, & gratia; pax veteris; gratia noui Testamenti. Septem pastores, præcepta legis sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysi per desertum ductus, & gubernatus est: octo morsus hominum, mandata Euangelij, & dominici oris alloquia. corde enim creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos æternæ vitæ munus gustauimus, peccatorum remissionem in Christi corpore deuorantes. Quod si cum Hebræo morsus non legamus, sed: septem pastores, & octo primates homines. septem pastores, omnes sunt Patriarchæ, & Prophetæ, sanctiq. viri, qui hebdomadi. i. veteri testamento seruierunt; octo vero morsus hominum, siue octo primates homines, vniuersi sunt noui Testamenti, qui ab Apostolis vsq; ad hanc ætatem momorderint Assyrium, & suis dentibus lacerauerint. Nam Iudæorum sabbatum septem diebus finiebatur, cui successit Euangelij gloria, & resurrectionis quies, quæ octonario numero significatur. Quare in Ecclesiaste præcipitur, vt in vtrumq; Testamentum, tam vetus s. quam nouum, pari veneratione credamus, cum dicitur: Da partes septem, nec non & octo. Iudæi dederunt partes septem, sabbatum credentes: at non octo dederunt, resurrectionem diei dominicę denegantes. Quoniam vero septima requies cum octaua resurrectione coniungitur, & hoc in sacramento regenerationis nostræ. i. in Baptismo, altum, profundumq. mysterium est, Quindecim cubitis supercreuit aqua diluuij, excedēs altitudinem montium. i. hoc sacramentum Resurrectionis, & quietis transcēdit omnem sapientiam superborum; ita vt nulla possit indagare scientię suæ altitudine Resurrectionis quietem. Septem quippe & octo coniunctis Quindecim fiunt, & quia septuaginta a septē, et octoginta ab octo denominationem accipiunt, cōiuncta ab vtroq. numero, centum quinquaginta diebus exaltata fuit aqua magni Cataclysmi, eandē nobis commendans atq. confirmans altitudinem Baptismi in consecrando nouo hoīe ad tenendam quietis, & resurrectionis fidē.

Rom. 10.

Ecclef 11
D. Hieronym.

D. Aug. con. Faustū li. 12.

Gen. 7.

Ibidem.

Insu-

Insuper numerus Quindenarius spiritualem ad cęlos ascensum per virtutis iter mystice demonstrat. vnde in templo Ezechiel (quod interpretatur Ecclesia, & cęlestis Hierusalē) septē et octo gradibus ascenditur. Idem numerus Quindenarius canticis graduū consecratus est, qui in Psalmis assignantur Quindecim, sacris documentis instituentes aīum; quo ascensiones in corde suo disponat in valle lachrimarum, ut tandē uideatur Deus deorum in Sion. Quod nō subticuit Cassiodorus in expositione Psalmi 119. dicens: Illud tamen cōmonendum puto, quod Diuina gratia concedente, uaria significatione meritorū, & in istis Psalmis Quindecim gradus ponūtur; sicut in illo tēplo Hierosolymitano, quod a Salomone notum est fuisse perfectū, ut pręsens ordo Psalmorū, et in illa constructione pręfiguratus uideatur esse, et pręditus. Terrena siquidē illa fabrica, cęlestis tēpli similitudinē gestare uidebatur. Quapropter cū gradus audimus in Psalmis; nō terrenū aut corporeis gressibus subeundū nobis aliquid suspicemur; sed mentis accipiamus ascensionē. Ideo.n. præmissum est: Canticū; ut hoc potius ad aīæ prouectū applicare debeamus. Vnde scalā illam Iahacob pro parte aliqua, his gradibus fortasse non immerito dicimus comparandam. Illa.n. & ascendentes habuit, & descendentes: in istis uero gradibus, beatorum solus ascensus est. A nonnullis ēt Quindecim anni, qui Regi Ezechiæ sunt additi, huic similitudini sunt aptati. vt hic numerus, & ibi perfectæ vitæ cursum indicasse monstretur. Hæc Cassiodorus. ex cuius postremis verbis emergit, & alia admodū digna Quindenarij significatio. vtputa quod perfectionem vitæ in præsenti incolatu nonnumquam designat, quæ per cursum viæ mandatorum Dei potissimū vendicatur. Quod in Psalmi Decimi quinti explicatione latius adaperit, cum ait: Cōuenit ēt contueri, quid sibi velit Decimusquintus numerus. Significat.n. (vt putamus) Quindecim gradus, quibus tēpli Hierosolymitani conscendebatur mirabilis amplitudo. designans quinq. sensibus corporis per Trinitatis gratiā superatis, ad atria sanctę Ecclesiæ felici munere perueniri. Quod et per istū quoq; dabitur Psal-

Cap. 40. | Psal. 83. | 3. Reg. 7 | Gen. 28. | 4. Reg. 20. | Esai. 38.

mum; si eius saluberrimam prędicationē Domino protegente seruemus. Hæc ille. Alia multa mysteria, si quis diligentius inuestigauerit, sub hoc numero cōsecrata repperiet. Nā Dei solennitates a Quindecimo die mensis principium habuiße manifestum est ex Leuit. c. 23. & Numer cap. 29. Christus Dominus in cælum ascensurus, Discipulos, quibus benedicat, educit foras in Bethaniam, quę Ciuitacula, testante D. Ioan. c. 11. est iuxta Hierosolyma Quindecim stadijs. recte. n. quibus vtriusq; Testamenti scientiā aperuit, quos & omnem viuendi sperandiq; docuit regulam, Quindecim stadijs in locum, quo illis benediceret, & præcepta docendi traderet, eduxit. Mystice quoq; Quindecim stadijs gloriosæ Ascensionis locum a victoriosissimo passionis loco secreuit, vt omnes. s. vel viuere, vel mori pro Christo cupientes, & primo quiescendi post mortem, & in fine a mortuis resurgendi desiderio pariter & amore firmaret. Audi maiora mysteria. Salomon, hoc est, pacificus noster, (qui dicit: Pacem meam do vobis) quo tempore ædificauit Templum Deo, erant Latomorum septuaginta millia; & eorum qui portabant onera, octoginta millia. Latomi qui lapides cædunt, qui quasi fundamenta ædificiorum præparant, qui lapides ad ædificandum in templo Dei de terra tollunt; in septimo numero ponuntur, in Prophetis, in Patriarchis. illi. n. genus humanum, quasi de terra eijcientes, in templum Domini præparauerunt: isti vero, hoc est, octoginta millia, Apostolica prædicatio & Euangelica; hi qui cum Deo saluatore, & ipso Salomone grauia gentium peccata portabunt. Huius speculationis fuisse putant turbam Discipulorum IESV Christi, super quos die sancto Pentecostes cecidit Spiritus sanctus. est enim numerus 15. trigonus expansione cabalistica continens numerum 120. nam si addideris terminos progressionis arithmeticæ extremos ad se, proueniunt 16. aggregati partem dimidiam, quæ est 8. multiplica per numerum locorum, id est 15. & habebis summam omnium terminorum progressionis dispositæ. nam 8. per 15. multiplicatus, gignit 120.

Luc. 24.

Beda in Mar. c. 41

3. Reg. 5.
Iohā. 14.

D. Hieronym. in psal. 89.

Beda in act. 1.

DE NVMERO XVI.

Habet numerus 16. quandam perfectionis speciem, quia Mathematici perfectum vocant senarium rationibus ab Euclide significatis vltima noni. Philosophi quoq; perfectum appellāt denarium numerum, eo quod perficiat, et termi net velut forma cunctos alios numeros; & que in ortu sunt & interitu comprehendat. Decem quippe docuimus esse Prędicamenta; & omnem numerum a decimo per circuitum gigni. Perfectus igitur iudicabitur numerus 16. duobus resultans perfectis numeris, perfecto nimirum Mathematico 6. & Philosophico 10. In rationali quoq; fabrica numeri 16. perfectionem monstrauit natura, quia ante Sextumdecimū ætatis annum, puerorum cum lateat ingenium, & quasi frumenta etiamnum in herbis sint, annus 16. adolescentium iam profert animos, & quid posterius sit sperandum, satis aperit. Adstipulatur nobis Heracletus, homines dicens tunc perfici, cum iam etiam genitalis vrina secerni incipit; & arbores tum incipere perfici, cum gignere semina incipiunt; immaturas ante & imperfectas esse, dum fructu carent. Propterea ea ætate homo iam in notitiam boni venit, ac mali, eorumq; disciplinæ incipit esse capax. Neq; silentio inuoluendum videtur, quod Aegyptij sacerdotes in litteris hieroglyphicis hunc numerum notare consueuerunt, dum veneream voluptatem vellent insinuare, quod tunc temporis incipiant homines veneri indulgere, generareque. Quod si complexum venereum voluissent significare, numerum 16 geminatum adnotabant. quoniam filij sunt ex voluptatibus; coitus autem ex geminis voluptatibus maris. s. & feminæ. propter hoc secundum numerum adiungere solebant. Erudite igitur annum ætatis Decimumsextum adolescentiæ ianuam nominauit Terentius Varro, dum quinq; faciens vitæ gradus, Pueritiam ad annum 15. protraxit; Adolescentiam a 16, ad 30; Iuuentutem vsq; ad 40;

Petr⁹ Aponen. Probl. part 15. cap. 3.

Hor⁹ Apollo Niliacus de notis hieroglyph.

Aug. in Ciu. Dei lib. 22. cap. 15.

Senectutem, ad 60. inde vsq; in finem vniuscuiusq; Senes nuncupati. Consentiunt itidem Astronomorum traditiones super ætatum affectibus, qui Lunam ad quintum vsq. annum infantes propemodum ductitare dicunt, decennium inde Mercurio adscribentes; vnde illud ætatis studium rerum plurimarũ, & mutabilitas, & inconstantia, qua modo hoc, modo illud appetant: hinc gestiunt paribus colludere, temereq. iras colligunt, atq; ponunt, & vt inquit Horatius: Mutantur in horas. Mox hominem Sextodecimo ætatis anno in Veneris ditionẽ deuenire asserunt. Atq. hic ille est ętatis flos, de quo sępius apud Auctores, ut apud Terẽtiũ: Anni? Sexdecim, ætatis flos ipse. et Ouidius Philosophiæ istiusmodi nõ ignarus, cũ Narcissum ostendere vellet eius iã ætatis, vt amorib. dare operã posset, ait:

> Iamq; ter ad quinos vnum Cephisius annum
> Addiderat.

Diuinus item Plato mulieri Decimumsextũ ætatis annum constituit ad matrimonium cõtrahendum. hunc in modum scribens ad finem lib. 6. de Legibus: Nuptiarum tẽpus sit puellæ a Sextodecimo anno in vigesimum. Habet adhuc præsens numerus aliam mathematicam dignitatem, quoniã tam senarius, quam denarius (ex quibus ipsum diximus esse cõpositum) sunt numeri trigoni; numeros vero trigonos dicimus qui ex imparibus simul atq; paribus consequenter dispositis componuntur. Itaq; si unitati uelut impari, uirtutemq. in se trigonicam possidenti, subdas 2, habebis trigonum, idest triangulum ipsum. s. ternarium. si deinde 3, subieceris, senarium secũdum trigonum reportabis. rursus addito quaternario, denarius & ipse trigonus generabitur. Cum ergo numerus 16, in sui compositione habeat duos se subsequentes trigonos, inter quadratos iure locandus erit. Quemadmodum .n. in figuris trianguli duo, quadratum unum faciunt; sic & in numeris duo trigoni æquilaterum numerum efficiunt. Vnitas. n quasi quidam uirtute trigonus, simulq; ternarius, & ipse trigonus, quaternarium tetragonum pariunt; deinde 3. & 6. trigoni, æquilaterum nouenarium procreant.

pari

pari modo 6, & 10, ambobus trigonis in unum adactis, consurgit numerus 16, quadratus quadrati quaternarij, quattuor in lateribus continens vnitates. Quotusquisq;.n.erit in tetragonorum ordine quadratus, totidem in quolibet latere sortietur vnitates. Ex quo efficitur, vt ratione quadraturæ sit assecutus perfectionem. Omnis .n.quadratus, si ei proprium latus addatur, vel ab eo subducatur, fit altera parte longior. vt ipsi tetragono 16, subtracto suo latere scilicet 4, relinquitur minor altera parte longior 12. Quod si eidem tetragono adijciatur idem latus, fiet maior altera parte longior 20. adeo æqualitatis natura sibi constans est, vt minimo cremento, vel decremento in alienam protinus naturam degeneret. quod suæ perfectionis est argumentum. His accedit, quod perfectioni numerorum perfectorum, adeo propinqui sunt pariter pares, vt eorum quilibet sola deficiat vnitate. Vt, si omnes partes aliquotæ numeri pariter paris cuiuscumque in vnam collegeris summam, addasque illi aggregato solam monadem, tunc restituatur illarum partium integer numerus. Et partes illæ inter se semper constituunt progressionem geometricam in proportione dupla. Nam partes numeri 16. qui est pariter par, sunt 8. 4. 2. 1. quibus simul iunctis, fit numerus 15. vnitate scilicet minor numero 16. Et hæc est propositio Caroli Bouilli lib. de Numeris perfectis: Quotquot ab vnitate dupli simul sumuntur, sequentem minus vno restituunt. vt subiecta figura ostendit.

1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048	Pariter pares.
1	3	7	15	31	63	127	255	511	1023	2047		Partiũ summa.

(Mitto nunc, quod in se ductæ partes numeri 16. dant 64. cubum habentẽ radicẽ cubicam 4. qui est radix quadrata 16. & quod a Pythagoricis dictus est numerus felicitatis.) Hinc factum est, vt ad perfectorum numerorum procreationem soli tetragoni sint accõmodati. Namq. inter pariter pares, apti, qui 4. & 6. terminantur, & hi

& hi vniuersi inter pariter pares tetragoni. Porro, si perfectum, cui nihil addi vel subtrahi potest, sed proprijs se coercet finibus, quod a perfecto abest, protinus aut abundans fit aut diminutum. Proinde Vir bonus a Pythagoræis tetragonus dicebatur, quippe qui a medio virtutis calle, quem vndiq; vitiorum circumstant anfractus, ne al ba quidem linea discedit: quemadmodum neq; Tetragoni, quos vn diq; in Pythagoræ diagrammate circumstant longilateri, a sua eaq. media absunt semita. Sed vt, quod diximus, exemplis cōprobetur, Scipio Africanus, vt sunt auctores T. Liuius, ac Plutarchus, consummatis 16. ætatis annis a patre in castra ductus est, principio belli Punici secundi: constatq. iam tum in congressu Annibalis primo circumuentum ab hostibus, ac saucium patrem liberasse. Sed & Alexander Philippo Macedone natus, annum agens Decimumsextum a patre profecto ad obsidionem Byzantij, ad Regni curam relictus est domi. Adhuc C. Cæsarem Dictatorem, scribit Plinius, animi vigore fuisse præstantissimum; virtutemq. ac constantiam, & sublimitatem omnium capacem, quæ cælo continentur, in illo fuisse. Et tantus postea Imperator, Sextumdecimum agens annum, Reipublicæ munera aggressus est. Octauius etiam Augustus annos natus Sexdecim, vt tradit Suetonius, virili toga sumta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est. In Genesi quoq; Ioseph dicitur fuisse Sexdecim annorum, vt ostēdatur ex ephebis excessisse, magnaq. virtutum specimina, & eximiam ad vniuersas res gerendas spem præ se tulisse. sed allegorice perfectionem vitæ & doctrinæ Sexdecim designare possunt. ad quod referri debent Sexdecim bases in occidentali plaga Tabernaculi. Hic numerus insignis est Prophetarum veteris instrumenti complexione ac dinumeratione, vt quidquid per Euangelicam offerimus dignationem, prædictū illorum vaticinationibus approbemus. nam quaternarius numerus, qui Euangelica Sacramēta demonstrat, in se multiplicatus, Sexdecim producit. Quod si cui non placet hæc mystica ratio, alteram afferre non pigebit. Sexdecim veteris instrumenti Prophetarum,

Libro 7. Natural. hist.

In Augusto.

Cap. 37.

Exo. 26. & 36.

quattuor

quattuor: Esaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel, maiores vulgo dicuntur, et numeri identitate atq; affinitate mysteriorum, sanctorum Euangelistarum referunt similitudinem: duodecem vero reliqui dicuntur minores, & Apostolorum Christi (vt paullo ante dictũ est) gerũt typum & effigiem. Quod & Cassiodorus in Decimi sexti Psalmi dilucidatione his verbis innuit. Huius etiã Psalmi numerum, & quantitas prophetalis ornauit, vt merito in hoc numero incarnatio Domini relata esse videatur; vbi etiam prophetalis chorus cõuenisse cognoscitur. Proinde a repræsentatione ad veritatem progrediendo, non inepte per hunc numerum sextum post denarium, significari dicetur sanctorum noui testamenti patrum, Euangelistarum inquam, & Apostolorum coetus. & in summa, primariorum vtriusq; testamenti patrum, hic numerus sanctissimum Chorum, concionemq; venerandam continet. Ostendit adhuc præsens numerus mysterium suũ in virtutibus Iusti viri apud Ezechielem cap. 18. quarum prima est fecisse iudicium & iustitiã. secunda, non comedisse in montibus. tertia, oculos nõ leuasse ad idola. quarta vxorẽ proximi sui non violasse. quinta menstruatæ vxoris vitasse cõplexus. sexta hoĩem non cõtristasse, siue vt Septuaginta ediderũt, oppressisse per potentiã. septima pignus debitori reddidisse. octaua per vim nihil rapuisse, vel iuxta Septuaginta, rapinã non rapuisse. nona panẽ suũ esuriẽti dedisse. decima nudum operuisse vestimento. vndecima ad vsuram pecuniam non dedisse. duodecima nihil ex his quæ dederis amplius accepisse. decimatertia ab iniquitate auertisse manum suam. decimaquarta (quæ similis videtur primæ, sed in parte diuersa est) iudicium verum fecisse inter virum & virum, siue proximum suum. quintadecima in præceptis Domini ambulasse, decimasexta iudicia et iustificationes illius custodisse, Quorum singula quid velint docet D. Hieronymus. Alia huiusmodi plura diligens lector inuenies, vt hunc calculum multis mysterijs refertum esse cognoscas.

D. Hierony. in Ezech. 40.

DE NUMERO XVII.

POST decimumsextum discutiendus occurrit Decimusseptimus, priscis Theologis semper inuisus numerus. Illud profecto in Onirocritarū monumentis obseruatum legimus, si audias Decemseptem, vel scriptum videas, ad numeros transferendum, fit XVII. sic enim apud nos pingitur hic numeri calculus, ex cuius characteribus nulla dictio significatiua componi potest, præterquam VIXI. quare præsens numerus mortem significabat. Apud Romanos fiebant anniuersaria parentalia die 17. Februarij auctore Ouidio in Fastis. Grecis Septemdecim diebus corpora antequam cremarentur, totidemq; noctibus seruare mos erat. Nam et Achillem fato functum scribit Homerus Deos atq; homines diebus 17. lacrymis prosecutos; & die decimo octauo fuisse illatum rogo.

Vlyss. lib. 24.

Bisq; dies luctu septenos funeris atro
Et ternas luces Phebo labentis Olympi,
Aequoreæq; Deæ, & lacrymoso carmine moesti
Mortales querimur. sed postquam aurora quadrigis
Nata bis octonos ortus inuexit eois,
Atq; dies binos veniens reparauerat Eos,
Tum te conijcimus flammis atq; ignibus atris.

Aegyptij Decimaseptima die mensis Nouēbris (qui ab illis Athyr dicitur) Osyridem interijsse fabulantur, qua die maxime plenilunium fit euidens. Inde Pythagoræi diem istam dixerunt Antiphraxin, quasi oppositionem cum obstructione coniunctam, & omnino numerum 17. auersantur, tamquam positum inter 16. qui quadratus, & 18. qui altera dimensione longius parallelogramum constituit. Atque cum hi duo soli omnium numerorum planorum ambitus habeant areis suis æquales; medius interueniens 17. obstruit & disiungit eos inuicem, inque partes scissus inæquales, sesquioctauam constituit proportionem: cum. n. tonus in sesquioctaua proportione

consistat,

cōsistat, quę sit 9. et 8. horū nullus naturaliter medius est numerus. Eos igitur si binario multiplicabimus, resultabunt 18. et 16. inter quos medius est 17. Quare inter 18. & 16. sesquioctaua notatur proportio, quā 17 medium nō in æqualia partitur. Infaustus etiam ob aliam caussam a Pythagoricis iudicatus est numerus 17. Nam Decimaseptima regio siue vnitas perfecti numeri honore destituta est. nullum. n. reperies perfectum numerū habentem Decemseptem figuras. Est etiam iste primus incompositus, nec non et quattuor primorum & incompositorum summa. nam duo, tria, quinq;, septem, hunc absoluunt. Hic numerus, si quis alius, portēdere solet terręmotus, incendia, inundationes, multaq; alia malorum genera. Gen. c. 6. scriptum est, quod Videns Deus quia multa malitia hominum esset in terra, cunctaq. cogitatio cordis intenta esset ad malum, pœnituit, quod hominem fecisset in terra, & pręcauens in futurum: Adducā, inquit, aquas diluuij super terram, & interficiam omnem carnem, in qua spiritus est vitæ subtercęlum. anno igitur sexcentesimo vitæ Nohe mense secundo, Septimo decimo die mensis Maij rupti sunt oēs fontes abyssi magnæ &c. Nautis quidem diem Decimum septimum Februarij, Septimumq. decimum Martij, ob satis firmam naufragij suspitionem, maxime infaustos esse testatur in antiquis lectionibus Cælius Rhodiginus. Nam & eo die Februarij salutis nostræ anno 1230. apud Frisios populos nocte tanta ventorum ac fulgurum tempestas exorta est, vt vniuersa illa prouincia fluctibus pene obrueretur. Die 17. Mēsis Martij anni 1586. tantam fuisse in Burgundia aquarum inundationem renuntiauit nobis Gulielmus Tixerādetus Burgundus, quo spectante res accidit, vt Vrbis Chāplitensis turrim fortissimā, pontem, nec non multos pagos furioso quodā impetu penitus euerterit. In Hollādia, teste Francisco Guicciardino in descriptione Belgica, anno salutiferi partus quadringētesimo vicesimo supra millesimū, Die 17 Aprilis, sæuitia maris circa Dordracū, facta eruptione, totā regionē inūdauit, aggeres fregit, et supra centū milia hoīm extinxit vna cū iumētis,

Gen. 6.

Lib. 14. cap. 9.

& su-

& suppellectili eorum. Anno post natum Seruatorem quingentesimo octogesimonono, die 17 Octobris, maxima fuit in Venetiarum, & Liguriæ finibus aquarum inundatio, quæ haud modicum hominibus animantibusque detrimentum intulit. Athesis fluuius adeo excreuit, vt magnam Veronæ mœnium partem euerterit. In hac diluuij effusione Tybris fluuius in tantum excreuit, vt aquæ eius supra muros vrbis Romæ influerent, ac maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiusdem fluuij cum multa serpentium multitudine, draco etiam miræ magnitudinis, per Vrbem transiens, vsq; ad mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem, ob defuncta corpora, pestilentia grauissima, quam vocant inguinariam, vt Paulus Diaconus scriptum reliquit de gestis Longobardorum lib. 3. cap. 11. Anno quoq; septuagesimo nono supra millesimum & quingentesimum, Decimo septimo Aprilis, qui dies de Assertoris nostræ salutis nece publico luctu nefastus fuit, nix vento quodam frigidissimo agitata, cunctos vinearum pampinos, tum primum erumpentes, & arborum flores adeo compressit, & corrupit, vt omnem spem vini, & fructuum aliorum, præcipue in montanis locis Hetruriæ, & Galliæ Transpadanæ, ademerit. Hic illud interseram quod retulit Nauclerus (licet forte parergon cuique dictum videatur) ipso die Iunij 1278. Minturnis impios quosdam homines, qui ad Mosæ pontem constiterant, quod sacerdotem, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ferentem neglexerint, Diuino omnes consilio, vno excepto, qui quidem ex his omnibus Hostiam ipsam sacratissimam veneratus, in eo ipso flumine perijsse. Huc accedit, quod anno post natum Christum 1533. die 17. Nouēbris Curiæ, Bludenti, Veldchirachi, Sangalli, alijsq. in Ciuitatibus iuxta Rhenum, maximus sub mediam noctem terræ extitit motus, vt in Germanicis historijs legitur. Eo ipso die Nouembris anno 1570. illa vrbi Ferrariæ calamitas horribilis euenire cœpit, cum terra ingenti motu concussa effecit, vt neq; in domibus tuto homines manerent, neq. sub dio recte versarētur. Quinquennio

quennio item post, hora diei nona, & proximæ noctis vndecima Venetiæ, & circumiecta loca magno terræmotu contremuere. Die 17 Augusti mensis graue in vrbe Constantinopolitana grassatum est incendium, quale haud vnquam alias illa sensit. plurimam namque eius partem flamma peruasit, adeo vt maxima quæque horrea, & frumenti receptacula conflagrarit. Et, quod relatu dignum, cum in illo incendio Nouatianorum Episcopus Paulus, Chrysanti successor, suam Ecclesiam in periculo videret, & in sanctius sacrarium ingressus, Deum, vt Ecclesiam conseruaret, supplex oraret, Deus Opt. Max. nescio quo modo, precibus exauditis, delubrum inuiolatum seruauit. ignis namq. per ianuas, & fenestras iam omnes inuolans, ei non nocuit; sed cum circum circa ædificia simul multa consumsisset, Templum præterijt. cumq. (quod maximum est) incendium biduum totum grassatum vbiq; esset, ne vestigium quidem fumi in tignis, & muris apparuit Ecclesiæ. Nouatiani ergo ex eo tempore quotannis 17 Augusti die, ob seruatum Templum, sacra celebrarunt. Hoc eo referre volui, quo cuncti cognoscere posint, Deum persæpe, etiam per indignos, solita consueuisse prodigia exhibere. Nam & de his, qui ad Vates accedunt, & ad Incantatores, & ad eos qui faciunt amuleta, Ioannes Chrysostomus in expositione Epist. Pauli Coloss. nec non Oratione sexta aduersus Iudæos, docet, quod etiam si quis mortuum suscitauerit, non sancte viuens, illi non sit credendum; sed cum nihil putandum. Romanos rursum perculit hic numerus, quando 17 Decembris anno Domini 548. Gothi, ductore Totila, Vrbem proditione Isaurici militis ingresi, porta Cælimontana, imperio potiti sunt. nec eo contenti bona diripiunt: mœnia bona ex parte solo æquant: domos aliquot igni absumunt, incolas a Roma præcipientes discedere, ducturi alium in locum coloniam: multitudo omnis in propinquas vrbes se recipit: sine habitantibus Vrbs relinquitur: manentq. in ea solitudine diebus quadraginta. Ferunt autem incendium cingentibus flammis, dies 13. emicuisse; quemadmodum & Carthago a Scipione

Niceph. Call. lib. 14. c. 41.

Pōp. Læt. Paul. Orof.

pione debellata & accensa igni, 17. continuis diebus arsit, miserum præbens spectaculum, omni murali lapide in puluerem redacto. Anno virginei partus 798. cum a matre Eirene Constantinus sextus Imperator oculis, & imperio fuisset orbatus, Sol ad illud matris facinus per dies 17. suos radios abscondit. Sed nec illud intactum relinquam, quod Romani duabus olim cladibus fracti, infaustum hunc ipsum diem appellarunt. Nam & die Decimoseptimo Iulij anno ante Christum natum 474. vt Liuius, & Plutarchus testati sunt, Veientes iuxta Cremeram Tusciæ flumen Romanas acies fuderunt: præsidium expugnatum: ad vnum omnes cæsi: vbi ex Fabiorum familia 300. interijsse satis constat. Anno item ante Christum 376. eadem plane die Iulij, secundum virorum illustrium Auctorem, apud Alliam flumen Brenno duce Galli Senones, Romano deleto exercitu, Urbem etiam ipsam, excepto Capitolio, deleuerunt. Apud Iudæos etiam ater & infaustus fuit dies Decimus septimus ob multas calamitates. vt n. capite sexto habet Chronologia maior Hebręorum, quæ Sederolam rabba inscribitur, die Decimo septimo mensis Tammuz, qui cadit in Iunium, cum peccasset populus, Moyses descendit de monte, & tabulas legis confregit. Nabuchodonosor eadem die Hierusalem cinxit obsidione, vel vt alij asserunt, muri Hierusalem primum diruti. quare eo die institutum ieiunium quarti mensis. Die quoq; Decimoseptimo Iulij regressi duodecim exploratores, ad terram Chanaan missi, populũ Hebręorũ terrore affecerunt, referentes Chananeorum esse vires insuperabiles. Vnde seditione exorta in castris, cęlesti oraculo decretum est Iacobitas non ingressuros terram sanctam propter incredulitatem; sed vt per desertum quadraginta annos discurrerent laboriose, atq; in annis quadraginta in eremo omnes perirent. Afferunt etiam Iudæi alias calamitates, quas ea die euenisse ratum habent. Vt enim ex Iosepho Mattathiæ filio colligi datur, Ciuitas Hierusalem, seu potius Templum illud sanctum die 17. Iulij, quo celebrabantur ieiunia, COSS. M. Ant. & M. T. Cicer. in

Iohã. zonarto. 3. Diacon. lib. 23.

Libro 2. In Camillo.

Cap. 23.

Ex Calẽdario Cõstantij felicis. Rabanus Maurꝰ de instit. clericor. ait hæc cecidisse die 17 Iulij.

Pompei magni ditionem deuenit. Hac eadem die per Herodem Ascalonitam, dum contra Antigonum bellum ageret, iterum expugnatur. anno. s. vicesimo septimo postquam a Pompeio fuerat debellatum. Ex his fortasse colligere licet cur S. Matthæus in generatione IESV Christi tres omiserit generationes. ab Abraham. n. vsque ad Dauid regem quattuordecim numerat generationes: & a Dauid vsque ad transmigrationem Babylonicam, alias generationes quattuordecim; cum tamen in multis alijs libris, decem & septem deprehendantur. quod non mendacij, vel negligentiæ vitio, nec casu uel fortuito factum fuisse creditur, ut Euãgelista deuitato numero 17, maluerit numerum 14. in generatione Domini ponere. tres enim prætermissæ sunt generationes, quia Ioras genuit Ochoziam; Ochozias uero genuit Ioam; Ioas deinde, Amasiam; Amasias autem, Oziam: in Matthæo autem Ioras Oziam genuisse describitur, cum tamen quartus ab eo sit.

Cap. 1.

D. Hilar.

DE NVMERO XIIX.

NVnc ad Decimi octaui numeri explanationem nos uocat naturalis ordo numerorum, qui sane sacratissimus est in diuinis litteris. Duodeuiginti, qui oppressi sunt in Siloe, uniuersos prænunciant Iudæos, qui pœnitentiam agere noluerunt, cum ipsis suis mœnibus interituros, quod hinc maxime damnatione digni sint, quia Seruatoris Christi nomen, quod audierunt, spernere, quam audire maluerũt. Octodecim enim apud Græcos notis iisdem scribitur, quibus incipit ΙΗΣΟΥΣ, quare subdit Oraculum: Si non egeritis pœnitentiam, omnes similiter peribitis. Statimque de infeconda, & eradicanda arbore, parabolam subiungens, docet eos ad quos loquebatur, instar infructuosæ fici, si pœnitentiam non egerint, succidendos; atq; vt apertius

Luc. 13.

tius intimaret, non alio parabolam tendere, sed hoc esse fructum in ficu quærere, & non inuenire, verbum Synagogæ offerre, nec recipi; quam tamen ne totam funditus ob culpam sterilitatis excludendam putares, sed reliquias per electionem scires esse saluandas, mox Ecclesiæ primitiuæ sanatio sub incuruæ mulieris specie subsequitur. cui bene Decem & octo annis res fuit cum morbo immedicabili miseroque. qui numerus ternario sexies ducto perficitur, quia videlicet eam, quæ in testimonio legis, in vaticinio prophetiæ, & in reuelatione gratiæ per infirma opera langueret, ostendit. Senarius enim numerus, & sextam seculi notat ætatem, in qua a diabolica captiuitate liberatus est homo; et sextum diē, in quo Mundi est creatura perfecta: sicque bonorum operum perfectionem designat. tria vero sunt tempora Dominicæ visitationis, quibus fructum dare negauit, quia ante legem, sub lege, & sub gratia obedire despexit; in quibus Iudæa, quia terrena magis, quam cęlestia nouerat operari, quasi Decem & octo annis a suæ mentis erat rectitudine curuata. Accipe aliud de muliere inclinata mysterum. Ecclesia cum mensuram legis, in qua est Decalogus, & resurrectionem Christi, in qua octo beatitudines sunt, impleuerit, tunc sabbato, idest quiete perpetua perfruetur, & in sublime erecta fastigium, inclinationem nostræ infirmitatis sentire non poterit: Ideo autem curata est hæc mulier, idest populus Christianus, quia & legem impleuit, & percepit gratiam in lauacro, per quod morimur seculo, & resurgimus Christo. Nam in decem verbis, legis perfectio est: in octauo numero, resurrectionis est plenitudo. Glosa ordinaria exponens curationem illius mulieris: Hęc mulier (inquit) non nisi post Decem et octo annos erigi potuit; quia humana natura hanc corruptionem deponere, & ad induendam incorruptionem æternæ beatitudinis erigi non poterit, nisi prius impleuerit legem, quę in decem præceptis continetur, & gratiam in qua Christi resurrectio facta est, & nostra exspectatur. Pertinet ad hanc significationem, quod cum Iudæa fecisset malum in conspectu Domini, traditaq. fuisset

D. Amb. lib. de Salomone ca. 5.

Theophil⁹ Antioch. Allegor. libro 3.

Iudic. 3.

in manu

in manu pinguissimi Eglon regis Moab, clamans ad Deum anno Decimo octauo meruit suscitari sibi saluatorem nomine Aioth. vt scilicet intelligatur hic numerus Diuinæ in nos beneficentiȩ nota esse, & demonstratio. Mystice autem Aioth duas dexteras habuisse dicitur, nempe quia iustus erat. non.n.poterat iustus esse, & habere sinistram. Inde Psalmo nonagesimo de sancto dicitur: Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis. Dextera sancti dicitur: sinistra non dicitur, sed latus. Item in Euangelio dicit Dominus: Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Non sinistram, non enim est sinistra quæ præbetur, sed dextera alia, quia iustus duas habet dexteras. Aioth igitur, qui secundum Hebraicam translationis virtutem Laus interpretatur, typus est Christi. quare Psalmo Decimooctauo propheta Regius edisserit de primo IESV Christi aduentu; nam per hunc suscepit inimicus occasum, & genus humanum singulare præsidium; per hunc tyrannus ille relegatus ingemuit, & & absolutus est homo, qui mortiferis vinculis tenebatur obnoxius. & sicut mulier hoc numeri calculo, iubente Christo, a sua infirmitate saluata est; ita se in hoc Psalmo petijt Dauid peccatis proprijs liberari, nempe per hunc calculum significans tempus aptissimum, in quo & ipse Domini salutifera beneficia mereretur.

Psal. 90.
Matth. 5.
Luc. 6.
Psal. 18.

DE NVMERO XIX.

NVmerus Nouenarius supra denariū, neq; trigonus est, neq; cubicus, neq; sphæricus, neq; perfectus, nec deniq; ullam aliquam habet mathematicam elegantiam; sed cum sit primus incōpositus ipse etiā, sicut & ceteri huius generis numeri, vitijs, et castigationi addictus est. Anno secundo exitus de Aegypto cū Iacobitæ decepti ab exploratoribus, ob incredulitatē murmurassent aduersus Dominū, decretū fuit cęlesti Oraculo, eos nō īgressuros terrā repromissionis. sicq. relicta recta uia,

Num. 13. 14.

Rab. Salomon. Vide Chromicô maius Hebræorũ cap.8. qđ latinitati donauit Genebrard°

qua incedebãt versus mõtem Seyr, qui est in terra Idumæorum, errare incipiunt in deserto, hærentes annis 19. in cades Barne. Anno Decimonono iterum insaniunt, & contra Dei oraculum pugnam aduersus Amalechitas infelicem capessunt. Vnde & in pœnã alijs 19 annis circa eundem locum desident. Hinc illud apud Hebræos: Sedebitis in Cades Barnea iuxta dies quibus antea sederatis. cũ ergo illic prius mansissent 19 annis, & postea etiam alijs 19 annis manserint, fiunt omnes triginta octo. de quibus legitur Deuter: cap. 2. Tempus quo ambulauimus de Cades Barnea vsque ad transitum torrentis Zareth triginta octo annorum fuit, donec consumaretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Dominus. Hoc etiam numeri calculo destructam fuisse domum Domini his verbis testatur quartus Regnorum liber: Mense quinto septima die mensis, ipse est annus Nonus decimus regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis in Hierusalem, & succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Hierusalem, omnemq. domum combussit igni, et muros Hierusalẽ in circuitu destruxit oĩs exercitus Chaldæorũ.

Cap. 25.

DE NVMERO XX.

DE Vicenario dicturi illud in primo limine obseruandum occurrit, characterem videlicet 2, qui in singulari limite seu nota duo significat, suam tenere naturalem nempe tristem significationem etiam in secundo scilicet 20, in tertio nimirum 200, & in quarto nempe 2000. Cum n. hi numeri radicẽ in dualitate habeant, nunquam fere in rebus lętis, apud Poetas, vel etiã sacra Oracula vsurpati reperiuntur. Veritatis huius testis locupletissimus accedit Homerus Poetarũ oĩum corypheus, q cũ optime numerorũ mysteria nosset, nũquã Vicenariũ numerũ adhibet, nisi ad res tristes, luctuosas, acerbas, atq. tãdẽ diri oĩs.

Vice-

Vicenario equidem vtitur Antinous insidias instructurus Telemacho profectionem paranti. Vlyss. Rhaps. 4.

Sed mihi vos nauim celerem, sociosq; feroces
Bis denos date iam, si quid confiditis vni,
Vt vadam insidias illi positurus in vndis.

Eiusdem operis Rhaps. 2. refertur vaticinium Alythersæ canentis Vlyssi reditum post annum vigesimum his versibus.

Quippe mari multum passum, & deniq; Ponto
Amissis socijs, atq; vndis classe Pelasgum
Exstincta, ignotum cunctis in patria rura
Venturum, vt canas perfecerit annus aristas
Vicenus, iamq; ad finem hæcadeo omnia tendunt.

Quod postea comprobauit euentus, Vlysse hunc in modum canente, Vlyss. Rhaps. 16.

----Veni nostras ego talis in oras
Multa solo passus, multum iactatus & alto,
Adsum Viceno patrijs allatus arenis
Anno.

Et lib. 19.

-----Tandem post mille dolores
Vicenis equidem iam nunc labentibus annis
In patriæ terræ veni dulcissima rura.

Itidem lib. 21.

Quosq; tuli post tot terræ pelagiq; labores
In patriam veni iam nunc labentibus annis
Vicenis.

Adhuc etiam lib. 4. Vlyss. deplorat Menelaus vim fortunæ sese detinentis viginti dies Ponto. hunc in modũ alloquens Telemachũ.

Hic me bis denas tenuerunt numina luces,
Nullæ auræ resonant Ponto.

Quibus congruunt quæ referuntur lib. 23. Vlyss.

-----Cum tot labentibus æuo
Iam lustris redeat, patrisq; in dulcia rura
Viceno coniux veniat carissimus anno.

Eiusdem operis lib. 6. Vlysses naufragus, & nudus deflet casum suum, qui iactatus fuerit viginti dies. sicq. Nausicaam affatur.

-----Me luctus acerbus
Irruit, heu lapsum nimium fortuna gubernat,
Hesterna siquidem fulsit Vicesima luce

Nempe dies lugenda mihi, cum cerula Ponti
Naufragus euasi, vicenos æquore soles:
Vsqueadeo miserum celeres rapuere procellæ,
Per pelagusq; egit nox intempesta sub undis,
Insula ab Ogygia, Ponti tot fluctibus alti,
Donec me hinc pepulit casusq; Deusq; per undas.

Rursus lib. 19. refertur somnium Penelopes videntis in somnis vi gïnti anseres cędem Viginti procorum portendentes.

Concipe, ab anseribus Vicenis arce sub alta
Pascuntur mixto lym phæ frumenta liquore.
Quos ego dum uideo pascentes, lętor, ab alto
Monte uolans pennis rostro crudelis adunco,
Atq; ingens aquila inuasit, pendentia colla
Ceruicemq; tuens uictos mactauit,

Quare lib. 22. Eurymachus suæ, & procorum vitæ consulens, promittit Vlyssi Viginti boues pro quolibet procorum.

----Precor o felix miserere tuorum
Parce tuis populis, etenim consensibus æqui
Posthac reddemus preciumq; , & munera larga:
Quicquid & epotum, patriaq; sub arce comestum,
Restitui uolumus, Viginti quisq; daturus
Sede boues nostra.

Huius tandem numeri meminit, Helena deplorans exsilium suum.

Ilia d. li. 24.

Quattuor hic iam lustra moror, quo tempore nunquam
Iratus miseræ mihi uerba indigna dedisti.

Ex quibus locis plane liquet numero Vicenario demonstrari res, vt diximus, acerbas, duras & tristes. verũ huiusmodi veritatis longe certior stabilitas cernitur in sacris litteris. vt .n. testatur liber Geneseos, Iahacob seruit annis viginti. Nam cum audißet se odio esse Esau, pro benedictione qua benedixerat illi pater, dixißetq. ille in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iahacob fratrem meum. locum dans fraternæ iracundiæ, in Mesopotamiam ad Laban aufugit. cumq. ibi septem annis seruißet, fratris materni filias, Liam scilicet, & Rachel vxores duxit, ac in alijs septem annis duodecim suscepit filios; cumq. redire vellet ad parẽtes, rogatus a Laban, alios annos sex permansit, seruiens viginti annis. Quibus elapsis, domum redeunti occurrit obuiam Esau cum quadringentis

Cap. 20. Euseb. de præp. Euan. li. 9. cap. 4. D. Hiero. in Iouin. lib. 1. c. 12.

gentis viris, qui vicenarij quadratus est numerus. quare timens sibi Iahacob, diuisit pueros super Liam, & super Rachel, & super ancillas duas. Non enim, vt plerique existimant, tres turmas fecit, sed duas, vnde etiam vbi nos habemus: diuisit, Aquila posuit: dimidiauit, vt vnum cuneum faceret ancillarũ cum paruulis suis, & alium Liæ, & Rachel, quæ liberæ erant cum filijs earum; primasq. ire faceret ancillas, secundas liberas; ipse aũt ante vtrumq; gregem, fratrem adoraturus occurreret. sciensq; binariũ principẽ alteritatis gratũ esse Esau, separauit de his quę habebat munera fratri, hircos Viginti, arietes Viginti, tauros Viginti, asinas Viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, capras ducentas, oues ducentas. & merito, quando non sponte, sed metu munera mittit ad fornicatorem, & profanum, intemperantem, iracundum, minantem parricidiale flagitium, cum denique qui pro vna esca vendiderat primogenita sua: quare nec Israel tunc appellatur, sed Iahacob, quod acutissimus Origenes adnotatum reliquit. Vera enim vocis Israel ratio est, quod contra Angelum steterit, conflixeritq. ab Hebraico verbo שרה, idest conseruit manum. Hoc siquidem nomen ipsi Iahacob inhæsit a lucta, & insita fortitudine, qua cum Angelo tota nocte ad matutinam vsque auroram congredi ausus est. Percontãte enim post finem luctæ Angelo ab eo: Quod est nomen tibi? respondit, Iahacob. At Angelus ad eum: Nequaquam Iahacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Vel vt verti etiã potest ex Hebræo, Non solum Iahacob appellabitur posthac nomen tuum, sed etiam Israel: quia si cum Deo fortis fuisti, quanto magis aduersus homines superior euades? Vt sit sensus: Non tantum supplantator deinceps vocaberis, verum etiam fortis cum Deo. Quam ob caußam non debes fratrem tuũ Esau formidare: nã si cũ Deo luctãs euasisti victor, quãto magis hoĩes superabis? Hanc interpretationẽ Iosephus cõprobat his uerbis: σημαίνει ἰσραὴλ κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν τὸν ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θεοῦ· idest significat Israel secundum Hebraicam

Gen. 32.

Gen. 25.

Lib. 15. in Gen.

Gen. 32.

Eusebius Eccles. hist. li. 1. cap. 1.

linguam, illum qui aduersus Angelum Dei stetit. Neq; tamen me fugit multos magni nominis viros voluisse dictum esse Israel tanquam videntem Deum, cum & nomen Israel inter Hebræos sit etiam videns Deum. Nam & Iahacob paullo post initam cum Angelo luctam, appellauit nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Licet autem sit longe præstantius & sublimius quiddam videre Deum, quam luctari cum Deo; potior tamen significatio nominis Israel a fortitudine & lucta, quam a visione Dei manauit. Viginti annos seruiuit Iudæa Iabin Regi Chanaan. Viginti argenteis Ioseph venditus in seruum Ismaelitis, vt habent Hebræi & Latini codices emendatiores. ipse enim figura fuit venditionis Christi Domini. vnde Scriptor aliquis, quo figura veritati magis responderet, ex Viginti argenteis, fecit triginta, apposita scilicet littera intersectionis x. At typum per omnia figurato respondere non est necesse, sed Christum pluris æstimari conueniebat, quam ipsius figuram. Semei cum esset ingenij in primis dolosi, in Dauidis occursum, quē specie honoris simulate prætexerat, assumit comitatum Viginti seruorum, perinde quasi huiusmodi numerus seruituti sit addictus. Ezechiel vt (typum in se gerens eorum qui puniantur) populum doceat, per ea quæ facere iubetur, futuram Hierosolymis famem, mandatum accipit, vt cibus quem comedat in die, sit in pondere Viginti stateres; vel, vt habet alia editio, viginti siclos; siclus autem siue stater profanus quo vulgo vtebantur, & de quo intelligi volunt Septuaginta interpretes, non tetradrachmon, sed didrachmon est, vt asserunt qui pondera hæc & mensuras perscrutantur. At vero cum vncia habeat drachmas Atticas octo; sequitur futurum cibum quinq; duntaxat vnciarum. qui sane pondus argumentum est inopiæ. eo n. trahitur magis anima, quam sustentatur. & iuxta inclitum Oratorem, non vires tribuit, sed mortem prohibet. Mitto nonnullos Scriptores ea sentētia fuisse, vt astruant Viginti siclos tres tantum vncias, & paullo amplius conficere.

Iudic. 4. Gen. 37. D. Hier. in Ionin. li. 1. c. 12. Ians. in Concor. 2. Reg. 19. Cap. 4. Polydor. Virg. c. 3 lib 2. de rerū inuēto. Michael Neander synopsi de pōderib. Alexād. Neap. li. 2. c. 20.

Ceterum

Ceterum si cum Patre Hieronymo contendas hic intelligi de siclo sanctuarij, qui profani duplus est; erit cibus decem vnciarum. Viderint alij an huiusmodi pondus sit sterilitatis argumentum. nisi illud affirmare satius sit, huiusmodi mensuras plurimum discrepare secundum tempora, & loca, quare & nobis incertam fore huius ponderis quantitatem. Illud constat, cum siclus vulgaris duabus æstimetur drachmis, posse quadraginta drachmas esse symbolum ieiunij & poenitentiæ. sicut & Viginti stateres panis pœnitentiã, & laborem populi designant. Viginti virorum plaga, peccantes insinuat per quinque sensus, qui conuersi remedia inueniunt in quattuor Euangelijs. Viginti & centum annos concessit Deus ad agendam pœnitentiam, quando multa malitia hominum erat in terra. Quia vero pœnitentiam agere contemserant, noluit Deus tempus exspectare decretum, sed Viginti annorum spacijs amputatis, induxit cataclysmum anno sexcentesimo agendæ pœnitentiæ destinato. Vigesimus in generationibus describitur Thare, cui supplicij loco a Deo fuit irrogatum vt primus esset a condito Orbe, qui Aram filium morientem videret, cum superiores patres filios suos semper superstites reliquissent; Nec de Abel quis dicat, quod ante Adam obierit diem suum, quandoquidem hic non fatali quidem morte decesserit, sed violentia, vtpote a fratre interfectus. Auctores sunt Iudæorum Rabini, Thare hunc non solum impium in Deum fuisse, verum etiam sæuum in filium Abraham, quem impietatis detulerat apud Nemrod, qui tum dominandi libidine omnia interturbabat. Siquidem Abraham, absente patre, domesticos pœnates incendio damnauerat. quod Nemrod iniquo ferens animo, Abraham tanquam sacrilegum rei capitalis damnauit. coniectus proinde in caminum ignis ardentis, diuino beneficio ab incendio interituq; vindicatus est. De Thare hæc habet Suidas: Is statuarius fuit, qui ex diuersa materia imagines faceret, easque Deos esse diceret, & adorandos, vt bonorum auctores. Huius numeri mentio legitur facta, quando Rex Dauid contra præceptum Domini populum

in cap. 4. Ezech.
Budę° de Asse li. 1.
1. Reg. 14.
Gen. 5. 6
Gen. 7.
Gen. 11.
Gene. 4.
Vide Philonē Iudæum li. Biblicarum antiquit.
Suidas ĩ voce seruch.
2 Reg. 24

pulum iussit dinumerari; dicitur enim quod lustrata vniuersa terra, affuit Ioab in Hierusalem post nouem menses & Viginti dies. Quemadmodum.n.sacratus, & Deo gratus censetur numerus, cũ Deo præcipiente populus numeratur; non secus quando contra Diuinum mandatum quis numerare contendat, numeri taxantur infausti. Id ex Origenis verbis facile cognoscimus. sic.n.ille lib. 15.in Num. scriptum est (inquit) quia eduxit Deus Abraham foras, et ait ei: Respice ad cælum, & dinumera stellas, si potes dinumerare eas. & ait: Ita erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et Abraham quidem, et alius quilibet hominum, aut etiam angelorum, fortassis autem & superiorũ virtutum, non poterat numerare stellas, nec semen Abraham, de quo scriptum est: Sic erit semen tuum. Deus autem, de quo scriptũ est, Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. et qui dixit: Ego stellis omnibus mandaui. potest inuestigare semen Iahacob, & dinumerare plebem Israel. Ipse.n. scit solus qui vere sit Iahacob, & qui vere sit Israel. Non.n. ad eum, qui in manifesto Iudæus est, respicit; neq; ad eam, quæ manifeste in carne est, circuncisio; sed videt illum, qui in occulto Iudæus est; & qui circuncisus est corde, non carne. Ipse ergo est solus, qui dinumerare potest, & inuestigare, & ipse secundum ineffabilem, & incomprehensibilem sapientiam suam ad illam cęlestem formam, quam ipse solus scire potest, posuit etiam istos numeros, quos habemus in manibus, in quibus præcipit, vt secundum cognationes suas, & secundum domos familiarum suarum, ex nomine omnes masculi per capita numerentur a Viginti annis, & supra omnis qui egreditur in virtute Israel; & colligitur eorum quidam sacratus numerus. Sed iste numerus tunc demum sacratus est, & placitus Deo cum ipso præcipiente numeratur. Si autem contra præceptum Domini voluerit aliquis numerare, licet ille Dauid sit, licet magnus Propheta, cõtra legem agit, & arguitur per Prophetam, & patitur illa, quæ in secundo libro Regnorum legimus scripta. Hactenus Origenes. In

Gen. 15.

Psal. 146.

Exho. 30

deserto igitur ab anno Vicesimo ætatis adnumerantur populi, qui ad prælium eliguntur; quia ab hac ætate, contra vnumquemque vitiorum bella nascuntur: ideoque ad pugnam eliguntur, vt habeant contra libidines conflictum, ne luxuria superentur. Hieronymus in expositione quadragesimi primi capitis Ezechielis: Et mensus est (inquit propheta) longitudinē eius.s.tēpli, siue vt Septuaginta transtulerunt, Ostiorum, Viginti cubitorum. pro quo in plerisq; codicibus (iuxta Septuaginta) quadraginta cōtinētur. Latitudinē quoq; Viginti cubitorum ante faciem templi: illud significat, quod ante templi faciem, & introitum eius, præteriti laboris atq; certaminis nobis mēsura semper occurrat. quā.n rōnem in singulis numeris duplex numerus possidet, eandem duę habent decades. Hæc ille. Volumen volans, in quo omnium peccata descripta sunt, vt vnusquisque recipiat secundum opera sua siue bonum, siue malum, Viginti cubitos habet longitudinis, & decem latitudinis, in quo numero tristibus læta sociantur. Ad hoc enim Dominus corripit, vt emendet. In Vicesimo, qui ex duabus decadibus efficitur, austera & tristia nunciantur: in decimo.i.vna decade, meliora & prospera. Apud Ezechielem, vbi Hebraica lectio habet Vigintiquinq; viros apostatas, Septuaginta interpretes posuerunt Viginti. nec errasse credendi sunt, vt non dicerent: vigintiquinq;, sed: Viginti, maiore quippe auctoritate præditi, quam interpretum officium est, prophetico spiritu, quo etiam ore vno in suis interpretationibus, quod magnū miraculum fuit, consonuisse firmantur, Apostatas Vicenario numero taxare maluerunt. & quia Apostatæ ab ecclesia sunt exclusi, non sine mysterio, vbi in Hebræo apud eundē Prophetam legitur: Cōtra Viginti cubitos atrij interioris: ipsi formidātes Vicenarium ponere in atrio interiori, similitudinē atrij interioris, interpretati sunt. Hęc quidē hactenus de Vicenarij tristitia ex intentione nostra dicta sint. Ceterum quia omnis scriptionis ratio poscit, vt veritas sincere, simpliciterq; aperiatur, tum quæ fauet, tum quæ non; ideo ne videamur huius numeri tristitiæ infensiores, quam eiusdem lę-

Num. 26. Beda in lib. Nu. cap. 5.

Zach. 5.

Ezech. 8

Ezech. 42.

tiùs mysterijs amici, atq; studiosius collegisse mala, quam bona indagasse, vt suus sit veritati locus, æquum est inspicere eius etiam dignitatem. In hoc quidem numero sentiunt multi esse aliquid honoris, vtputa quod vtriusq; Testamenti vnum & eundem declaret auctorem; neq; hunc huius esse datorem, illum vero alterius, vt nonnulli confinxerunt. Duplicatus .n. denarius vtrumq; designare Testamentum potest: quod & in veteri decalogus datus sit, in nouo vero rursum approbatus, atq; latius explicatus. Sed ex huiusmodi ingeminatione vnus constituitur numerus, vtrumq; denarium in se complectens, quo vnus & idem designetur veteris & noui institutor Testamenti. Ea sane Cassiodori est sententia in expositione Psalmi Vicesimi, ita de hoc numeri calculo verba facientis: Exstat hic denarij numeri duplicata societas; vt sicut hæc parilitas vnam summam designat: ita Psalmus iste vtriusq. legis vnum Dominum proclamet auctorem. Est .n. in istis decadibus virtus eximia, & quotiens se geminant, totiens ingentium rerum sacramenta declarant. Præterea qui D. Augustini sententiam sequuntur, contendunt hoc numero notari posse seruantes Diuina mãdata cum charitatis affectu. quod liquido ex eo Genesеos loco constare volunt, quo legitur Abraham dixisse ad Deũ: Quia semel cepi, loquar ad Dominum meum: Quid si inuenti fuerint ibi Viginti? Dixit autem Dominus: Non interficiam propter Viginti. ubi interiecta litteræ Glosa dicit per Viginti, intelligendos esse seruantes mandata cum dilectione, propter binarium & denarium, qui numeri in se ducti hunc de quo agimus numerũ procreant. sane quemadmodum denarius est decalogi significatiuus: eodem fere mysterio binarium volunt esse charitatis, & dilectionis symbolum, tum quod minus, quã inter duos (vt dicit Greg.) haberi charitas nõ possit, vtpote diligentem, & eum qui diligitur (tametsi reciprocus faciat amor, vt qui diligitur, mutuo diligat, et e diuerso diligẽs diligatur. quo fit vt non sint duo, sed vnum habentes cor, & animam unam) tum etiã, quia licet tres diligere teneamur, Deum inquam nosipsos, & proximum

Gen. 18.

mum

mum nostrum; duo tamen, non tria, dedit nobis IESV præcepta di lectionis, dicens apud Matthæū: Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum. Superfluum sane fuerat illud pręcipi, ad quod faciendum homo adeo pronus erat ex se, vt illud aut non posset, aut nollet dimittere etiam si prohiberetur, cum hoc naturæ insitum sit, vt non solum quisq; carnem suam odire nō possit; sed multos etiam hominum videamus vsq; adeo ardente, & inordinata charitate se ipsos amare, vt eorum nimius amor peccatorum fons, & caussa iure merito dici posit. In cuius rei testimonium hunc sermonē profert diuiloquus Plato lib. de Legibus quinto: Omnium maximum quiddam malum in multorum hominum animis est innatum: cuius quidem, cum facile sibi omnes ignoscant, remedium nullum excogitant. Est autem hoc quod dicere solent, quod natura sibi quisq; amicus est, recteq; est ita id se habere. Sed reuera nimius in seipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est caussa. Occęcatur quippe circa amatum, qui amat. Quapropter qui se amat, cum seipsum magis, quam veritatem honorandam putet, quid bonum, iustum, pulchrum sit, male iudicat. Decet sane eum qui magnus vir futurus est, neq; seipsum, neque sua diligere; sed iusta semper, siue a seipso, seu ab alio quouis gerātur. Et reliqua. Platoni lucide patrocinari videtur Ecclesiastes dicens. Melius est duos esse simul, quā vnū. habent. n. emolumentum societatis suæ; si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli quia cum ceciderit non habet subleuantem se; & si dormierint duo, fouebuntur mutuo, vnus quomodo calefiet? Et si quispiam pręualuerit contra vnum, duo resistent ei. Quo quidem in loco per unum, & solum apte is intelligi potest, qui dumtaxat ad se ipsum amore afficitur, neq; alteri dilectione coniunctus est, solam suæ propriæ vtilitatis habens rationem, omniaq; proprio dimetiens commodo, quoniam qui talis est, sæpius incidit in calamitates, a quibus neminem habet se subleuantem, & pressus ærumnis, omniū destituitur auxilio. Celebris est Menādi versiculus: Nimis te ipsum amās, amicum

Cap. 22.

Vide adagiū Multi te oderint, si te ipsum amas.

Cap. 4.

non

non habebis. Inest deniq; huic numero dignitas alia, rõne. s. ceterarum partium quibus construitur. consurgit.n. ductu quaternarij in quinarium. At vero cũ lex Mosaica quinq. libris: gratia uero noui Testamenti quattuor Euãgelijs cõtineatur, poterit Vicenarius aptari sanctis Doctoribus, qui mirabili veritatis consensu cõpleta in Euangelio legis arcana, et presigurata in lege Euangelij sacramẽta manifestant. Hos quidem presignarunt Viginti tabule tabernaculi, columnæ atrij, Viginti bases, & capita columnarum. nam & ipsi præcepta seruant, aliosq; seruare docent.

Exho.26 27.36.38

DE NVMERO XXI.

CElebris est numerus Vigesimus primus, cum apud Pythagoreos, qđ senarij perfectissimi trigonus sit, tum ẽt in diuinis litteris, quod et septenarium Mundi natalem, & sanctam significet Trinitatẽ, vel ẽt absolutionem humanæ perfectionis, quæ in firma summe Trinitatis fide, et Spiritus sancti gratia præsertim consistit. Enimuero qui ter septenarium composuerit, vnum supra vicesimum procreabit. ternarius autem supersanctæ Trinitatis fidem, illiusq. mysterium cõtinet; septenarius uero septipotentem Spiritũ, et septeno charismatum dono munificum. Quare sublimius quoq. censetur mysterium ipsius numeri 21. Ac præterea Abrahã, qui, quãtum ad generationẽ Vigesimus primus fuit a protoplasto, primus est inter Patriarchas mysterij maioris accessione: primus fundator uere religionis: primus qui et nature legẽ absoluit, et de Diuina lege meditatus est: primus qui cultũ vnius Dei aduersus idola, et gentes, hominibus persuasit: primus qui et tenebras erroris depellere, et malis demonibus bellum indicere est aggressus. hic vnus est quẽ Deus dedit patrẽ multitudinis gentiũ, idq. fidei ipsarũ merito. Vnde Paulus eum vocat heredẽ Mũdi. Deo.n. promittẽti neutiq̃ diffisus est; sed fidem habuit Deo, heredem ac successorẽ sibi pollicenti, nec in desperationẽ eũ adegit, quod iã magno natu esset, uiribusq. defectus, neq; in vxorem suã æque iã annis obsitã, respexit, tanq̃ ferendo utero inhabilẽ; sed fide sola fretus, semen illud, quo oĩs

Rom. 4.

esset mūdus benedicēdus incōcussa spe p̄stolabatur. Pōt adhuc p̄sens numerus, nō incōgrue significare Diuinę bonitatis subsidiū post erūnas, et calamitates impetratū, ut sentit Casiod. in fine expositionis Psalmi 21. dicens: Cōtinet āt p̄sentis Psalmi numerus alia rerum cęlestiū sacramenta. nā cum propheta Daniel trib. hebdomadib. orationē suā Domino iugiter immolasset, vt q̄ essent Israelitico populo futura, cognosceret, Angeli uoce respōsum est, ad primas p̄ces se fuisse trāsmissum; sed altero Angelo reluctante tardatū, die 21. ad eum potuisse descendere, quo uotis eius satisfacere potuisset. Quare & hic Psalmus nō immerito tali calculo noscitur collocatus, qui diaboli peruersitate destructa, medicinalis passionis dona reserauit, cuius beneficio genus humanū ab ęterna morte liberatū, ad p̄petuę salutis dona p̄uenit. Vterq. āt Scripturę locus, cuius hic meminit Cassiodorus, ex Danielis cap. 10. desumtus est, circa cuius principiū ita legimus: In dieb. illis ego Daniel lugebā trium hebdomadarū dieb. Tres aūt hebdomadę dierum, dies 21. cōficiunt. Deinde nōnullis interiectis, in eodē cap. subnectit Scriptura: Noli metuere Daniel, q̄a ex die primo, quo posuisti cor tuū ad intelligendū, vt te affligeres in cōspectu Dei tui, exaudita sunt uerba tua, et ego ueni p̄p̄ sermones tuos; princeps aūt regni Persarum restitit mihi Viginti et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis uenit in adiutoriū meū, et ego remāsi ibi iuxta regem Persarum. et c. Dies 21. mensis de quo legitur Exho. c. 12. vitę finem insinuare pōt. ideo usq. ad eum uescūtur azymis, et est dies solennis bonis. Et q̄a cōstat ex ter septem, plenissimum sacramentum Trinitatis indicat. Vel fortasse (vt interp̄tātur Isidorus et Rabanus) vsq. ad vicesimā et primā diem Pascha obseruatur, propter numerum septenarium, quo uniuersitas sępe significata. qui sane numerus etiam ipsi Ecclesię tribuitur p̄p̄ instar uniuersitatis. Ecclesia uero adhuc in ista mortalitatis carne cōstituta, rōne istius mutabilitatis, Lunæ noīe in scriptura Diuina sępe nuncupata. Illud denique ex Beda addi posset, vsq; ad 21 diem Pascha celebratum, quia in figuris duarum legum, & illarum unitatis.

De Eccles. officijs lib. 1. c. 31.
De Diuinis officijs li. 2. cap. 39.
lib. de argumētis Lunæ.

DE NVMERO XXII.

QVi vel mediocrem sacris arcanisque litteris legendis adhibent operam, mysticum esse Secundum supra vigesimum numerum facile deprehendunt. Numerorum etenim liber, in quo permultæ sunt differentiæ numerorũ, quæ conscribuntur de populo Dei, post filios Israel enumerat seorsum Leuitas (neque .n. fuerant connumerati filijs Israel) horum habetur segregatus quidam ac præcipuus præ cæteris numerus, quo referuntur omnes simul Vigintiduo millia reperti, ita, vt neq; amplius aliquid, neq; minus hoc numero sit inuẽtum: (Vnde perspicuum sumitur argumẽtum, Deo gratum esse hunc numerum, cũ Deo pręcipiẽte numeretur.) Post hæc ẽt primogeniti filiorũ Israel numerati sunt, inuentiq; Viginti duo millia, et ducẽti septuaginta tres. Quod vero hic adduntur 273. nõ per hunc numerum historiã tãtum nobis insinuat, sed solito clausit sibi more mysteriũ. Humani siquidem generis in carne generatio, ut asserunt qui in talibus periti sunt, hoc fit modo: quando hebdomada duodecima conceptus mouetur, nouem mensibus continetur in vulua, sed prius non moueri fertur ad partum, quam etiam decimi mensis triduum transeat, (Menses hic dico lunares, quos solos cum embolismis suis norunt Hebræi,) & ita tribuendo cuiq; mensi triginta dies, inuenitur, quod numerus 273. dies illos indicat, qui ex nouem mensibus & triduo mensis decimi colliguntur, & fiunt simul 273. dies isti, quibus humano generi in hunc Mũdum præbetur ingressus. Quare in Vigintiduobus numeris omnium simul creaturarũ rationibus mysticis summa colligitur; in his vero quæ ex abundanti in primogenitis Israel inueniuntur, etiam mysteriũ humanæ generationis exprimitur. Leuitæ igitur .i. qui Domino deseruiunt, & primogeniti filiorum Israel, hoc admirabili, sacratoq; numero titulantur. Ad eorum, quæ diximus, assertionem, lubet hic ex Suida breuibus

Num. 3.

Num. 1. Orig. libro 35. in Num.

Origines in Num. Hom. 4.

Ex Hipocratis sentẽtia.

Suidas in explicatione nominis IESV.

contra-

contractam historiam cunctis seculis memorabilem adscribere. ea ita se habet. Quo tempore Iustinianus imperium obtinebat, erat quidam inter Iudæos princeps Theodosius nomine. Hic cum familiariter admodum vteretur argentario Christiano, cui nomen erat Philippo, qui ipsum crebro ad amplexandam Christianam religionem hortabatur, tandem ingenue fassus est, se nihil dubitare quin IESV, quem nos Christum colimus, is sit, quem sacri vates mundi Seruatorem prædixerunt: verum se animum inducere non posse vt abdicatis, quibus nunc apud suam gentem fungitur honoribus, nomen suum IESV Christo det. Vt autem ita de IESV Christo crederet, se non solum sacrorum vatum Oraculis persuasum esse; sed mysterio quodam, quod apud Iudęos in arcanissimis scriptum seruatur, compertum habere, idque huiusmodi eße. Mos erat olim apud gentem Iudaicam, quo tempore ædes sacra in Hierosolymis exstabat, Vigintiduos perpetuo Sacerdotes habere; et quoties de eo numero vnus aliquis mortem oppeteret, mox alium in defuncti locum allegere, allectumq. in codicem, qui ad eam rem in æde seruabatur, cum illius ipsius, tum parentis, vtriusq. expresso nomine, referre; notatis etiam cum defuncti, tum suffecti diebus. Cum itaq., quo tempore IESV Christus in Iudęa versabatur, necdum tamen sese prodere, veramq. fidem propalam docere cœpisset, mortuus esset quidam ex dicto Sacerdotũ numero, nec post multa ac varia suffragia, quispiam satis idoneus esset repertus, qui in illius locum adscriberetur, tandẽ propositus est IESV Ioseph fabri (vt dicebant) filius, tamquam homo ætate quidem iuuenis, ceterum, & vita, & moribus, & doctrina in primis commendatus: atq. hoc suffragio ab omnibus demum approbato, visum est matrem eius in consensum accrescere (Pater.n.obierat) cognoscendorum noĩum gratia, quæ in codicem, vt dictum est, describẽda essent. Illa igitur accita, et de filio, eiusq. patre sedulo interrogata respondit, se matrem quidem eße IESV, atq. ipsum peperisse (nam eius rei testes sibi esse eas mulieres, quæ cũ pareret, pręsto fuißent)

patrem vero nullum illi in terris esse. quod ex me, inquit, quibus vultis discite argumẽtis. dum.n. virgo in Galilæa agerem, Angelus Dei in domum, in qua versabar, ingressus, non quidem dormienti, sed vigilanti mihi nunciabat, futurum vt e Spiritu sancto parerem filium, iubebatq. nomen illi IESV indere. itaq; virgo cum essem, per eam visionem concæpi, peperique IESV, permanens virgo in hunc vsq; diem. Quibus auditis, sacerdotes iubebant adesse fidas obstetrices, easq. summa cura explorare, an etiam num virgo esset Maria. Illæ vero cognita veritate ex ipsa re, affirmabant eam virginem esse. Aduenerunt quoq; & illæ mulieres, quæ forte fortuna adfuerant parienti, conspexerantq edentem infantem, quæ & ipsæ attestabantur filium eius esse IESV. Quibus rebus attoniti Sacerdotes, denuo Mariam rogabant, vt libere profiteretur, quibus esset editus ille parentibus, quo, ea ipsa parentum nomina possent in Sacerdotum album referre. Ibi rursus Maria: Ego, reuera, eum peperi; verum nullius conscia patris in terra, audiui ab Angelo filium Dei esse, Filius est igitur meus & Dei. Sacerdotes ergo cum hæc intellexissent, in allato codice scripserunt hæc verba: Eo die mortuus est Sacerdos ille, illis natus parentibus, cooptatusq. est pro illo Sacerdos communi omnium nostrum suffragio IESV, Filius Dei viui, & Mariæ virginis. Porro hic codex e templi & vrbis excidio a primatibus inter Iudęos viris magno studio ereptus est, adseruaturq. in Tyberiade, &c. Tandem subijcit Auctor se hæc ab his audiuisse, qui ex Philippi argentarij ore intellexerant. Apposite autem Leuitarum ac Sacerdotum numerus, quo Ecclesiasticus ordo signatur, qui deseruit in sanctis, et in lege Domini die noctuq. meditatur ac docet, iuxta numerum 22. titulatur. eodem.n. perfecta veteris instrumenti cognitio demonstratur. namq. Origenes, Cyprianus, Epiphanius, Iohannes Damascenus, Amphilochius, Gregor. Nazian. Athanasius, Melito Sarden. Leontius Aduocatus Byzantinus, Iosephus, Philo Iudæus, & D. Hieronymus, cui maxima habetur fides in Ecclesia, in his præsertim quæ ad sacrarum

litterarum

litterarum translationem spectant, (eius enim translatione utitur Ecclesia Romana potissimum, præter Psalmos a Septuaginta interpretibus versos) hi inquam totidem libris vetus testamentum absolui asseuerant, Cuius numeri ea potest afferri ratio, quod cum nullum sit spectaculum, quo magis ad Deum cognoscēdum incitemur, quam admirabilis cęlorum machina, & varij astrorum decursus, & reuersiones; nec horum nobis mensura constare possit, nisi ratio aliqua inueniatur, qua circularis figura ad rectam comparetur, visus est huic inuestigationi idoneus, aut potius necessarius numerus Vigesimus secundus, eo quod circulus per hunc æquabilibus portionibus sectus diametrum ostendat, cui est triplus; & vlterius tanto maior, ut Vicesima secunda parte triplicatum eius septenarium excedat. Quo plane mysterio Habraicumquoque alphabetum in Vigintiduobus elementis est comprehensum. quod & Syrorum ac Chaldęorum lingua testatur. nam & ipsi teste D. Hieronymo Viginti duo habent elementa. Origenes cap. 3. Philogaliæ: Quoniam (inquit) Singuli numeri in numerorum suo loco vim quandam habent in rebus, qua usus est uniuersorum Opifex ad productionem partim Vniuersi, partim speciei singulorum, attēdendum est, & uestigandum e scripturis, quæ ad illos, & illorum singulos pertinent. Non igitur ignorandum Testamenti libros, vt Hebræi tradiderunt, esse viginti duos, quibus æqualis numerus elementorum apud ipsos vsurpatorum non absurde conuenit. Ut enim Viginti duo elementa videntur esse introductio ad sapientiam, & diuina documenta his characteribus expressa, & hominibus tradita; sic Vigintiduo libri diuinitus inspirati, sunt elementum atque principium sapientiæ Dei, & introducunt ad rerum notitiam. Hactenus Origenes. Sunt igitur Vigintiduo volumina, quibus vniuersa, continentur, quæ de Diuinis rebus sciri possunt, & enuntiari, videlicet. Genesis, Exhodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue; Iudices, & Ruth; Regum primus & secundus, vnus est apud Hebræos, qui vocatur Samuel; Regum

tertius, & quartus, vnus etiam apud eos, quem appellant Regnum Dauid; Paralipomenon primus, & secundus, quem dicunt sermones dierum; Ezra primus, & secundus in vno est; Esther; Esaias; Ieremias; & cum ipso Baruch, lamentationes et Epistola; Ezechiel; Daniel; pręterea duodecim Prophetę minores, scilicet, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias; & Malachias, quos vno volumine contineri dicunt Hebręi; Iob; Psalmorum liber; Salomonis prouerbia, & alius Ecclesiastes, & tertius eiusdem Cantica canticorum. Exstant, & alij libri, ecclesiastici a maioribus appellati, quos legi in Ecclesijs voluerunt, idest, Sapientia, quę dicitur Salomonis, & alia sapientia quę dicitur filij Syrach, qui liber apud nos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo non auctor libri, sed sermonis qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis libellus est Thobię, & Iudith, & Machabęorum libri. Quemadmodum ergo Viginti duo sunt elementa, per quę scribimus Hebraice omne quod loquimur, & eorum initijs vox humana comprehenditur; sic Vigintiduo volumina supputantur ab Hebræis in canone veteris Testamenti, quibus quasi litteris, & exordijs, in Dei doctrina tenera adhuc & lactens iusti viri eruditur infantia; vt hac descriptione commoti ministri Domini secundum id quod in lege Domini continetur viuant, operentur, & doceant, vt possint cum Propheta Regio se gaudere ditatos decem beneficijs, quæ commemorantur in Vigesimo secundo Psalmo. Multis alijs principalibus caussis adscriptus in Oraculis hic numerus inuenitur. Viginti duo ab Adam vsque ad Iahacob, ex cuius semine initium duodecim tribus habent, patres fuisse memorantur. Omniumquoque creaturarum Dei species intra Viginti, & duo numerum colligi, & Iudeorum, & Christianorum interpretes his verbis probant. In singulis diebus, creationis fecit Deus opera dierum numero paria. Nempe in primo die, post simplicia elementa, opus vnum, quod est lux.

Hugo a S. Vict. libro 4. Didasc. capit. 8.

Origenes i Numer. 20. Anastasius Synaita in Genes. Isidorus Etymol. libro 16. cap. 25.

In

In ſecundo autem, duo, ſcilicet firmamentum, & diuiſionem aquarum, tam quæ ſunt ſupra, quam quæ infra. Tertio die, tria, congregationem aquæ, & terræ detectionem, & fructuum ex ea germinationem. Quarto, quatuor, ſtellas, & Solem, & Lunam, & eorum poſituram. Quinto rurſus, quinq; opera, nempe quinq; ſenſus, & piſces, & iumenta, volucres, & quæ in eis facta eſt benedictionem. Sexto die, ſex, quæ ſunt, ex terra animantia, & hominem, & feminam, & quæ eſt eis exhibita benedictionem, & quæ fuit eis data poteſtatem, & cibum. Ex his perſpicuum fit, vniuerſa, quæ ſex diebus facta ſunt opera, ſenarij trigono fuiße diſpoſita. Fecit enim Deus primo die opus vnum: ſecundo, duo: tertio, tria: quarto, quattuor: quinto, quinq;: ſex ſexto, quæ in vnum complicata, conficiunt vnum ſupra Viginti; Vicesimũ aũt ſecundũ Dei opus eſt futuri ſeculi paratum regnum, et ſpiritualis contemplatio. nam qũo creaturam condidit, hinc etiam die. ſ. ſeptimo parauit regnum.

DE NVMERO XXIII.

APud Pythagoreos inter atros numeratur Vigeſimus tertius numerus, tum quia primus incõpoſitus, quos ſemper infauſtos eſſe cognouimus, tum quia Vigeſima tertia numerorum ſedes perfecto numero vacua atq; deſtituta eſt, ſicut & quinta, vndecima, & decima ſeptima. Quare apud Moyſen notat diuinam vltionem ſuper peccatores. Exhodi cap. 32, Vigintitria milia hominum fabricãtium vitulum, iubente Moyſe, interemti ſunt. Et lib. Numer. cap. 25. Vigintitria milia hominũ ceſi ſunt vna die, ex his qui cum Madianitarum mulieribus ſe commaculauerant, atq. initiati fuerant Beelphegor. Nõ me quidem fugit in Hebreo ſcriptũ eſſe: vigintiquatuor milia. ſed nos cũ Apoſtolo Paulo apto numeri ſacramento hic ſequi maluimus trãſlationẽ Septuaginta interpretũ, quod in ternario forma triplex peccatorũ ſit demonſtrata. oẽ. n. peccatũ (vt ait Origenes) aut facto,

aut verbo, aut consensu mentis admittitur. Et sicut in primo parente didicimus, tribus modis fit omnis tentatio, nempe suggestione, delectatione, & consensu. suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per Spiritum. quia cum primam culpam serpens suggessit, Eua velut caro, se delectationi subdidit. Adam velut Spiritus suggestione, & delectatione superatus, consensit. qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suadet, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eua delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectatione substernit. Consensum uero Adam mulieri præpositus præbuit, quia dum caro in delectatione rapitur, etiam a sua rectitudine Spiritus infirmatus inclinatur, Et requisitus Adam cõfiteri culpam noluit, quia videlicet Spiritus, quo peccando a veritate magis disiungitur, eo in ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Habet tamen præsens numerus nonnulla sue dignitatis indicia, quandoq; n. significat sapientiæ perfectionem, consimili pene ratione qua præcedens, quod litterarum Latinarum (quæ tres sunt & viginti) summam complectatur; quæ ad assequendam Diuinorum cognitionem adminicularie sunt, & adiutrices. quod plane Cassiodorus in 23 Psalmi elucidatione contestatur, dicens: Numerus autem huius Psalmi, ad Viginti tres litteras fortasse pertineat, quæ eloquentiæ propriæ dicta concludunt, vt apud Hebræos Viginti duæ: apud Latinos (vnde nunc sermo est) Viginti tres: apud Græcos viginquattuor habeantur. Tamen in vnaquaq; lingua comprehendenda, competens adhibetur quantitas litterarum; sic & in isto Psalmi calculo, redolet beata perfectio. Hæc Cassiodorus. Posset eodem numero designari humanæ salutis complementum, & consummatio, quæ præsertim in fide recta, et operibus bonis est constituta. Fides integra, ternario denotatur, qui superdiuinæ Trinitatis fidem mystice continet; Operum uero perfectio, in mandatorum Dei obseruatione collocatur,

Gen. 3.

catur, quæ per Vigenarium numerum constantem geminato binario exprimitur, quod decalogus, & in veteri Testamento traditus est, & in nouo amplius declaratus. Tria autem si ad viginti iungantur, numerum præsentem conficiunt.

DE NVMERO XXIV.

NVmerus quartus supra vigesimum superna mysteria declarat ex senioribus laudes Domino indefessis vocibus suaui modulatione concinentibus. Namq; in visione Iohannis, sedilia sunt Vigintiquattuor in circuitu sedis, & super thronos Vigintiquattuor seniores sedentes. Quare autem hoc numero demonstrentur, super hoc diuersa Patrum, sed tamen mystica fuit expositio. Aretas quidem, qui ex Græcorum Patrum sententijs commentarios composuit in Apocalypsim, hunc mysticum numerum dilucidans hæc consideranda proponit; Supereminens, & diuinissima, sanctissimaq; Trinitas numerum septenarium, quem etiam affinem posuit huic suæ multitudini, initio iuxta inscrutabilem suæ sapientiæ profunditatem æquali numero sibiipsi conuoluens, numerum Viginti quattuor ostendit. siquidem ter septem, viginti & vnum efficiunt, qui est numerus deficiens a Vigintiquattuor ternario, qui ternarius Diuinæ Trinitati omnium creatrici consecratus est. Ideo quoq; septenarius numerus tertio circumuolutus vna cum circumuoluente ternario numerum Vigintiquattuor perficit. Septenarij aũt numeri num totus hic Mundus sensibilis penitus capax est, an iuxta aliquam suã virtutem mortali naturæ impossibile est ad huius pertingere notionem? Aequali autem numero cum sedibus sunt hi qui sedent. & seniores sunt, non iuniores, quoniam & hæreditatis promissio vetustissima est, quippe cum a Mundo condito paratum nobis sit Regnum cęlorum. Porro his qui præparatum habent ante Mundi con-

Apoc. 4.

stitutionem præmium, non tanquam recētioribus, sed tanquam inueteratis in Diuinis præceptis datur regnum æternum. Hæc ex commentarijs Aretæ. Pleriq; hoc numero vniuersas cathedrales Ecclesias intelligi volunt, quæ, licet multæ sint, sub hoc numero designentur, ob veteris ac noui Testamenti concordantiam. legitur. n. in volumine dierum prophetam Regium desiderio raptum ad diuini cultus augmentum, Sacerdotes in Templo statuisse Vigintiquattuor per hebdomadas successiue ministrantes, vt quilibet suo fungeretur officio, incensum Domino ponendo. Cabalistæ per 24 thronos seniorum volunt intelligi Reges Vigintiquattuor Regnorum Mundi, qui veri, legitimiq. sunt Reges. Ceterum alij symbolice putant intelligi eos, qui perfectionem operis, quæ senario perfectissimo commendatur, clara Euangelij prædicatione consummant. Senarius .n. primus perfectus a quaternario primo quadrato multiplicatus procreat 24. Alij hoc numero sacratum utriusq; Testamenti Doctorum coetum insinuari putant. Nempe in veteri Testamento duodecim Prophetæ, omnes illius legis Doctores sua nuncupatione comprehendunt: in nouo uero duodecim Apostoli, cunctos euangelicę doctrinę peritos, & prędicatores sua summa constringunt. Huic expositioni consentit Glosa ordinaria: Doctores (inquit) alias dicuntur 24, alias 12. Omnes. n. doctores veteris siue nouæ legis, dicuntur 12, propter fidem trinitatis, quam annuntiant quattuor partibus Mundi: Vigintiquattuor autem dicuntur, quia numerus ille conficitur per sexies quatuor. sex referuntur ad opera, quę sex diebus fecit Deus: quattuor vero ad Euangelia. quoniam ea, quæ in nouo, & ueteri Testamento fecit Deus opera, Doctores ipsi colunt, & explicant. Nonnulli in eisdem senioribus intelligunt Ecclesiam per geminum Testamentum de duodecim Patriarchis ueteris Ecclesię, & duodecim Apostolis generatam; alij duodecim Iudices priores, & posteriores Ecclesię Dei. nam sedes illa in cęlo posita, quam intelligi uolunt Regnum Dei, cuius in circuitu erant hęc sedilia, extū poni cępta est, ex quo Regnum Israelitici populi David Christi

1. Paral. 25. Ioseph. Antiq. libro 7. Glos. de cōs. di. 1. Tabernaculum. August. & Beda.

Victorinus Galfredus.

secun-

secundum carnem pater, obtinuit. Ille. n. in typum eiusdem Christi futuri filij sui regnauit in populo Dei. & , sicut futurum erat, ut destructo peccati regno, regnaret ille iustitię Rex, manufortis, & desiderabilis; sic factum est, ut abiecto regno Saul, quem propter superbiam Deus proiecit, regnaret Dauid quasi tenerrimus ligni vermiculus, humilis in oculis suis, quatenus recto ordine supernæ dignationis prior filio suo sederet Rex pater in populo Dei. Nã vt non dubitemus ita esse, quod. s. illius patris, & huius filij vna sedes sit, occurrit auctoritas Euangelica, cum ad Mariam Gabriel Archangelus dicit: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iahacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Si ergo sedem illam in cęlo positam dilatato sensu intueamur, in qua sedit Dauid, & post eum hic filius eius, statim apparet, quæ sint sedilia Vigintiquattuor in circuitu eius. Nam post filium, cui Dominus Deus dedit sedem Dauid patris sui, Salomonem dico, successerunt per ordinem duodecim Iudices, & ante patrem illum, qui primus in illa sede sedit electione Dei, præfuerunt populo Dei duodecim Iudices; primus Othoniel filius Cenez frater Caleb; secundus Aioth filius Gera filij Iemini; tertius Sangar filius Anath; quartus Barach filius Abinoem; quintus Gedeon filius Ioas, sextus Iair Galodites; septimus Iephte Galaadites; octauus Abeßan de Bethleem; nonus Ahialon Zabulonites; decimus Abdon filius Hellel Pharaotonites; vndecimus Sãson; duodecimus Samuel. Isti sedem illam, vel Regnum Dauid tẽpore præcedentes, quasi ab anteriori parte sedem in cęlo positam circumsedent. Alij vero Iudices, duodecim videlicet Apostoli, quibus dictum est: Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. filio Dauid temporaliter succedentes, circum sedem illam, quasi a parte posteriori sedent. Secundum Ambrosium, sunt 24. libri Prophetarum, & legis, referentes testimonia iudicij. Nam Aben Ezra, & Dauid Kimchi Viginti & quattuor libros veteris instrumenti numerant, iuxta numerum litterarum

1. Reg 15
2. Reg. 23.

Luc. 1.

Nicephorus. Call. Eccl. histo. lib. 1. c. 6

Iud. 3.

Matth. 19

Hebraici

Hebraici alphabeti, ter tamen repetita littera Iod , in honorem Diuini nominis. Solent.n. Hebræi nomen illud Dei quattuor litterarum triplicata littera Iod Chaldaico more conscribere, hoc modo ׳׳׳. *Hanc partitionem veterum Græcorum nonnullos suscepisse compertum habemus. nam & ipsi Vigintiquattuor litteras habent in suo alphabeto, quot vncia scrupulos capet, vnde scrupula a Græcis grammata.i.litteræ dicta. Non solum autem Græci, sed & Latini, tum recentiores, tum etiam ex priscis, hunc complexi sunt numerum, quod quattuor animalia, quæ Euangeliorum figuram alias præ se ferre diximus, Iohannes scribat habuisse alias senas. Vnde Primasius, & item Beda hæc scribunt in commen. Apocalypsis: Alæ senæ quattuor animalium, quæ sunt Vigintiquattuor, totidem veteris instrumenti libros insinuant, quibus Euangeliorum fulcitur auctoritas: quasi noui Testamenti prædicatio fide careat, nisi veteris instrumenti habeat prænuntiata testimonia, per quæ tollatur a terra, & volitet: quemadmodum etiam ad volandum natum animal, nec volare potest, nisi pennas habuerit; & vitam vnde trahat nequaquam habebit, nisi animali hæreant alæ. Nisi enim quæ prædixerunt Prophetæ in Christo essent consummata, inanis omnino fuißet illorum prædicatio, cum ea teneat Ecclesia catholica, quæ & antea prędicata, & postmodum sunt consummata. Eiusdem sententiæ Victorinus est Pictauien. Quattuor supra viginti esse libros dicens priscę legis, qui recipiuntur, quos in epitomis Theodori dicit contineri. Nos igitur inhærentes Decretis etiam Sacri Concilij Tridentini inter agiographos subsequentes connumerabimus.*

Cap. 4.

DeCanonicis libris Vet. testamẽ. lege ca. 35. Decretorũ Concilij Laodicẽsis. caput item 45. Decretorũ Cõcilij Carthaginẽ. tertij. & Concilij Trident. Sessi. 4.

Libri Vigintiquattuor, quos canonica auctoritate suscepimus, iuxta 24. Græcas litteras; & 24. Hebraica elementa. littera Iod ׳, ter repetita ׳׳׳.

Moysis quinq; libri Genesis, Exhodus, Leuiticus, Numeri, & Deuteronomium; Iesu Naue; Iudicum, simul cum Ruth; Regum quattuor libri, & horum quidem primus, & secundus in vnum librum numerantur; tertius autem et quartus similiter in vnum. Paralipomenon.i. pretermissorum libri duo, pro vno computati. Esdrę

primus

primus & secundus qui dicitur Neemias. nam tertius, & quartus inter apocrypha reijciuntur a D. Hieronymo. Thobias. Iudith. Esther. Iob. Psalterium Dauid cētum quinquaginta Psalmorum. Parabolæ. Ecclesiastes. Canticum canticorum. Sapientiæ liber qui nunc in manibus habetur. Ecclesiasticus. Prophetæ maiores quattuor Esaias: Ieremias, cui annexus est Baruch; Ezechiel; Daniel, quos pro vno habemus. Duodecim minores prophetæ, qui omnes pro vno habentur. Duo Machabęorum libri, pro vno itidem cōputati. Quos tametsi Iudæi nequaquam recipiant, Ecclesia tamen pro canonicis habet. Hi sunt, quos Sancta Mater Ecclesia intra canonem conclusit, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluit. Inde & Psalmus Vigesimus quartus ad Catechumenos pertinet, & electos. Die 24. cæpit ędificari Templum Domini, vt habetur Agg. cap. 2. quia octonarius numerus, qui sanctus est, & in veræ circumcisionis accipitur typo, triplicatus Vigesimumquartum numerum facit, quo mystice docemur, vt ædificemus domum Domini in amputatione carnis, & circumcisione vitiorum; & veram puritatem esse credamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Porro alius quidam Auctor sexies quaternarium supputat, & 4. refert ad elementa Mundi, ex quibus subsistimus; 6. vero ad conditionem Mundi, in quo ipsa elementa versantur, dicens, (quia adhuc in materia sumus, & graui corpore circumdamur, & seruimus generationibus) extruere quidem nos templum, & intrare in Domum Dei, & quasi de graui somno suscitari spiritum nostrū; sed adhuc in Vicesimo quarto die id ipsum facere. Mystice igitur in hoc numero duæ dodecades, & tres octoades, quattuorq; sunt hectades. Poterunt & aliæ huiusce rei significationes mysticæ, ex aliarum partium (ex quibus vel additione, vel multiplicatione consurgit) ratione, & habitudine ad inuicem facile desumi. Nobis illud addidisse cardi est, magnam considerari tum quaternarij, tum senarij cum numero 24 affinitatem. s.i.n. duxeris in se partes quaternarij, habebis proculdubio ipsum numerum 24. ducatur 1

Hieron. Agg. 2.

in

in 2 fit 2. qui ductus ter procreat senarium, hic vero multiplicatus per quaternarium conficit 24; Quod vero ad senarium spectat, dicimus vtrosq; esse prorsus similes, cum vtriusq. latera in se proportionem habeant in dupla ratione consistentem. senarij. n. latera sunt 2 & 3: at huius. s. 24 latera sunt 4 & 6. Duo aũt ad quattuor, & tria ad sex proportio dupla. Illud deniq; notare contenti sumus, numerum 24. a Sole (vt ita loquar) fuisse illustratum. Solẽ quidem credidit Plato perspicuã Dei statuam esse in hoc templo mundano ab ipso Deo positam, quem etiam, vt refert Plotinus, venerabantur vt Deum. vnde Heraclitus eum vocat fontem cęlestis lucis. Et qui non videt Solem in Mundo esse imaginem, vicariumq; Dei, is certe noctem nunquam considerauit, nec Solem suspexit exorientem, nec illius animaduertit munera. Quemadmodum. n. Christus lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc Mũdum; non secus Sol lux imaginaria Viginti quattuor horis, vniuersam Mundi molem circundans, illuminat. Patiente autem Christo, aduersa Luna deficiens, consensum suæ naturæ cum Christo euidenter ostendit, vt non immerito (ne altiorem tangam caussam) diem quam Mathematici Solis appellant, nos diem Dominicam vocauerimus, et illius cultui totã mancipauerimus. Admonemur aũt hinc mysterij, quod superiori numero attigimus, cur. s. secundum Hebraicam veritatem liber Numerorum cap. 25. referat Vigintiquattuor millia hominum fornicantium cũ filiabus Moab, et adorantiũ Beelphegor fuisse morti tradita. Iure optimo. n. sub numero vicenario & quaternario millia hoĩum occisorũ sunt adnumerata; quia qui lumen veritatis & iustitiæ derelinquentes, in cæcitatem idololatriæ ac fornicationis se immergunt, Solis æterni lumine priuati, perpetuæ mortis tenebras sentiunt. Horis ergo 24 Sol mundanus totum Orbem vndiq. illustrat, atque noctis tenebras suo ambitu fugat. Qui. n. fidei lumine, quod per Apostolos atque Prophetas prædicatum est, mentis suæ oculos illuminat, peccatorum tenebras euitare decertat. Econtrario vero, qui lumen rectæ fidei

Ioan. 1.

Rabanus in Num. li. 3. c. 9.

fidei habere nequaquam curat, ac per callem iustitiæ ambulare detrectatur, quando iusti æterna luce fruuntur: iste cum peccatoribus atque Diabolo inferni cruciatibus punietur.

DE NVMERO XXV.

Ensilis Mundi natalem diem esse 25, Martij nonnullorum primæ classis hominum tenuit opinio. Nam de prima die Geneseos hæc scribit Georgius Cedrenus in compendio histor: Est prima dies primi Hebræorum mensis, qui mensis ab his Nisan dicitur, eademq; Quinta post vigesimam eius mensis, quem Romani vocant Martium. Ea die Diuinam Dei nostri Seruatoris conceptionem castissimæ Virgini Dei Genitrici Gabriel salutatione denunciauit. Eadem die vnigenitus Patris Filius, cum ineffabili modo luce Vigesima quinta Decembris natus, omni suo in carne defunctus esset officio, de cruce pependit, Mundumque renouauit. Præterea quidam Beatorum, & Diuino instinctu præditorum patrum, eadem die alterum Filij Dei, & Seruatoris nostri IESV Christi aduentum fore pronunciarunt, quo de omni anima est iudicium acturus; quippe futurum seculum rursum ab hac ipsa die inchoandum existimantes. Diuus Athanasius problemate proposito, quare Vicesima quinta die mensis Martij in vtero Virginis clausus habitare cæpit Christus, & Deus noster veniens in terram, dicit eodem die in Mundi principio Deum creasse primum hominem; hinc esse, quod in hoc ipso mense omnes arbores, & herbæ, animalia item ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouentur, tanquam a Deo hoc tempore creata sint. Gregorius Nazian. Arcanus (inquit) apud Hebræos est sermo, hoc tempus esse, quo Deus vniuersam condidit molem. Vernum porro hoc tempus est, quo pubentes herbæ succrescunt e terra:

Niceph. Cal. lib. 12. c. 32. Iuli9 Hilarion. li. de Mũdi duratione.

Ad Antiochum principẽ quęst. 17

Naz. ser. 2. in Pascha.

Omnia

Ouid. li. 1. Fast.

Omnia tunc florent, tunc est noua temporis ætas:
Et noua de grauido palmite gemma tumet:
Et modo formatis operitur frondibus arbos:
Prodit & in summum seminis, herba solum:
Et tepidum volucres concentibus aera mulcet:
Ludit & in pratis, luxuriatq; pecus.
Tunc blandi soles, ignotaq; prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.
Tunc patitur cultus ager, & renouatur aratro:
Hæc anni nouitas iure vocanda fuit.

Vt ergo ostenderet Scriptura veris tempora in constitutione Mundi, dum loqueretur de Pascha Domini, quod Veris initio colebatur, ait: Mensis hic. s. Nisar, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. primum mensem, vernum tempus appellans. decebat.n.principium anni, principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri.neq;.n.possent terrena rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis estus iniuriam sustinere. Vt.n. scribit D. Ambrosius: Inde oportebat Mundi exordium capi, vbi erat opportuna omnibus verna temperies. Accedunt & Astronomorum placita, quoniam tum primam Arietis partem tenebat Solfons lucis, dux, princeps, & moderator ceterorum luminum. Quare Romani ad Octauum Kalendas Aprilis lætitiæ diem colebant, quem dicebant Hilaria, quo festa solennia, & ludos publicos, ac dies hilares concelebrabant. quod eo tempore iterum Sol Zodiaci peragrato spacio, per omnes signorum stationes ad nos rediret. Hinc factum, vt hoc numero hieroglyphice notarentur, qui illecebris & voluptatibus huius vitæ dediti, semetipsos rebus creatis mancıparunt, quos arguit D.Iohan.Epist. 1. canon.dicens: Nolite diligere Mundum, nec ea quæ sunt in Mundo. si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo. quoniam omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex Patre, sed ex Mundo est. In eandem sententiam. D. Cyprianus ad hunc modum loquitur lib. de duodecim abusionibus: Mundi amor, & Dei pariter in

Exho. 12.

Cap. 2.

vno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cælum & terram nequaquam conspiciunt. Vt.n.mors (inquit Euthymius) animam separat a corpore; ita & præsens Mundus amatores suos separat a Deo. Non incongrue igitur hoc numero significamus homines sensuales, idololatras, ac consummatam illorum malitiam, atq. induratam obstinationem. vt apud Ezechielem cap. 8. & 11. Ecce in hostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi Vigintiquinq. viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis. Nempe per hos Vigintiquinq; viros, vt explicat Nicolaus Lyren. designãtur apostatæ a fide, maxime quando sunt in sua malitia solidati, quæ signatur per numerum 25, tetragonum. quod adaperit, & Glos. Ordinaria eundem Prophetæ locum explanans his verbis: Signat Propheta Vigintiquinq; viros, qui in quadrum solida statione fundati sunt, & a quinq; sensibus per quinquies quinque, figuram efficiunt quadranguli. D. Hier. com. in cap. 8. Ezechielis: Vsq; hodie, in Ecclesia, quæ est domus Dei, & ante portam, et in introitu, siue in via portæ, quæ significat Saluatorem, per quem ingredimur ad Patrem, sunt Vigintiquinque viri ad sensus cuncta referentes. Idem cap. 48. dilucidans locum illum: Quinq. milia quæ supersunt in latitudine per Vigintiquinq. milia, profana erunt vrbis: Vt cunctis (inquit) habitare liceat Israelitis, omniq. de plebe, non quod immunda sint, aut aliquid in habitatione terræ sanctæ contaminatum, putridum putetur, & sordidum; sed quod preter Sacerdotes, omnibus in eis habitare permissum est. Per quę intelligimus cuncta, quę referimus ad sensus, hoc est, ad corporis voluptates, quæ visu, & auditu, tactu, odore, & sapore capimus esse profana, & templi sanctimoniam non habere, nec sacerdotale esse priuilegium, sed laicę vilitatis. Et quantum non subterfugit memoriam meã, nunquam in bonam partem hunc numerum potui reperire. Licet.n. Numer. cap. 8, ad sacerdotale ministerium a Vigintiquinq; annis eligi dicantur, in Hebręo tamen non habetur hic numerus, qui in

in Psal. 32.

in Septuaginta dicitur, sed tricearius, quod annotatum reliquit D. Hieronymus Epist. 23. quæ est ad Theophilum Alexan. Porro si quæras vnde constet hic numerus, de quinario fieri comperies, qui neque triangulus, neque tetragonus, neque cubus, neque perfectus est. quinimmo quinque figurarum nullus reperitur perfectus numerus. quinta. n vnitas, quæ a decem millibus ad centum millia porrigitur, regij decoris totiusq. perfectionis est expers.

1	2	3	4	5	
1	10	100	1000	10000	100000
6	28	496	8128	-----	

Præterea sicuti numerus 25. duas dumtaxat habet partes aliquotas, nempe 1. & 5. pari modo quinarius cum sit primus incompositus, sola numerabilis est vnitate, sic etiam ex diametro distans a perfectione. Vnde & huiusmodi numeri, qui nullam habent partem denominatam, præter vnitatem, infructuosos in vinea Domini notant, de quibus apud Matthæum dicit Veritas: Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores. Nobis etiam cōsentiunt Pythagorici, quinarium Mineruæ sacrum habentes, quæ sterile producit. Mineruam quidem dicit Seruius Grammaticus, natam quinta luna, sicut omnes qui steriles fuere. Vt intelligamus (inquit Ioan. Bocc.) Titanis filios steriles fuisse, quinta Luna ipsos natos dicunt. Antiquis.n.creditum est, quidquid Luna quinta nasceretur, sterile atq. damnosum fore Hinc natum adagium vt nullius numeri hominem dicamus natū Quinta Luna. Quemadmodum & Quintæ classis appellamus infimæ notæ homines, & supra modum ignauos, nulloq; dignos honore. Cuius rei testis est Cicero in Academicis lib. 2. de Democrito loquens: Quis (inquit) hunc Philosophum non anteponat Cleanthi, Chrysippo, reliquisq. inferioris ętatis? qui mihi cum illo comparati Quintæ classis videntur, idest postremi ordinis. Accedit Hesiodi lucubrātiuncula, qua, pro ratione

Cap. 25.

temporum

temporum, dierum alios comprobans, alios reijciens, reprobat Quintas, in quibus Erinnyes Rixæ filias natas dicit, quas iussu Plutonis vagari, & plus habendi desidera castigare, periurosq; deposcere ad supplicium insinuat:

Ἐν πέμπτῃ γάρ φησι ἐριννύας ἀμφιτολεύειν,
Ὅρκον τιννυμένας, τὸν ἔρις τέκε πῆμ᾽ ἐπιόρκοις.

Quæ sic vertuntur.

---- quintas fuge. namque illarum pallidus Orcus,
Tum diræ Eumenidum facies toto Orbe vagantes
Castigant, si qua in terris periuria falsum
Affirmant, quæ lis alterne agitata creauit.

Hesiod. libro de diebus.

Idem monet Virgilius in primo Georgicorum:

---------- quintam fuge. pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ. & quæ sequuntur.

Exstabat in Melampodis commentario, vti refert Lud. Rhod. peierantes Luna Quinta, totidem commori diebus, quod (inquit ille) cum obseruarim quandoque, verum comperi. Atque id quidem ex Pythagoricorum sententia, qui numerum illum in diebus lunaribus iustitiæ, & æquitatis diem esse tradiderunt. nam & exsuperans adimit, & quod deficit, restituit æquitas, quorum vtrumque est iudicis munus. Istud ipsum efficit dies Quinta, quæ prima addit deficienti; cum altera quinta labentis, & occidentis mensis adimat, quod est exsuperans. Cognati igitur sibi sunt 5. & 25. & horum quisque Mundo deditos notat, & vitam sensibilem, propter quinque sensus, quibus vita corporea transigitur. D. Hieronymus in explanatione Ezechielis, vbi legitur: Porta a tecto thalami vsque ad tectum est latitudinis Vigintiquinq. cubitorum; ostiū, contra ostium: Hic, inquit, numerus ad sensus refertur. si enim quinos cubitos contra se quinquies ordinaueris, Vicesimum et quintum numerū efficies. Vigintiquinq; milia in mensura Ciuitatis, ad quinq. sensus referuntur, & simplicem historiam litteræ.

lect. ant. libro 22. cap. 10.

Cap. 40. & 48.

Hier. in Ezech. 45.48.

Num. 27 Aug. in Psal. 49. & 147. 1.Reg.6. Greg.pp eod. Luc. 12. Amb. eod. Esai. 19. Hier.eodem. Beda in Luc.c.78

Quinque filiæ Salphaad designant opera quinq; sensuum, aut ipsos sensus, qui sunt filiæ, quæ nascuntur ex obliuione; non ex memoria. Quinq; vero ani aurei, designant memoriam peccatorum per quinque sensus commissorum. Quinq; in domo vna, hoc est, in homine, sunt anima, caro, appetitus rationalis, concupiscibilis, & irascibilis: & diuiduntur quæ prius in malum consentiebant. Quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan, sunt figuræ quinque sensuum. Visus noster, qui principem inter sensus locum tenet, lingua Aegyptia loquitur, quando videmus mulierem ad concupiscendum. Gustus noster loquitur lingua Aegyptia, quando dulcescunt fauces nostræ, in quas pertrahitur quidquid porrigitur, & quod antequam accipiatur charum habebatur, idem perceptum vilescit, et contemnitur. Ab his sensibus morti aditus est patefactus. scriptum est.n. de fructu illo qui nobis mortem intulit: Et vidit mulier, quod lignum esset bonum ad vescendum, et pulchrũ oculis. Olfactus noster loquitur lingua Aegyptia quãdo secũdũ Prophetã viuentes in delitijs, vtimur vnguentis, et odorum suauitatibus. quorum immodico vsu, ad venereum congressum reddimur propensiores. Nam & Commodus Imperator, cum grassante aliquando peste vnguentis vsus esset, ex ea re ad libidinem maiores flammas cõcepit. Tactus noster loquitur lingua Aegyptia quando non audientes illud quod Apostolus loquitur; Bonum est homini mulierẽ non tangere; sed eneruamur tactu. neq;.n. illum tãtum dico tactum qui manu fit, sed qui in toto corpore seruatur. (vt.n. in Quinario diximus) vis & facultas tangendi, per totam carnem sparsa ac diffusa est. Auditus deniq; noster loquitur lingua Agyptia quãdo suscipientes auditionem vanam, turpia verba atq; ad fraudem & curiositatem composita nos in fraudem inijciunt, ac circũuentos rursus a ueritate abducunt. quemadmodũ olim, et primos parentes, Quinq. sunt ciuitates, quæ imbribus igneis cõflagrarunt, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & Segor. illud (nisi fallor) significantes, quod omnes qui sensus corporis sui libidinose tractauerint, in illo incẽdio

Gen. 3. — 1.Cor.7. — Gen. 19.

concre-

concremandi sunt. Spectat ad id quod apud Ezechielem facta dicitur prophetia sexto anno, & sexto mense, & quinto die mensis. qui numeri ad fabricam Mundi referuntur, & carneos sensus, qui terrena conspiciunt, & necdum cęlestia contemplantur. Dirigit .n. sermonem ad presbyteros Iuda, e quibus septuaginta tenebant turibula, & Vigintiquinq; (vt nuper diximus) in tempo adorabant Solem, sedebatq; Propheta in domo sua fugiens frequentiam multitudinis. Ipsi Quinq; Gentes contra quas pugnat Saul, Moab scilicet, Filij Ammon, et Edom, & Rex Soba, & Philistæi. Greg. pp. In superandis (inquit) aduersarijs, quia insidiæ oppositæ quinq; corporalibus sensibus designātur, apte per Quinarium numerū exprimuntur. qui .n. Quinq; Gentium nomina posuit, oppositas Quinq; sensibus corporis fraudes dęmonum designauit. Hæc ille. Ipsi sunt Quinq; Reges, qui regnant in vitijs, vt euidentissime doceamur, quod omne vitium regnans in corpore, pendet ex quinq; sensibus, proinde mandat Dominus eos perimi de regno Madianitarum, vt vltra non regnent super eos vitia. Ipsi quinq; Reges a quattuor superati, designantes quinque sensus ab illecebris superatos. Ipsi sunt Quinq; Reges aduersus Gabaonitas in prælium conspirantes, quod se sociassent ad filios Israel. animæ siquidem rationali, cum se verbo Dei sociauerit, pugna paratur aduersus quinque corporis sensus, quod per horum aliquem necesse sit decidere in peccatum. nisi .n. probe regantur sensus, ad vitium faciles sunt viæ. Per eos ad vitia nobis aditus patet; ac per eos in animum influit, ac intrat peccatum. Inde et Agnus in Quintā diem asseruabatur, hoc est a decima vsq; ad decimam quartam, quia Christus victima nostra quinq; nostros externos sensus erat expurgaturus. hę .n. domus animæ fenestræ sunt, de quibus ait Ieremias: Ascendit mors per fenestras, hoc est per sensus, a quibus peccatum proficiscitur, non vt efficientibus caussis, sed vt adiuuantibus. & circa quos bellum committitur peccati sagittam extrinsecus incidentem admittentes. Hoc est tributum, quod impendunt Aegyptij Pharaoni, qui semper visi-

Cap. 8.

1. Reg. 14.

Num. 31

Gen. 14.

Iosue 10.

Exho. 12

Gen. 47.

bilibus, & corporalibus obsequuntur. At Israeliticus populus, non sic; sed decimas offert Deo. Quinta.n. pars sunt quinque sensus ser uientes Principi huius seculi. Ipsi præterea sunt Quinque dies, qui bus exactis, Ozias princeps Bethuliensis populi consensit popularibus suis vt traderent Holoferni Ciuitatem. quare arguitur per Iu dith his verbis: Quod est hoc verbum, in quo consentit Ozias, vt tradat Assyrijs Ciuitatem, si intra Quinque dies non vene rit nobis adiutorium? Et qui estis vos qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem. Ipsi rursus sunt Quinque porticus pi scinæ illos languidos continentes. Ipsi quoque sunt Quinque vi ri, quos Samaritana habuit ad libidinem. Ipsi Quinque fratres epulonis apud Euangelium Lucæ. Ipsi Quinque iuga bonum, propter quæ recusat inuitatus cena frui magnifica, eos præsignans qui mundanis dediti rebus, vocati venire nolunt ad cæleste conuiuium. Adhuc ipsi sunt Quinque panes hordeacei, qui franguntur a Seruatore, & multiplicantur, eorum qui audiunt multitudini. quæ etiam 5000. virorum est, eos significans, qui in seculari adhuc habitu positi, exterioribus quæ possident, haud bene vti nouerunt. quare non ipse Dominus, sed Discipuli recordantur eorum, inclinante iam Sole. Multi enim solum attendunt sensibilibus, vt quæ sola sint. Vide autem circumspiciens, inquit Plato, ne quis exaudiat ex his, qui non sunt mysterijs initiati. sunt autem hi, qui nil aliud esse putant, nisi id quod possint manibus tenaciter apprehendere. tales enim sunt, qui attendunt solum sensuum quinarium; auditus autem, & quæ sunt eius generis, adire non possunt Dei intelligentiam. Proinde in veteri Testamento operculum, quo arcebatur infidelitas populi, oppansum erat ante Quinque columnas, arcens eos qui erant in ambitu. Ipsi denique sunt Quinque libri Moysis, quibus significatur lex, quæ iram operatur, & nihil ad perfectionem duxit. Neq; tamen cum Manichæis absolute malam appello legem; sed non simpliciter bonã.

Marginal notes: Iudith. 8. — Iohan. 5. — Beda in Iohan. 4. — Cap 16. Luc. 14. Aug. lib. de verbis Domini, Ser. 33. Beda i Luc. — Luc. 9. Iohan. 6. Matth. 14. Beda in Matth. 14. Mar. 6. — Lib. De Scientia. — Clem. Alexãd. Strom. lib. 5. Exho. 36. Philo de vita Moysis lib. 3. — Rom. 4.

mala quidem eatenus non erat lex, quatenus pædagogus nobis erat in Christo. Non bonam autem esse legem aperte docet Propheta, apud quem Deus de Hebræis verba faciens: Dedi, inquit, eis præcepta non bona. non dixit præcepta mala; sed non bona, idest, non perfecta, non absoluta, non consummata. Nam multa permisit Legislator ob duritiam populi, veluti auaritiam, vsuram, diuortium, connubia illicita, quæ postmodum non permisit Euangelium. Quod confirmant veteres Hebræi Doctores, qui illud Ecclesiastici interpretantes: Vanitas vanitatum, & oĩa vanitas, inquiunt: Vana est etiam lex, donec venerit Messias. Huic igitur legi, antequam veniret Euangelium, deerat perfectio, quę senario comprehenditur. quinque autem per sex si multiplicantur, vt lex per Euangelium impleatur, vt fiant sexies quini, nascetur numerus 30. ad Euangelium spectans. Inde apud Euãgelium secundum Iohannem scriptum legitur, quod Discipuli cum ascendissent nauim, mare, vento magno flante, exsurgebat. cum ergo remigassent quasi stadia 25. aut 30. vident IESV ambulantem supra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. Mystice quidem hos numeros estimantis voce proferens Euangelista, non adfirmantis. Quantum.n. accedit finis Mundi, crescunt terrores, crescit iniquitas, crescunt errores. Ipsi sunt fluctus Ecclesię nauem turbantes tempestates: tamen inter omnia tentamentorum genera nauis proficiebat, portum querebat. ad eos autem qui implent legem, venit IESV, & tamen tantę sunt tribulationes, vt etiã ipsi qui crediderunt Dominũ IESV, et qui conantur perseuerare, expauescant. Hactenus ab vnitate, continuata numerorum serie, ad hunc vsq. numerum Deo adiutore progressi sumus, cuiq; eorum ex sanctorũ Patrum, et Pythagoreorum sententia mysticã aliquam significationem adaptantes. Post hac vero non est nostri consilij naturali numerorum seruato ordine, quemque eorum singulatim explicare. tum quod multi occurrent quorum non satis perspecta inueniri possit, aut comperta mystica ratio; tum quod ex precedentibus, qui simpliciores sunt, &

Ezech. 20.

Cap. 1.

Cap. 6.

Beda in Iohan.

aggregatione aut multiplicationis ductu sequentes constituunt, colligi facile queat eorum qui sequuntur significatio. ex simplicibus.n.facile est ad compositorum cognitionem peruenire. Deinceps igitur insigniores numeros enodabimus.

DE NVMERO XXVII.

TErnarij cubus est numerus 27.nam si producuntur cubi ductu laterum, & radicum in suos tetragonos, ductus ternarius in suũ quadratum, nempe nouenarium, 27. procreabit. Habent quidem quadrati longitudinem, & latitudinẽ, sed altitudine sunt orbati. quod si per latera vnam recipiant multiplicationem, æqualem proferunt profunditatem; nam 9.tetragonus post vnitatem tertius, 3. habet in latere, et natus ex tribus in se multiplicatis. ter.n.tria conficiunt nouem, si vero vnam lateris multiplicationem adiunxeris, cubus æquali laterum formatione consurgit. ter.n.tria, si tertio duxeris, 27. cubi forma producetur. Tot autem vnitates habere cubum in latere necesse est, quot habuit tetragonus, ex quo productus est, vtpote 9. tetragonus tres numeros habet in latere, tres quoque 27. cubum habere opus est. Quoniam igitur omnis cubus ab ęquilateris quadratis proficiscitur, æquus ipse cunctis est partibus. nam & latitudini longitudo, & his duobus, compar est altitudo. At cum tribus terminis longo, lato, & profundo sit quiescendum, sequitur vt numerus cubus plenitudinem notet ac firmitatem. Par est vt hoc loco referam commentũ Cabalistarum. Veritas apud eos dicitur אמת hemeth, quarum litterarum figuræ, solidæ sunt, & quadratæ, firmos habentes pedes, et bases. quibus indicatur veritas eiusq; stabilitas, vti videre licet in nouissimo thesauro Pagnini. Et vice versa שקר Sciecher i.mendacium scribitur ea litterarum forma, quę habent firmitatem, nec scorsum stare possunt, neq; simul iunctę. vt verum sit

Col. 124

adagium

adagium illud Mendacium breues habet pedes, immo claudos ac debiles]. Consentiunt Poetę dum mendacem fortunam, quę obambulat quocunq;, & alijs eripit facultates, alijs tradit, ab ijsdemque rursus aufert illico quæ tradiderat, & alijs tradit temere, & inconstanter, vsqueadeo vt calamitates magnæ, & asperæ fiant cum quispiam ei crediderit, quo incertum, & instabile eius donũ significarent, eam super rotundo lapide insistere finxerunt. Quemadmodum cecinit Ouidius lib. 2. de Ponto.

Scilicet indignum iuuenis rarissime ducis,
Te fieri comitem stantis in Orbe Deæ.

Et Tibullus primo Elegiarum.

Versatur celeri Fors leuis orbe Rotæ.

Ceterum Athenięses, vt in Messenicis traditum a Pausania, quadrangula figura Hermas fecere, & eam ab illis alij Græciæ populi acceptam formam in Mercurij sigillis vsurparunt, nempe ob veri sermonis firmitatem atq; cõstantiam, quia veritas vndecumq; sui similis est: mendacium vero vanum ac multiplex est, sibi ipsi minime consentiens. in hac significatione Hieroclem philosophum Alexandrinum dicere solitum refert Suidas, Socratis disputationes similes esse tesseris. erectas.n. stare semper, vtcunq; cecidissent. Idem e Damascio quodam allegat hæc verba de cordato quodam viro: In omnibus erat grauis, & honestus, & quadratus, & sine reprehensione compositus. vbi Quadratus pro constanti accipitur. In quam sententiam dici potest quod Rationale, quo vtebantur antiquæ legis Sacerdotes, Quadrangularis erat figuræ, in longitudine, & latitudine palmi mensuram obtinens. hac.n. figura significabatur constantia Sanctorum, qui non circumferuntur omni vento doctrinæ; sed irrequieto motu in præclaris operibus, & fide constantissime vsq; in finem perseuerant. Nihil sane perfectum, quod non stabile, & perpetuo sibi constans, atq; adeo ipsa stabilitas, & constantia rerum omnium absoluit perfectionem. Neq; is qui semel cuiq; suum reddidit, iustus; neq; qui semel mortem contemsit, is fortis; sed qui hæc constanter, & perpetuo facit, præcla-

Exh. 28.

rum horum nominum decus meretur, considerans illud Matth. cap. 20. & 24. Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Hinc Aristoteles hominem vocauit tetragonum, cuius videlicet omnia ita rectis angulis includerentur, vt nihil de ipsorum lapsu aut inconstantia esset verendum. Eodem mysterio Iohannes Apostolus in sua Apocalypsi hunc sermonem profert: Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est quanta & latitudo. Et mensus est ciuitatem de arundine aurea, per stadia duodecim millia; & longitudo, & altitudo, & latitudo eius equalia sunt. quem locum dilucidans Victorinus Pictauien. Per ciuitatem (inquit) quadratam Sanctorum adunatam turbam ostendit, in quibus nullo modo fides potuit fluctuare. In eadem significatione 3. Reg. 5. legimus Regem precepisse vt tollerent lapides preciosos in fundamentum Templi, et eos quadratos redderent. Genesi quoq. cap. 6. Arca Nohe, quæ figuram gestabat Ecclesię, ex lignis quadratis, ut diluuij posset impetus ferre, facta esse describitur. Licet .n. non sit minimi facienda Hebraica lectio, quę habet: Fac tibi arcam lignorum cedri. quod cedrus sit arbor altissima, & ad classes ędificandas aptissima censeatur, quæq. etiam nunquam carie putredineq; vicietur; Gręci nihilominus Latiniq; Theologi sequũtur lectionem Septuaginta, quę e lignis quadratis arcam constare dicit. Ecclesiastici siquidem scriptores quadratum interpretantur cordatum, iustum, & tenacem propositi virum, quem vt Flaccus eleganter canit.

Moraliũ lib. 1.

cap. 21.

Augu. in ciui. Dei lib. 15. c. 26.

Lib. 3.

Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neq; Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur Orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Est igitur huius viri mens tanquam quadrata, Attendite similitudinem quadrati lapidis, cui similis esse Christianus debet, Quadratus lapis solidę constantisque figurę quomodolibet iactus, quadratus

dratus

dratus semper stat. In omni tentatione sua non cadit Christianus, nec suum mutat animum quęcumque inciderit fortuna. Et Electorum mens, si inter uniuersa Mundi siue aduersa, siue prospera permanserit immota, quasi quadratam sibi figuram inesse uirtutis inuictę demonstrat. Ceterum quam bene fundata sit Ecclesia supra firmam petram, & quam firmiter ędificata, illud perspicue manifestat quod Simon vocatus est a Domino Cephas. Est enim Cephas Chaldaicum uerbum idem quod petra. porro Petrus auctore Augustino vniuersam significabat Ecclesiam, quę in hoc seculo diuersis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibusq; quatitur, & non cadit: quoniam fundata est super petram. unde & Petrus nomen accepit. non enim a Petro petra, sed Petrus a petra: sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Redeamus ad Arcam. Euidentius enim Ecclesiæ soliditas fuit exposita, quando Vicesimus septimus dies mensis commemoratus est; quia nos ad omne opus bonum paratos, idest, quodam modo quadratos Trinitas perficit; in memoria, qua Deum recolimus; in intelligentia, qua cognoscimus; in voluntate, qua diligimus. Nec a mysterio vacat, quod Arca Nohe septimo mense sedit, hoc est, requieuit. ad illam siquidem septimam requiem recurrit significatio. Et quia perfecti requiescunt, ibi quoque illius quadraturæ numerus iteratur. nam secundum translationem Septuaginta, Vicesima septima die septimi mensis commendatum est hoc sacramentum, cum Arca requieuit super montes Armeniæ. Et rursus, Vicesima septima die secundi mensis, quando arefacta est terra, ea commendatio confirmata legitur. quod enim promittitur in spe, hoc exhibetur in re. Addit Augustinus,

Matt. 16

Gen. 8.

Aug. contra Faustum lib. 12. c. 19.

Gen. 8.

Ibidem.

Ibidem.

Vice=

Contra Faustum lib. 12.

Vicesima septima die secundi mensis siccatam fuisse terram, tamquam finita esset iam baptizandi necessitas in numero dierum quinquagesimo septimo. Ipse est.n. dies secundi mensis Vicesimus septimus, qui numerus ex coniunctione spiritus, & corporis, septies octonos habet, vno addito propter vnitatis vinculum. In hoc cubo scribit Plato animę Mūdi factam fuisse generationem. assumit.n. vnitatem commune principium parium, & impiarium; deinde 2. & 3. qui primi sunt eorum, quos vocamus planos, seu superficiem referentes; tum 4. & 9. primos quadratos; deinde & primos cubos 8. & , quem in manibus habemus, 27. qui id habet peculiare, quod cum sit postremus præcedentium omnium continet summam, tum inter se compositorum, tum imparium in se ductu. vnum.n. duo, tria, quattuor, octo, nouem simul colligata conficiunt Vigintiseptē; idem, si in se duxeris partes aliquotas ipsius numeri 27, quæ sunt vnum, tria, nouem. Quod si ipsa 27. in se ductitaueris, habebis quadratum suum 729. cubum nouenarij, quem summopere libro de Repub. nono Plato noster laudat, illum magnum dicens ac fatalem. Si vero omnes numeros scilicet 1, 2, 3, 4, 8, 9, & 27, inter se composue ris, habebis 54, qui apud Plutarchum est numerus dimidiæ vitæ humanæ. Adhuc si 1, 2, 3, 4, 8, 9. in semet ductitaueris, nascetur 1728. cubus duodenarij. Si denique cunctos pares in seipsos multiplicabis, orietur 64. quadratus ab octonario primo cubo, & cubus quaternarij primi quadrati. Inde etiam septem hos numeros in vna recta linea non disposuit Plato; sed duobus ordinibus, quorum vnus pares, alter impares contineret. Quo significetur geminā vim inesse animæ; alteram qua in mundum intelligibilem semper inhæret, imparibus numeris expressam; alteram qua corpus producit, quam pares numeri significant. Anima.n. cum a mundo intelligibili degeneret, a quo procedit, in corpus vergit, quod producit. Verumtamen nec adeo degenerat a mundo intelligibili; vt diuinę conditionis expers sit; nec adeo vergit in corpus, vt materiæ sordibus participet. Vnitate igitur in vertice collocata, terni ex

In Timæo.

Plutar. de Oraculorum defectu.

utraq; parte fluunt ab eadem; ab vna quidem 2, 4, & 8. pares ac feminei; ab altera 3. 9. & 27. impares ac mascula præditi natura, vt hic:

			1			
Superficiales		2		3		
Quadrati	4				9	
Cubi	8					27

Ex his septem numeris facta contextio generationem animæ summi artificis efficit imperio. Et hic magna comprobatur dignitas, et potentia numeri 27. quod origo animæ mundanæ sub hoc numero comprehendatur; sed maior etiam censebitur, vbi similes numeri cum similibus fuerint multiplicati. producunt.n. numeros planos, quia ducti 2, in 3, constant 6, perfectum, & ex numerorum principijs primo pari constantem, & primo impari. 4. & 9. multiplicati, producunt 36. primum qui simul quadratus sit, & trigonus. deniq. 8. in 27. faciunt 216. senarij cubum suo ambitui æqualem, et primum qui duorum cuborum ductu nascatur. sunt.n. 8. & 27. cubi, quare cubus etiam erit hic numerus. Cum n. fuerint duo numeri cubi, qui inde producetur, erit cubus. Et hic etiam obiter notabis, quod omnium trium quantitatum continue proportionalium, cubus secundæ quantitatis est æqualis ductui omnium quantitatum inuicem, vt 4, 6, 9. senarij cubus est 216. ducatur igitur 9. in 6. fit 54. ducatur 54. in 4. fit 216. Neque tacebo, quod numerus 216. componitur ex tribus cubis, nempe 125. 64. & 27. habentibus radices cubicas 5. 4. & 3. quemadmodum enim quadratus sæpe componitur ex duobus quadratis; ita hic primus est qui tribus componatur cubis. Neque uero obscurum est, quin hisce numeris etiam consonantiarum rationes insint. Nam duo ad vnitatem duplam habent rationem, qua refertur Diapason. Sesquialtera ternarij ad binarium, qua Diapente. quaternarij ad ternarium sesquitertia, qua Diatessaron. tria ad nouem triplam habent proportionem, qua refertur in harmonia Diapason cum Diapente, seu duodecima quam

vocant.

vocant. Octo ad duo seu quattuor ad vnum quadruplam habent rationem, qua Disdiapason, seu decimaquinta. Denique 9, ad 8, sesquioctauam, qua Tonus.

DE NVMERO XXVIII.

PErfectissimus est numerus 28. virtutis quidem æmulator, qui nec superuacua progressione porrigitur, nec contracta rursum diminutione remittitur; sed medietatis obtinens terminum, suis æquus partibus, nec crassatur abundantia, nec eget inopia. habet enim medietatem: 4, & septimam 4, nec caret quarta, idest, 7. possidet quartamdecimam 2, & vicesimamoctauam 1, quæ in vnum redactæ totũ partibus corpus æquant. nam iunctæ partes 14. 7. 4. 2. & 1. efficiunt 28. qui cum medium obtineat locum inter abũdantem & diminutum, virtutis dicitur numerus. nam quod suæ partes summam non excedunt, hoc cum diminuto conuenit, & ab abundante abest: quod vero partes in vnum collectæ a summa non absunt, sed eam implent, cum abundanti conuenit, & a diminuto differt. est itaque inter vtrumque medius. Sic sane virtus inter excessum, & defectum media est, vtpote cum vtroque nonnihil conspirans, itemq. & ab vtroque discreta. sic liberalitas sua elargitione prodigalitati consentiens, ab auaritia prorsus abest; acceptione contra, cum auaritiæ non prorsus aduersetur, certe prodigalitatem a se repellit: eadẽq. media se se collocat. idem in alijs licet intueri. Neq; numerus perfectus solius virtutis symbolum gerit, immo vero omnis prorsus perfectionis. adeo in singulis est mediocritas, quæ seruat & restituit; sed excessus & defectus corrumpunt. sic corporis pulchritudo in concinna partium ad totam summam respondentia, vt neque corporis partes modum supergrediantur, neque ab eo absint, consistere dignoscitur: quæ profecto certa est membrorum symmetria, et commensuratio.

Ethic. li. 3. cap. 8.

mensuratio. Est item perfectus numerus totius harmoniæ symbolum. nam, quę harmoniam statuunt & in se concludunt, in quadam æquitate, necnon rata concinnaq; proportione respondeant, est operæpretium. Nec omittendum vniuersos perfecti numeri multiplices, abundantes esse: omnes autem submultiplices diminutos, vt ternarius subduplus senarij, diminutus est. nam & primus, cuius pars sola vnitas. Deficit igitur ternarius a perfectione, binario. Senarij autem dnplus est duodenarius abundans, cuius omnes partes sunt 1, 2, 3, 4, 6. quæ simul sumtæ, constituunt 16. Abundat igitur duodenarius quaternario, binarij duplo.

Submultiplex,	Aequale,	Multiplex.
3	6	12
1	6	16
2	0	4
Defectus	ad	Abundantiam.

Dupla proportio.

Rursus numeri 28, subduplex est 14. quaternario diminutus, deficiens a perfectione. eius enim partes 1, 2, 7. simul positæ, denarium constituunt, quem decimus quartus transcendit quaternario. At duplum numeri 28. est 56. cuius omnes partes 1, 2, 4, 7, 8, 14, 28. simul sumtæ, conficiunt 64. qui numerum 56. transcendit octonario, quaternarij duplo. id quod de ceteris censeas opus est.

qua-



14 ---------- dupla ----------	28 ---------- dupla ----------	56
10	28	64
4	0	8
Dimidium,	*Totum,*	*Duplum,*
Diminutum,	*Perfectum,*	*Abundans,*
Extremum,	*Medium,*	*Extremum,*
Minus,	*Aequale,*	*Maius,*
Vitium,	*Virtus,*	*Vitium,*
Malum,	*Bonum,*	*Malum.*

Numerus igitur perfectus medius exsistit inter abundantem, & diminutum geometrica medietate, quod arithmetica medietas in minoribus quidem terminis maiorem obtineat proportionem; in maioribus autem, minorem: harmonica contra, in maioribus numeris, maiorem; in minoribus, minorem. At geometrica vtpote inter vtrãque media, & in maioribus, & in minoribus semper æqualem continet proportionem. Quo fit, vt geometricam medietatem maxime virtuti competere conspiciamus. Virtus. n. id sibi proprium ac peculiare adsciscit, vt inter plus & minus propria gaudeat æquitate, in neutrumq. deflectat latus; sic sane neq; plus habens excedit, neq; minus habens in defectum prolabitur. quod quidem et geometricæ competit medietati. nam inter terminos parte vna ad excessum prolapsos (quippe qui maiorem habeant differentiam parte altera ad defectum, quod contra minorem sortiti sunt differentiam) suam virtutis instar obseruat rationum ac proportionum æquitatẽ, in neutrum procumbens latus. Conspicis itaque perfectum nume-

rum

rum omni ex parte medium inter abundantem, & diminutum. atque adeo quod ad ipsum non pertingit, diminutum est; quod contra supergreditur, abundat. Illud autem ad perfectorum commendationē effertur maxime, quod eos admodum raros reperias, quippe qui paucissimi sint, & nimis constanti ordine procreati; at vero superfluos ac diminutos longe multos, infinitosque reperias, nec vllis dispositos ordinibus, & a nullo certo fine generatos. adeo perfecti regium sibi vendicant honorem summo imperij fastigio considentes. quanto.n.quidpiam rarius, tanto illud honorabilius, melius, ac præstantius censetur. Hi quippe adeo sunt infrequentes ac rari, vt in vnaquaque vnitate nisi vnus occurrat perfectus: sed & quædam sedes perfecti numeri honore destitutæ, orbatæq. ingemiscunt. prima enim vnitas, quæ vsque ad 10. se extendit, vnius tantum senarij primi perfecti regijs insignitur honoribus. secundæ numerorum sedi, quæ a 10. ad 100. porrigitur, perfectus secundus imperat 28. in tertia a 100. ad vsque 1000. tertius perfectus præsidet 496. quartæ regionis imperiū, quæ a 1000. ad 10000. progreditur, quartus perfectus 8128. administrat solus. quinta, quæ a 10000. ad 100000. excrescit, regij decoris est expers. sexta rursum, septima, octaua, nona, ac decima numerorum sedes singulæ vnico tantum perfecto reguntur. vndecima vero pari quo quinta modo perfecti numeri honore destituitur. Omnis igitur perfectus in sua sede vnitatis est vnicus ac solus, immultiplicabilis, impatiens consortis, vt qui sua præsentia regionem propriam ac sedem occupat totam. Et sicut vnicus est in Orbe Sol; ita & quæuis numerorum vnitas vno tantum honoratur perfecto. Nulla autem sedes duorum est capax: sed & quasdam (vt ante docuimus) regiones, sedes, & mansiones illud regium perfectionis fastigium repudiat ac dedignatur.

Per-

Perfecti vſque ad notas 28.

1	6
2	28
3	496
4	8128
5	
6	130816
7	2096128
8	33550336
9	536854528
10	8589869056
11	
12	137438691328
13	2199022206976
14	35184367894528
15	562949936644096
16	9007199187632128
17	
18	144115187807420416
19	2305843008139952128
20	36893488143124135936
21	590295810341525782528
22	9444732965670570950656
23	
24	1511157274515537689313 28
25	24178516392281588377784576
26	386856262276637355440865 28
27	6189700196426725452635176 96
28	99035203142829718304488161 28

Non longe igitur a virtute abeſt talis perfectorum raritas. Vera enim illa ſententia Biantis, qua illum vſum fuiſſe Laertius refert:

fert: τοὺς πλείστους εἶναι κακοὺς, id est, plures esse malos. Et Cicero verissime ait: Deteriorum magna natio est, boni vero singulares. Huc duo respiciunt fratres Esau. s. figurans reprobos, & Iahacob electos. nam populus vitijs deditus appellatur maior, & priorem in nascendo locum occupat: alter vero qui ad virtutis studium fertur, minor vocatur, posterioremq; natiuitatis sortem tenet, quia malorum hominum copia vbiuis gentium ingens est, & in omnibus sibi principatum ac primas vendicat; bonorum vero mira raritas, & malis vbique cedere cogitur. Et hoc fit vitio fomitis vt quisque ad vitia propensior sit, quam ad virtutes, & citius bonorum hominum multitudo ab vno vitioso in deterius pellicetur, quam ingens malorum caterua ab vno studioso ad meliorem frugi reuocari possit. Hæc humani generis tam mira in vitia propensio in caussa est, vt malorum plena sint omnia, vt vix decimus quisque ad virtutis studium incumbat. malorum frequentiam, & multitudinem, his versibus testatur Poeta Satyricus.

Iuuen. Sat. 13.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
Thebarum portæ, vel diuitis hostia Nili.

Iam vero & Plautus: Mores (inquit) boni sunt intermortui; mores vero mali, quasi herba irrigua succreuerunt vberrime. Scribit Lucianus, bonos & integros homines inuentu difficiles esse. i. Boni possessio est, quæ haud facile inueniri potest, vt quæ iamdudũ e vita concesserit, adeo obscura atque pusilla, vt illam vel Lynceus vix dum inueniat. sunt enim boni perpauci. Ita sane bonum solistimum; malum vero infinitum. nam difficile propemodum est pulchrum, & honestum, quod latet inuenire, cum sudor ante virtutem sit positus, sicut quidam e priscis testatur:

Lucian. in Timone.

Angustum collem tenuis quo semita ducit
Ipsa colit virtus magno stipata labore
Sic voluere Dei, sed summo in vertice montis
Planicies ignota manet, tutiq; receptus.

Hesiod.

Angustam esse portam ducentem ad vitam Christus his verbis indicat : Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ dicit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta uia est, quæ ducit ad uitam, et pauci sunt qui inueniunt eam. Et rursus: Multi sunt vocati, pauci vero electi. His Christi verbis simile est quod Virgilius canit.

Matth. 7 Luc. 13. Matt. 22.

Aeneid. lib. 6.

------facilis descensus Auerni,
Noctes atq; dies, patet atri ianua Ditis.
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad oras,
Hoc opus, hic labor est, pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

Hinc & Prodici Cei proficiscitur fabula de virtute & vitio. Et Pythagoras iubens ingredi via regia, non veretur prohibere sequi vulgi sententiam, quæ caret iudicio, & non est sine controuersia. Qui ambulat in via regia, non laborat. de hac via per Moysen præcipit Deus: Via regia ambulabis, et non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. et alibi legitur: Nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabimus, via regia gradiemur. in vtraq;.n. parte quidquid supramodum est, in vitio est. Apud Euangelium secundum Iohan. dicit Christus: Ego sum via, veritas, & vita. Vna igitur veritas, vna via est veritatis; multæ vero mendaciorum, per quas Hierusalē arguitur ambulasse, dicente Domino apud Esaiam: In multitudine viæ tuæ laborasti. Porro via regia cum vna sit, temperata est, nec plus in se habens, nec minus. Via recta prudentia est. ille declinat ad dextram, qui plus sapit, quam oportet sapere, & pro prudentia calliditatem diligit, quia serpens prudentior erat omnibus bestijs in paradiso: & filij tenebrarum prudentiores sunt filijs lucis. Scite enim per quendam Sapientem dicitur:

Deut. 5. Num. 20 Iohā. 14. Cap. 57. Cap. 3.

Eccles. 7

Esse nimis iustus, prudens nimis esse caueto:
Omnia summa nocent, sed moderata iuuant.

Ad sinistram quoque diuertit, quando stultus est, & minus sapit,

sapit, quam necesse est. Pietas etiam, & vera religio via regia est. declinat ad dexteram qui superstitiosus est; ad sinistram, qui negligit cultum Dei. Liberalitas quoque, & dispensatio virtus maxima est, a qua declinat ad dexteram, qui parcus est, & non solum alijs, sed ne quidem sibi tribuit, quod necesse est; ad sinistram, qui comedit substantiam suam cum meretricibus, & dicit cum Israel: Manducemus & bibamus; cras enim moriemur. Fortitudo etiam atque constantia via regia est, a qua ad dexteram declinat, qui temerarius est, ac pertinax; ad sinistram, qui formidolosus, & pauidus est. Vnde Propheta regius per viam rectam ingredi cupiens, his verbis Deum deprecatur: Deduc me domine in via recta. Sed iam scrutemur cetera. Omnes perfecti numeri alternatim 6. & 28. finiuntur, & terminantur, quod ex pariter pare quaternario finito, in imparem septenarium, vel ex pariter pare senario finito, in imparem vnitate finitum coalescant. Nam pariter par quaternario finiens, in imparem primum septenario finitum ductus, numerum perfectum gignit, 28 desinentem. qui vero in senarium desinit pariter par, ductus in imparem primum vnitate finitum, senario finientem perfectum numerum procreat.

Esa. 22.

Psal. 138

4	ducta	7	producunt	28
6		1		6

Disposita igitur progressione pariter parium ab vnitate, praecedentibus sequentes coaceruando, qui pariter par senario vel quaternario finitus, ductus fuerit in coaceruatorum maximum, perfectum procreabit. Et si quotcumque numeri ab vnitate dupli in vnum colligantur, donec compositus sit numerus primus, erit numerus factus ex illo primo in vltimum duplorum perfectus, vt habetur vltima noni Euclidis.

Pariter pares, siue ab vnitate dupli	1	2	4	8	16	32	64	128	256
Impares ex coaceruatione product	1	3	7	15	31	63	127	255	511
Perfecti.	1	6	28	----	496	----	8128	-----	130816

Primo igitur dispositi pariter pares, qui coaceruati restituunt impares, & hi medio loco positi, & qui horum ductu producuntur. (nam perfecti) tertio ordine sunt collocati. Primo, quod Vnitas sit incōposita, in se ducenda est, & exsurgit unitas; deinde ex coaceruatione unitatis, & binarij, surgit 3 qui primus est incompositus, in quo ducendus binarius aceruatorum maximus, & producitur 6. perfectus. Inde priori 3. adiungitur 4 et surgūt 7. in quæ ductus quaternarius 28 procreatur secundus actu perfectus. & ita deinceps. Hac etiam ratione poteris singulos perfectos numeros cōponere ex progressione pariter parium, vt nullus omnino prętermittatur, hoc scilicet modo.

4. 8. | 16. 32. | 64. 128. | 256. 152. &c.

Vides quemlibet terminum habere socium. A maiore igitur inter duos combinatos, subtrahe vnitatem, & residuum multiplica per minorem, tunc semper habebis perfectum numerum.

4	Multiplica per	7	producunt	28
16		31		496
64		127		8128
256		511		130816

Prop. 23. *Huiusmodi Theorema ponit Bouillus lib. de Numeris perfectis, dicens. A quolibet pariter pari binario, octonarioq. finito, demta vnitas numerum imparem primum relinquit, vnitate, septenarioq. finitum, in quem ducta pariter paris medietas. numerum perfectum gignit, qui in senarium, aut octonarium desinit. Sed de hoc satis.*

Numeri 28. de quo nobis agitur sermo, exiguus est vsus in sacris litteris, quod eo significetur summa perfectio, non solum eo quod partibus suis consistat, verum etiam magis propter sacramentum septiformis gratiæ, & euangelicæ doctrinæ. Nam septenario quater ducto, in hanc perfectionis summam excrescit. Nulli

Ex Bernone Augien.

vero

vero dubium quin septem ad Spiritũ sanctum, quattuor vero pertineant ad Euangelium. quia propter septiformem gratiam Sancti spiritus prædicatur Euangelium per quattuor plagas Mũdi. Prętereà si ab vno vsq; ad septem omnes in ordine numeros pleno ordine numeraueris, Viginti octo complebis. Quia ergo in partibus septenarij, Vicesimus octauus inuenitur numerus, merito in eo cortinarum tabernaculi longitudo continetur. quia fides Sãctorum & patientia virtutum varietate distincta, in omnibus quæ agit aut patitur, non humani gloriam fauoris; sed supernæ quietis exspectat beatitudinem. Hinc est quod Vigesimus octauus Psalmus de consummatione tabernaculi scribitur, qui de perfectione Ecclesiæ cantatur, vnde: Adorate Dominum in atrio sancto eius & c. & in tẽplo eius dicent gloriam. quia in hoc perfectio est peregrinantis Ecclesiæ, vt per fidem, & opera bona, ad requiem tendat.

Exhod. 26. & 36. Beda.

DE NVMERO XXX.

De Tricenario dicturus, illud præmittendum, quod prisci Magi per manuum, & digitorum varios inflexus, & reflexus repræsentabant numeros, quorum gesticulatione ineffabilium virtutum vocabula, sono ignota, numeris varia, iugatis alternatisq; digitis tacite inclamabant; venerabanturq. sacro silentio Mundi præsules Deos. Eius ritus meminit Martianus Capella lib. de Arithmetica, dicens: Digiti vero virginis recursantes, & quadam incomprehensæ mobilitatis scaturigine vermiculati, quæ mox ingressa septingentos decem & septem numeros cõplicatis digitis Iouem salutabunda surrexit. Tum philosophia, vt Tritonidem propter adstabat, quid numero tali arithmetica intulisset, exquirit. cui Pallas: Proprio Iouem nomine salutauit. Apuleius in secunda defensione Magiæ: Si Triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro cõputationis gestu errasse;

Secunda Apolog.

quos circulare debueris, digitos aperuisse: cum vero quadraginta, quæ facilius ceteris porrecta palma significantur, ea quadraginta tu dimidio auges; non potes digitorum gestu errasse, nisi forte triginta annorum Pudentillam ratus, binos cuiusq. anni Consules numerasti. Vide etiam Plinium lib. 24. de Iano a Numa dicato; & Plutarchum de Artaxerse. Patet igitur istius computationis cognitionem ad pleraq; veterum intelligenda necessariam. Eam descripsit Ven. Beda. & quidquid huius est, id Bedæ vniuersum debemus. A Beda desumsit Fr. Lucas a S. Sepul. Ipse autem diuinæ interpres historiæ Hieronymus in Euangelicæ tractatu sententiæ, huius disciplinæ adiumentum assumere non dubitauit. Cum igitur Magi dicunt 30. vngues indicis, & pollicis læuæ blando amplexu coniungunt. Hæc.n. digitorum coniunctio, quasi molli osculo se complexans, & fœderans, maritum pingit & coniugem. Adsentiunt tum Philosophi, tum Theologi, qui in parabola sementis Tricenarium fructum nuptijs contribuunt, asserentes hanc ætatem, hominis ostendere perfectionem. nam vigentis ætas ex Heracliti sententia, Trigesimus est annus, quia tanto tempore natum genitor gignentem præbet. Comprobat hanc sententiam Hesiodicum illud libri secundi eius operis quod inscribitur Opera, & dies:

cap. 7. — In Iouin. — Hier. in Matt. 35. — Matt. 13. — Plutar. de Oraculorum defectu.

Aetate matura vxorem domum ducito,
Neq; multo maiorem natu Triginta annis,
Neq; multo minorem. Istæ.n. tempestiuæ sunt nuptiæ.

Huic etiam concinit quod ab Aetio Amideno Medico traditum est Tetrabib. 4. Sermone 4. cap. 26. Aetatem vel iuniorem vel prouectiorem conceptionem impedire. Ideoque primum pubescentes a Venere prohiberi debere. ita vt vir Trigesimum annum attingat. Subscribere videtur, & Plato lib. de Repub. quinto vbi ait: Moderatum adulti roboris tempus est viro annus Trigesimus. postquã s. acutissimum sui cursus vigorem transierit. Item alibi: Nuptiarũ tempus masculi sit a Trigesimo ad trigesimum quintum. Magistratus tempus vltra Trigesimum annum. tantum ille. Profecto

Plato de leg. lib. 4 & 5.

ad ma-

ad magnarum rerum gubernationem requiritur sapientia, multarum quoque rerum experientia, quas duntaxat in annosis licet inuenire. Maxima sane pœna & supplicium est, cum Ciuitati adolescentes præsunt. Iuuentus .n. leuis est, & ad mala propensa, atque procliuis; libido indomita, ira immanis, insolentia, & contumelia, superbia, & animus inflatus, propriæ sunt iuuentutis perturbationes: inuidia præterea in rem, quæ excellit, suspicio aduersus suos, sexcentorum denique malorum aceruus iuuentuti est adiunctus. Quorum omnium participes esse necesse est eos, qui ab illis reguntur. quoniam Principum mala calamitatem afferre solent his, qui in eorũ ditione, ac imperio sunt. Quare cum Dominus apud Esaiã se persecuturum Hebræorũ scelera testaretur; Dabo (inquit) Principes eorum pueros. Et Eccles. cap. 10. Væ tibi terra, cuius Rex puer est. Quasi a puerorũ imperio sint vniuersa mala attendenda. Quod quidem exemplo certe comprobatum legimus lib. 3. Regum. mortuo .n. sapientissimo Salomone postularunt Israelitæ a Roboam, qui in regno patri successerat, vt grauissima patris sui onera remitteret; is vero tertio die, vt pollicitus fuerat, reiecto seniorum consilio prudentiæ, & lenitatis pleno, dure respondens ex iuuenum sententia, quibuscum fuerat educatus, abnuit populi rogatis, minasq. insuper addidit, dicens: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro; Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus. Quo circa factum est, vt decem statim ex duodecim tribubus ab eo desciscerẽt, aliumq. Regem sibi constituerent, tantum effecit iuuenilis animi impudens consilium. Accedat huc Marius Marij Arpinatis filius, qui viginti natus annos consulatum inuasit, quem honorem tam immaturum mater fleuisse traditur. huius Marij interfecti caput ad Syllam missum est, & in medio fori ante rostra appensum: Romana iuuentus hunc Marium sic irrisit: Remigem esse prius opportere, quam ad gubernacula dimouere manus. Hinc etiam mala, quæ ante euersionem Hierusalem extitere profecta sunt, cum inter se iuuenes concurrendo seditionesq;

Cap. 3.

Cap. 12.

ditionesq. excitãdo, seditionibus ac cædibus Ciuitatẽ repleuissent, neque vellent, etiam si mœnia eorũ iam hostes cinxerant, ad necessariam concordiam redire; sed de rebus nullius precij concertantes, vrbe iam capta, mœnibus dirutis, hostibus vrbem ingreßis, de ambitione & principatu inter se contendebant; & hæc paßi sunt, eo q. seniore & sapienti consultore priuati essent, quodq. ipsis iuuenes præessent. Inde etiam a Romanis lege cautum erat, ne quispiam ante Trigesimum ætatis annum, aut consul efficeretur, aut triumphum duceret. Etiam apud Hebræorum Rabinos traditione cautum fuit, ne quis vnquam auderet exordium lib. Genes. vel Canticum Canticorum, primaq. octo capita Ezech. propter arcanos sensus, legere, nisi Trigesimum ætatis annum impleuisset; neque Leuitam, qui procedit ad ministerium, vt faciat opera in tabernaculo testimonij, lex Moysis secundum Hebraicam lectionem admitti permittit, nisi Trigesimum ætatis numerum in annis non consummauerit. quod Triginta annorũ ætas iam posito adolescentiæ feruore, virilem assumens prudentiam atque constantiam, accommoda sit ad prēclara officia, vt administrationem populi, propheticam denuntiationẽ, aut verbi diuini seminationem aggrediendam. Proinde Ioseph Tricenarius ablutis ergastuli sordibus, gubernacula suscepit regni, vt primum & quadragesimum Genes. caput refert. David etiamnum puer opilio, Iudaici populi Rex a Deo destinatus erat, sacro ceromate gentis illius more delibutus; sed sacrum Regni sceptrum, quod septuagenarius, hoc est, perpetua quiete dignus, compleret, nõ prius attigit, quam Triginta natus annos. Ezechiel anno Tricesimo, videns visiones Domini, iuxta fluuium Chobar, prophetiæ dona promeruit, vt ipse primo cap. testatur, quem locũ exponens Gregorius Pontifex: Vt ostendatur (inquit) cuius auctoritatis sit Ezechiel in prędicatione, ætatis solidæ fuisse describitur. Hoc quippe regulare est omnibus Prophetis. Nec contra hæc quispiam mouere debet, quod Ieremias, & Daniel prophetię spiritum adhuc pueri perceperint, quia miracula in exemplum operationis trahenda nequaquã sunt

Origenes in Cantic. cant. Epist. 23 ad Theophilũ, & ĩ Ezech. ca. 11. & c. 46. Num. 4. 8

2. Reg. 5.

Greg. in Ezech.

Beda in Luc. lib. 2. c. 10.

ſunt. Omnipotens enim Deus,& linguas infantium facit diſertas, & ex ore infantium et lactentium perficit laudem. aliud ſi quidem eſt, quod nos doctrinę diſcimus vſu; aliud quod de miraculo ſcimus. Porro quis vnquam in hunc Mũdum ſanctior prodijt Iohanne Baptiſta? neque hic tamen delegatam ſibi a Deo prouinciam obire ſuſtinuit, niſi eoſdem cum Chriſto ſuo impleſſet ætatis annos. tunc.n. in deſerto incepit prędicare Baptiſmum pœnitentię, & Domini præparare vias, vt annorum maturitas, & virile decus barba, officio auctoritatem conciliaret. Chriſtus.n. Deus & Homo, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientię abſconditi, & qui ab initio quo Hominem induit, magno omnium hominum ſtupore, ſumma quæque miracula edere potuiſſet; deſtitit tamen, donec Trigeſimus appeteret annus, & tunc incępit ſigna facere, & docere; nec prius inclaruit, atque in hominum lucem prodijt, quam hunc ætatis annum attigiſſet, legitimum.ſ.& maturum tempus oſtendens ętatis his, qui omne tempus, atque oẽm ætatem, vel ad ſacerdotium, vel ad docendum putant opportunum. qui etiam duodecimo ſuæ ætatis anno in medio Doctorum ſedens in Templo, non docens, ſed interrogans voluit inueniri. Vt.n. non auderent homines in infirma ætate prædicare, ille duodennis interrogat homines in terra, qui per Diuinitatem ſuam ſemper Angelos docet in cęlo. Quare etiam in Canonicis Decretis mulieri Monialiũ curam gerenti, quę Abbatiſſa dicitur, pręſtituti ſunt anni Triginta, vt habetur.c.indemnitatibus, de Elect. in 6. Sed & de ętate promouendi ad ſacerdotium diſt.51. qui in aliquo. & diſt.77.cap.Ep̃s, legitur: Presbyterum vel Ep̃m ante Triginta annorũ ſpacium.i.antequam ad perfecti viri ętatem perueniant, nullus Metropolitanorum ordinare pręſumat. Etiam de Elect.cum in cunctis.§.1.& diſtin.78.c.presbyter. Presbyter ante 30. annorum ętatem non ordinetur, ſed obſeruetur vſque ad pręfinitum tempus. Dominus.n. Triceſimo anno ad fluuium veniens Iordanis, baptizatus eſt, et tunc prędicauit. Prędictas Trigenarij dignitates & commendationes conſtringit Caſſiod. in dilucidatione

Psal. 8.

Matth. 3

Luc. 3.

Hieron. de Epiphania Dñi.

Luc. 2.

Trige-

Trigesimi Psalmi, dicens: Numerusquoq; Psalmi, erectę supputationis culmen ostendit. pręmia quoq; fideli coniugio compromittit. vt cum se anima huic prædicationi beata conuersatione sociauerit, Trigenaria remuneratione ditescat. Huic etiam numero, & alia sacramenta conueniunt. Triginta siquidem annorum Ioseph, Dominus legitur in Aegypto constitutus: Triginta etiã annorum Saluator noster, uitale Baptisma intinctus aquis Iordanicis cõsecrauit. Hæc Cassiodorus. Potest autem baptizati Seruatoris nostri Tricennalis ætas etiam nostri Baptismatis intimare mysterium propter fidem Sanctæ Trinitatis, & Decalogi legalis operationem, qui quidem Decalogus, reuelata fidei gratia, quo sublimius intelligitur, eo & deuotius impletur. Quasi.n.quoddam sacrosanctum triennij tempus baptizandos habere docuit, qui dixit: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quasi hoc idem triennium per decem multiplicari præcepit, cum subiunxit: Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis. In huius quippe figuram mare æneum in quo Sacerdotes lauabantur Templum ingressuri, & Triginta cubitorum funiculo circum exterius, & intus 3000. metretas capere potuisse, narratur; quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Cui mysterio suffragatur quod Apostoli percepta Spiritus sancti gratia, primo animarum tria millia baptizant. Tricenarius igitur significat integritatem fidei cum perfectione boni operis, sine qua fides mortua est; vel est spes, & desiderium seculi venturi. Quia in ternario triplex spes signatur, de venia, de gratia, & de gloria. in denario autem addito, adimpletio Decalogi, vt.s.adsit nobis impletio Decalogi sub spe predicta triplici; alioqui spes absque meritis, vel operibus bonis haud esset vera, sed presumtio. Et quia per fidẽ & aduersa lõganimiter ferri, & sublimiter debent sperari pręmia, Arcę, vel etiam Templi altitudo Triginta cubitis mensuratur. Bene (inquit Beda) in altitudine sunt Triginta cubiti, quia oĩs Electorum spes ad visionem sanctę Trinitatis, quantum ualet se exer

Matt. 28
Ibidem.
3. Reg. 7.
2. Par. 4.
Rom. 10
Act. 2.
Origenes ĩ Genes. homil. 3.
Gen. 6.
3. Reg. 6
7.
Beda in Lucã li. 1. c. 10.
Num. 7.

cendo, & purificando preparat. Tria igitur ad celsitudinem spei pertinent, & hæc per denarium, qui perfectus est numerus, multiplicantur, vt multiplex eiusdem perfectionis augmentum figurare denuntietur. Notandum autem quod Triginta cubiti altitudinis templi, non vsq; ad supremum eius fastigium, sed vsq; ad laquearia pertingebãt; Deinde ad laquearia medij coenaculi alij Triginta cubita altitudinis assurgebant. Porro tertium coenaculum, quod supererat, bis Triginta cubitos habebat in altitudine. quo fit vt omnis altitudo domus, in centum viginti cubitos extenderetur. Prima igitur domus, Triginta cubitis in altitudine surgit, quia præsens Ecclesia ad videndam speciem sanctæ Trinitatis, tota intentione suspenditur. Superior domus Triginta æque cubitis in altum surgit, quia solutæ corporibus animæ perfectorum, vsque ad diem vniuersalis iudicij, eiusdem beatæ, & indiuiduæ Trinitatis præsenti visione fruuntur. Suprema domus bis Tricenis alta est cubitis, quia resuscitati a mortuis omnes Electi, in contemplatione eiusdem sui Conditoris, qui in tribus personis vnus est Deus, ęterna spiritus simul, et carnis immortalitate gaudebunt. Hactenus Beda. Acetabulum argenteum ponderis centum & 30. siclorum, qui numerus ex vnitate centena, & ternario deceno consistit, nil aliud significat, quam vnius Dei, triumq; personarum fidẽ. Propter Triginta iustos parcit Deus Sodomis, hoc est, propter seruantes legem cum fide Trinitatis. Ad hos referuntur Triginta camœli fœtę. Numerati Leuitę a Triginta annis, & supra, interprete Origene designant perfectos ad opera Dei. Triginta viri recumbentes cum Samuele, significant habentes fidem, quę per dilectionem operatur. Iair Galaadites iudex strenuus, Triginta filios, super Triginta pullos asinarum sedentes habuisse legitur, nostrum ducem IESV Christum significans, qui sedens super pullum asinę, triplicatum decalogum suis sequacibus in fide sanctæ Trinitatis excolendum, & tenendum quasi filijs suis commendauit, per quem carnis petulantiam refrenarent, & in ea ad statum vitę se diri-

Gen. 18.

Gen. 32.

1. Reg. 9.

Iudic. 10

Luc. 19.

dirigerent. Abeßan quoq; de Bethlehem, eiusdem numeri Tricenarium in filijs & filiabus ostendit, filijs vxores, filiabus maritos eiusdem numeri prospiciens, & in domum suam vxoratos filios, & maritatas filias simul introducens. Christum in hoc duce, doctores Ecclesiæ in filijs, plebem in filiabus aduerte; fide, spe, & charitate, omnes introductos per ducem suum in domum Ecclesiæ. Illud etiam ad huius numeri proprietatem notandum, quia custodientibus diuina mandata lex Moysis Triginta ponit benedictiones. sic. n. eas numero inuenies vnamquamq; benedictionem ab alia seiūgens. Cū autem Legislator duos montes pro æqua portione discretos, alterum tribuerit benedicentibus, alterum execrantibus, Phylarchas vtrobique præficiens, insinuauit benedictiones, & maledictiones esse numeros pares, atq; etiam honore propemodum, si dicere fas est. Similiter. n. laudes bonorum prosunt, & malorum vituperia, quandoquidem rerum malarum fuga, & bonarum optio similes a prudentibus iudicantur. Quare in Deuteronomio Triginta numerantur maledictiones. Sed & Psalmo octauo supra centesimum, Triginta maledictiones sunt, tam in eum qui Christum vendidit, scilicet Iudam proditorem suum, quam in eos qui emerunt, quarum prima est: Constitue super eum peccatorem; extrema: Operiantur velut diploide cōfusione sua. Alia hic sese præbet obuiam ipsius Tricenarij commendatio, vtputa quod precium proditionis ipsi traditori a Iudæis constitutum summa sua comprehendit, quo traditus est in manus peccatorū, & appreciatus Dominus noster omni precio pecuniario, dignior, superior, & preciosior. Nempe vt Mattheus Euangelista meminit, constituerunt Scribæ & Pharisæi ipsi Iudæ proditori Triginta argenteos, infelicem illi pecuniam, quam postea pœnitentia ductus integram reddidit, & simul animā atq; corpus miserabiliter perdidit. Vt eius exemplo, cognoscantur semper tristes, et infausti esse cæcæ cupiditatis pecuniæ exitus. Quoties autem nobis in mentem venit, aut nominatur numerus ipse Tricenarius, animum nostrum simul subire debet iniustum illud precium

Iudic. 12.
Genit. 26.
Deut. 28.
Deut. 27.
Isychius
Philo Alexand.
Lib. de hærede diuin.
Cap. 28.
Beda in Act. c. 1.
[illegible]

eo designatum numero, quo traditus est Dominus noster in manus iniquorum, vt nos eriperet de potestate tenebrarum. Atque ea crediderim ratione factum, vt cum vulgari, atq; quotidiana supputatione ad Tricenarium peruenitur, hic numerus non nisi cum Dei inuocatione, atq; laude nominetur. Prædixerat quidem multo ante Zacharias prophetico oraculo hanc sanguinis iusti tradendi mercedem; cum capite vndecimo, inquit: Appenderunt mercedem meam Triginta argenteos. Præfigurauerat etiamnum hanc Christi venditionem innocens Ioseph, de quo hæc scribit D. Ambrosius capite decimo octauo libri de Spiritu sancto: Duo quæ præstantiora sunt omnibus Iudæa violauit, fidem atque pietatem; sed in vtroque Christum fidei, & pietatis auctorem. Nam & in Patriarcha Ioseph typus Christi fuit, & in veritate sui corporis. Christus, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed formam serui accepit, propter lapsus videlicet nostros suscipiens seruitutem, nec refugiens passionem, alibi viginti aureis emitur, alibi Triginta. Quomodo enim poterat verum eius precium comprehendi, cuius non potest meritum definiri? Erratur in precio, quia erratur in studio. Viginti aureis in veteri testamento venditur; Triginta in Euangelio. Preciosior enim typo, veritas; largior gratia, quam disciplina; opimior lege, præsentia. Viginti aureis emunt Hismaelitæ; Triginta Iudæi. Nec hic figura mediocris. Ad sacrilegium perfidi, largioresque ad salutem fideles sunt. Vtriusque tamen contractus considerari conuenit qualitatem. Viginti aurei precium seruitutis, Triginta aurei crucis sunt. Denique non ociose Iudas Scarioth vnguentum illud 300. denarijs æstimauit, quod vtique ipsius precij definitione crucem videretur Domini declarare. Vnde & Dominus ait: Hæc enim mittens hoc vnguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit. Venditio igitur Christi mysterium continet crucis. Notandum etiam quod tanti sibi ad mortem tradendum emerunt Dominum Iudæi, quanti seruum occisum redimere solent.

Trēta in nome di Dio.

Gen. 37.

Matt. 26.

Ioan. 12.

Matt. 2

Cap. 21. In Exhod.n. præceptum est, vt pro seruo, aut ancilla a boue cornupeta occiso domino serui soluantur Triginta sicli argentei. Itaq; tanti venditus est Dominus omnium, qui pro nobis serui formam accepit, quanti emi solent vulgares serui. Eodem precio Ptolomęus Philadelphus iussit manumitti Iudæos seruos, qui erant in Aegypto, persoluto s precio drachmarum 120. pro singulis capitibus, vt apud Iosephum lib. Antiq. 12. Centum.n. & viginti drachmæ conficiũt Triginta argẽteos, quia argenteus valet quattuor drachmis.

Lib. 1. q. Euág. in Matt. 26. D. Aug. Quod Dominus Triginta argenteis venditus est, significat per Iudam Iudæos iniquos, qui sequentes carnalia, & temporalia, quæ ad quinque sensus pertinent corporis, Christum habere noluerunt. quod quia sexta Mundi ætate defecerunt, sexies quinos eos tamquam precium venditi Domini accepisse significatum est.

Psal. 4. Quo tẽpore talibus insultat Propheta, dicens: Filij hominum vsquequo graues corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium? Et si quinq; ætatibus fuisset aliqua excusatio sequendæ veritatis, vel sextam comprehenderent veritatem, quæ per Dominum Iesum prædicabatur, & demonstrabatur, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei. quod quia noluerunt, habent sexies quinquies impreßam imaginem Principis seculi, & non habent Christum, per quem signatum est in nobis lumen vultus tui

Psal. 4. Domine. Hactenus ille. Inest Tricenario proprietus alia, nam luctui dicatus habetur. Vnde Nicolaus de Lyra dilucidans locum il

Diodor. lib. 2. c. 5 De more Aegyptiorũ in sepeliendis mortuis scribẽs, dicit corpa vngi dies amplius Trigita. Num. 20 13. q. 2. Quia. lum Geneseos cap. quinquagesimo de Ioseph, qui præcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem suum, quibus iussa explentibus transierunt 40. dies. Fleuitq; eum Aegyptus septuaginta diebus &c. tempus septuaginta dierum refert ad Quadraginta dies condimenti, & Triginta fletus. Eodem mysterio Aaron Sacerdotem fato functum planxit Israel humi prostratus Triginta diebus. Atque eius sororem Mariam finientem dies suos, fleuit omnis populus totidem diebus, lacrymis continenter manãtibus. Sed & Moysen Dei amicissimum, luxit vniuersa gens lacrymis de-

fluens

fluens per mensem integrum, accedentibus ad publicum luctum priuatis affectibus; quemadmodum ipse testatur Deuter. capit. 34. Quandoquidem assumendus, & in ipsis stans carceribus, vnde ad celestem metam euolaturus erat, diuinitus afflatus, viuens adhuc prophetauit de seipso tamquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum ac sepultum. Addit Plutarchus Argiuorum institutum fuisse, vt qui familiarium, aut cognatorum quempiam amisissent, statim ab excessu Apollini sacra facerent, Tricesimo post die Mercurio, animas a Cyllenio suscipi putantes. Ad hoc refertur quod libro 34. scribit Liuius, bello Punico secundo post Cannensem cladem ex S. C. decretum ne matronæ vltra Trigesimum diem luctus suos extenderent, vti ab his sacra Cereris peragi possent. Apud Anglos etiam luctus Triginta diebus hodie terminatur. Nec illud hic preterierim quod refert Suidas in voce Triachas. Trigesimum scilicet, id est postremum cuiusque mensis diem, sacrum fuisse defunctis. Hęc illi in tenebris constituti; nos autem quibus diuinæ cognitionis iubar illuxit, Triginta diebus Missam pro defunctis celebrari facimus, vt quidquid in Decalogo legis deliquerint, sanctæ Trinitatis miseratione deleatur. Ambr. de obitu Theodosij. Iohan. de Silua trac. de benefic. par. 1. q. 5. Hugo a S. Vict. lib. de mysterijs, & officijs Eccles. cap. 37. Adhuc cum Tricenarius constet ex duobus quindenarijs, & quindenarius ex septenario confletur, & octonario, per septenarium Patres veteris instrumenti significantur, qui septimum diem, septimam septimanam, septimum mensem, septimum annum celebrabant: per octonarium vero Patres noui Testamenti intelliguntur, qui diem octauum Dominicæ resurrectionis .i. diem dominicum, & octauas reseruant ac celebrant. Per primum autem quindenarium intelligitur præsens vita Patrum vtriusq; Testamenti: per secundum, futura. Referendum videtur quod D. Greg. libro quarto Dialogorum litteris exarauit de quodam monacho nomine lusto vita functo, pro cuius anima idem Gregorius iussit Missas celebrari Triginta

Lib. Problemat. Alexan. Neapol. lib. 3. c. 7. Polydor. Virgi. de de rerũ inuẽt. li. 6. c. 9. Val. Maxi. lib. 1. cap. 1.

Cap. 55.

ginta diebus. Eius orationis cōtextum, & si diffusus est, hic subij cere non piget: Cum (inquit Gregor.) post mortem Iusti monaci, Triginta iam essent dies reuoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, eiusq; cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium quærere. Tūc euocato ad me Precioso monasterij mei præposito, tristis dixi: Diu est quod frater ille qui defunctus est, in igne cruciatur; debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum in quantum possumus, vt eripiatur adiuuare. Vade itaque, ab hodierna die diebus Triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscessit, et dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, atq; dies euolutos non numerantibus, idem frater, qui defunctus fuerat, nocte Trigesima qua pro eo oblatio fuerat fratri suo impleta, germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisiuit dicens; Quid est frater, quomodo es? Cui respondit; Nunc vsq; male fui; sed iam modo bene sum; quia hodie communionem recepi. Hactenus Greg. Qui ergo seruāt Tricesimū, optant mortuis, vt sicut in hac vita fuerunt in fide cum Patribus vtriusq; Testamenti, ita sint cum eis gloriantes æternaliter in futura. Secutus est etiā legislator numerum Tricenarium in luctu captiuarum. Nam si inter captiuas Hebræus formosam mulierem adamasset, voluissetq. habere vxorem, non permittens lex tamquam in serua explere cupidinem, præmissi ei erant 30. dies, vt lugeret patrem, matrem, ac ceteros domesticos, aut mortuos, post quos cum illa, vt cum vxore legitima, congredi poterat. sic.n. habes Deuter. cap. 21. Si exieris ad bellum, & videris mulierem decora facie, & concupieris eam, rades omnes pilos capitis eius, & vngues abscindes, & indues vestimento lugubri, & sedebit lugens patrem, et matrem suam, & post 30. dies erit vxor tua. Eam.n. quæ ascensura est viri cubile, non mercede vt meretrix formā venditans, sed propter quærendos liberos, æquum est ius habere coniugij. Qua in lege multa laudanda sunt;

primo

primo quod non laxat fræna libidini; deinde quod amorem examinat, num mere furiosus fastidiosusq. sit, an aliquid rationis admixtum habeat. ratio.n.cohibet concupiscentiam, ne quid agat insolentius; tertio quod miseratur captiuam, quia si virgo est, parentes ei optatas nuptias non conciliant; quarto, quod ad reprimendam libidinem Triginta dierum numerum elegit. quod sane tempus dicitur plenissimum ad deliberãdum super quolibet negotio. cui adsimile videtur, quod Theodosius Imperator lege sanciuit: vt sententiæ Principum super animaduersione prolatæ, in diem Tricesimum ab executoribus differentur, quo locus misericordiæ, vel si res tulisset, pœnitentiæ, non periret. sed hæc moralis est expositio. nunc allegorice videamus quæ sit hec mulier in bello inuenta, tandẽ post Triginta dies bellantis thalamo digna. Doctor Ecclesiasticus ad bellum egreditur, cum a vitijs, et a diabolica potestate animam eruere conatur. Mulier autem anima est, in gentili conuersatione inuenta, a Deo pulchra creata, quam si Christo sociare voluerimus: deponat cultũ idololatrię, induat vestem luctus & pœnitentię, deploret patrem & matrem.i.memoriam Mũdi, eiusq. carnales illecebras, radat pilos, abscindat ungues.i.omne peccatũ infidelitatis mortuum, & inane. inde post Triginta dies.i. post agnitionem sanctisisimę Trinitatis sponsa Christi efficitur. Sæpe.n.in Patrum antiquorum vxoribus & filiabus Ecclesia designatur, vt quod confœderatione carnalis copulæ dicitur, fructuosius spirituali intelligentia capiatur. Tricesima mansio filiorũ Israel in deserto, bonitas interpretatur, ut cum peruenerimus ad perfectum uirum, in sacerdotalem gradum, & in ętatem plenitudinis Christi, in qua & Ezechiel erat iuxta fluuium Chobar, posimus cum Dauid in Tricesimo Psalmo canere In te Domine speraui, non confundar in æternum. D. Hieronymus in Epitaphio Paulę matris Eustochij: Iuxta Ecclesiarum traditiones, & Apostolum Paulum in virum perfectum, & in ętatẽ plenitudinis Christi resurrecturi sumus, in qua & Adam Iudęi cõditum autumant, & Dominum saluatorem legimus resurrexisse.

11. q. 3. cũ apud.

D. Hier. li. de 42. mansionibus. Ephes.4.

Li.22.15 Hęc Hieronymus. Eadem sententia fuisse videtur August. in ciuit. Diuina, cuius verba, cum notatu digna sint, libet adscribere: Quod commemorauit Apostolus de mensura ętatis plenitudinis Christi, de resurrectione corporum dictum accipiatur, vt nec vltra nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ętate & robore, vsque ad quam Christum hic peruenisse cognouimus. circa Triginta quippe, aut paullo plures annos diffinierunt esse etiam seculi huius doctissimi homines, iuuentutem. Quę cum fuerit spacio proprio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere grauioris ac senilis ætatis, ideo non esse dictum, in mensuram corporis, vel in mensuram staturę. sed in mensuram ętatis plenitudinis Christi.

DE NVMERO XXXII.

Lib. de formatione.

TRicesimum secundum numerum Hebræorũ Rabini sapientiæ adscribunt, quod totidem ab Abrahamo descriptæ fuerint semitæ sapientiæ; ad quarum demonstrationem, in descriptione mũdanæ fabricæ bis triciesq; nomen Elohim reperitur. Ceterum Pythagorici hunc numerum Iustitiam appellarunt, quia semper ad vnitatem diuisibilis est in partes æquales; in æqualitate autem, omnis seruatur Iustitiæ ratio atq; integritas. Aegyptij vero maritalem copulam hoc numero hieroglyphice notabant, siue vt apud Horum Apollonilacum licet videre, maris & feminæ congressum, geminæ inquam voluptatis interuentu. Cum.n. numerus 16. vt alibi diximus, voluptatis, præsertim venereæ, symbolum haberetur; illi mox duo atque triginta nuptiarum hieroglyphicum esse constituerunt. Nuptiæ vero, coniugalisq. coniunctio eodem hic significato accipiuntur. Qui sane congressus vtrique voluptuosus, cum, vt Ouidius diceret, vtrinque resoluat, geminari identidem poscit ipsum voluptatis signum. Atq;

hoc illud est, quod trigesimum ætatis annum, qui non multum abest ab hoc numero, pro maritali copula positum legimus. Ex Medicorum placitis dentium numerus in Homine ad Triginta duos increscit. Inesse vero quædam præsagia hoc dentium numero opinatus est philosophorum princeps Aristoteles (fides sit penes auctorem.) Nam quibus rariores, & hoc numero minores fuerint, non ita diu viuere; qui vero dentium ordine sint præditi numerosiore, esse item vitæ productioris videantur.

Pollux.

Beda lib. de Natiuit. ifant. Hippocrates de morbis. libro 2. sect. 6.

DE NVMERO XXXIII.

VEtus in Leuitico loquitur Testamentum in ortu maris post vnam hebdomadam, & illam quę genuit, & illum qui genitus est, Triginta tres explere dies, vt veniant ad purificationem. Porro si genuerit feminam, duplicem obseruari numerum, idest 66. Et quia, vt veniamus ad Sancta sanctorum, non solum prima indigemus natiuitate; sed et secunda, vt nati in carne renascamur in spiritu: idcirco apud Ezechielẽ latera, quę in circuitu domus erant, & quattuor cubitorum spacio a Templi parietibus separabantur, iuncta sibi erant, ita vt vnum latus aliud latus contingeret, & haberet in longitudine bis Triginta tres cubitos. Non igitur sexaginta sex, sed bis Triginta & triũ ponitur numerus, vt vtraq; natiuitas carnalis.s. & spiritualis Deo auctori debeatur, illiusq. clementiæ, & duplici muro circumeant latera domus, quę Templi fulciunt ędificium. Triginta tres filij egressi de Lia, numerantur in descensu Iahacob in Aegyptum. Triginta tribus annis regnauit David in Hierusalem. Tricenarius quidem tres habet decades, in decade lex, quæ decem præceptis consistit; in ternario triplex animæ profectus accipitur, quæ viuendo, meditando, vel amando legem Dei custodit. De primo dicitur: Laudabo Deum in vita mea. de secundo: Lex tua meditatio

Cap. 12. D. Hier. in ca. 41. Ezechielis.

Cap. 41.

Gen. 46. 2. Reg. 5. 3. Reg. 2. 1. Par. 29 Drogon li. de sacramẽto Dominicæ passionis. Psal. 145 Psal. 118.

Psal. 118 mea est. de tertio: Quomodo dilexi legem tuam Domine. Tres vero, qui super triginta sunt, quosdam contemplatiuorum excellentissimos indicant, qui puritate conscientiæ, plenitudine sapientiæ, perfectione charitatis summæ Trinitati approximant. Hæc autem præclara mysteria insinuat suo calculos numerus tertius supra trigesimum.

DE NVMERO XXXIV.

NOn ignobilis censendus Tricenarius quaternarius. Quemadmodum enim Tricenarius ad sanctum IESV Christi Baptismum; ita numerus, quem dico, ad mysterium ætatis, qua Dominus in carne versatus est refertur. Quãuis.n. de Christi morientis ætate inter celeberrimos, & primos quosque Ecclesiæ Doctores haud modica oborta fuerit cõtrouersia, adeo vt Ireneus lib.2.aduersus hereses capp.39. & 40, asserere minime dubitauerit Christũ vixisse paullo minus quinquaginta annos, propter illud quod Iudæi dixerunt Christo, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Tertullianus item lib. aduersus Iudeos cap.5. Clemens Alex strom.1. Lactantius lib.4.ca.10.& Iulius Africanus lib.5. Annaliũ Christum crucifixum referũt expleto tricesimo suæ ætatis anno, & Imperij Tyberij Cesaris quinto decimo. quibus (vt legimus numero Tricesimo) aßentire videntur Hieronymus, et Augustinus. hæc attamen illorum assertio, quam repugnet consensui historiarum nemo est qui nõ videat. Saluatorem.n. nostrum fuisse natum post primum Consulatum, vel post Triummiratũ Cesaris Aug. anno secundo & quadragesimo, testes idonei sunt Eusebius hist. Ecclesiast. lib.1.c.2. & 12. et Epiphanius in hæresi quinquagesima prima. perspicuum autem est ex Iosepho Antiquit. libro 18. capit. 3. Cæsarem Augustum annos regnasse quinquaginta septem, & menses sex. quibus

Iohã. 18.

quibus si addantur quindecim imperij Tiberij Cæsaris, fient duo & septuaginta, ex quibus detracti quadraginta duo Cæsaris Augusti, remanebit tricenarius numerus annorum Christi baptizati: quemadmodum ex Euangelio Lucę manifestum est, qui ipsum dicit anno decimoquinto imperij Tiberij annorum fuisse triginta, quando Iordanis ablutus vnda, vidit Cælos apertos, & spiritum Dei in columbæ specie venientem super se. Et, vt quoto anno sese pro peccatorum nostrorum expiatione Deo Patri victimam obtulerit, liquido constet, triennio & amplius per Iudæam, Galilæam, & Samariam, cælestem illam & salutiferam doctrinam sparsisse, ex Euangelistis colligitur: ita vt hac ratione ad Tiberij principatus decimum octaum annum perueniamus. Approbantur hæc auctoritate Bedæ hũc in modum loquentis lib. de temporũ ratione cap. 45. Habet (inquit) ni fallor Ecclesiæ fides Dominũ in carne paullo plus quam triginta tribus annis vsq; ad sua tempora passionis vixisse; quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, sicut Euangelista Lucas testatur, et tres semis annos post baptisma prędicauerit, sicut Iohannes in Apocalypsi sua perdocet, Daniel quoq; in suis visionibus prophetice designat, &c. Quod uero Beda allegat Apoc. credo respexisse ad uersiculum cap. duodecimo positum ubi dicit: Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum a Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Cuius versiculi expositionem si te audire delectat, ad tractatum Haimonis recurre, qui inter alia hęc habet: Nam sicut Antichristus mille ducentis sexaginta diebus regnabit; ita & Christus 1260 diebus, id est tribus annis, & dimidio prædicauit. Ideoq; totum pręsens tempus posumus accipere per hunc numerum, a quo diuina prędicatio cępit, in quo, & per nouissimos prædicatores terminabitur. tantum ille. Insinuabit igitur numerus Quartus post tricenarium, qua Dominus ætate sit passus, quauc a mortuis resurrexit. Inde non sine magni significatione mysterij Psalmus Tricesimus quartus, illorum secundus est, qui Domini pasionem,

cap. 12. Dan. 9.

Apoc. 11

Niceph. cal. lib. 1. cap. 27.

& resurrectionem latius intimare noscuntur. Sunt autem Trigintaquattuor, primi duo perfecti numeri, 6 nempe, & 28, simul addicti. ea parte Christus duos implens perfectos numeros, quibus omnis in illo perfectio tum huius vitæ, tum futuræ significatur. Nam senario præsentis vitæ perfectio attribuitur, 28. qui 8. terminatur, vitæ spiritualis et futuræ. Quod si licet audire vndecunque doctissimum Nicolaum de Cusa, Triginta quattuor iubilæis duraturam dicemus ecclesiam militantem, huius mysterij rationem ab eadem desumentes. cum.n. Ecclesia sit sponsa Christi; Christus exemplar, illa imago, ad tempus Christi inspiciendum. at Christus in Euangelio, filius hominis perhibetur, & sabbati. Adeo tempus Christi, tempus est Deo dicatum & sanctificatum. vt in quo diuinorum operum, & temporis vera quies existat. Si itaque diem Christi inspicias, sabbatum est, in quo summa quies; si annum, Iubilæus Domini, annus item sanctificationis. Vixit autem Christus, vt præmisimus, annis Trigintaquattuor, quorum quisq; sanctificationis est annus. Si ergo durationis Ecclesiæ, quæ Christi imago, totidem sumseris iubilæos, habebis Ecclesiæ durationem annorum mille septingentorum. quæ quidem coniectura minime discrepat ab his, quæ Philo Iudæus in historijs refert, Moysen.s. de duratione Mundi Dominum interrogantem, responsi id obtinuiße: Duo semis transierunt, duo semis supersunt. Quo tempora quattuor intimantur. primum a creatione Mundi ad diluuium. secundum a Cataclysmo ad Moysen. tertium a Moyse ad Christum. quartum a Christo ad consummationem. Trium autem primorum quodque Triginta quattuor impletum iubilæis, eatenus conijciendum, vltimum ijsdem impleri. Quod & oraculo Danielis confirmari videtur, apud quem ita legitur: Vsque ad vesperam, et mane dies duo millia trecenti, & mundabitur sanctuarium. pro die accepto anno, vt Ezechieli fuit ostensum, inuenies tempus in coniectura habitum. Anno siquidem tertio, Balthasar fuisse illam visionem, & primo anno Cyri Daniel eodem capite significat. At pro vt illic notat Hie-

ronymus

Marginal notes: Matt. 12. Luc. 6. — 50 / 34 / 1700. — Lib. biblicarũ antiqtatũ. — Dan. 8. — Num. 14 Ezech. 4 Dan. 8.

ronymus ex Iosepho, Cyrus Christum præcessit annis circiter quingentis quinquaginta nouem, quem numerum si a dato 2300. auferas, relinquuntur 1741. numerus a dato 1700. haud admodum discrepans. Conspicis igitur duobus primis perfectis numeris quodque tempus impletum, hisque vniuersorum perfectionem fuisse insinuatam. Nec interim tamen omittendum censuimus, hæc in Diuina mente æternaliter præscita; in nobis non nisi ex coniectura, omnique prorsus remota certitudine, his verbis Domino testante in Euangelio. De die illo. s. extremi iudicij nemo scit, neque Filius hominis, nec Angeli cęlorum; nisi solus Pater. hoc est Deus. De quo loco Hilarius & Augustinus Ecclesiæ sanctæ lumina, plurima & luculenta dixerunt, iudicantes esse nefarium, si illa omnipotēs verbi humanatio aliquod de futuris ignorasse putaretur, quod Patrem scire prædicauit. nam cum Petrus in Euangelio dicat: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. item ipse Dominus dicat: Omnia, quæ Pater habet, mea sunt; Vtique Patris omnia non haberet, si quod Pater noßet, ille nesciret. Sed ita salubriter ac vere credendum esse docuerunt, vt per Metonymiam, idest, transnominationem, quæ in scripturis sacris sæpius inuenitur, intelligi debeat, quod vtiliter suos faciat nescire subiectos. Nam in Genesi ad Abraham Deus dicit: Nunc cognoui quod times Deum, id est, nunc te cognoscere feci. Sic de hoc temporis calculo, dicit: Nescio, idest, nescire vos facio. Vnde interrogatus de ipso articulo, dicit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ posuit Pater in sua ipsius potestate. Non enim dixit: Non est meum, vel vestrum. sed: Non est vestrum scire. vt homines ignorarent, quæ illos non oportebat agnoscere. Eodem mysterio Horam vltimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, quia dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermisione præparemur.

Matt. 24. Mar. 13.

Iohā. 21 Iohā. 16.

Athanasi⁹ cōtra Apollinaré, & disputatione cō tra Ariū. Aug. in expositione fidei Niceni concilij.

Gen. 22.

Act. 1.


DE NVMERO XXXV.

NVnc naturalis ordo numerorũ, nos vocat ad elucidationẽ numeri Trigesimi quinti, quem Pythagoræi dixerũt harmoniã, quod ex his quattuor numeris, 6. 8. 9. 12. sortiatur compositionem, quibus omnes harmonias in se complectitur. Nam 8. ad 6. sesquitertiam habent rationem, quæ est in consonantia Diatessaron. eadem habetur inter 12. ad 9. Inest & sesquialtera ratio inter 9. ad 6. vel etiam inter 12. ad 8. quæ est consonantia Diapente. 12. ad 6 duplam constituunt proportionem, quæ est in harmonia Diapason. Quin & toni proportio est sesquioctaua inter 9. ad 8. Habet etiam hæc numerorum dispositio cunctas proportiones, Arithmeticam quidem ex 6. 9. 12 sicut n. medius terminus primum tribus superat, sic a postremo superatur, & extremorum coniunctio duplex est medio termino. Geometricam quoq; complectitur ex his quattuor 6. 8. 9. 12. quam. n. rationem habent 8. ad 6. eandem 12. ad 9. est autem vtraque proportio sesquitertia; & quod sub extremis continetur, æquũ est ei quod sub vtraq; medietate inter se ducta conficitur. Harmoniaca deniq. consideratur ratio ex his numeris, 6. 8. & 12. Est autem harmonicæ proportionis duplex dijudicatio, vna cum eandem habet rationem numerus ille, quo postremus superat medium, ad numerum, quo primus superatur a medio, quam postremus habet ad primum. cuius rei argumentum ex propositis numeris capi potest, 6. 8. 12. (Quando enim tertius inter extremos est medium arithmeticale, tunc secundus inter eosdem extremos, erit medium harmonicale.) Postremus ad primum duplus est, numerus rursum, qui superat, duplus. duodecim enim superant 8. quaternario; octo autem superant 6. duobus. Quattuor ad duo, dupla. Duodecim rursus & sex simul sumta, conficiunt 18. quæ aucta per 8. restituunt 144. quæ quidem summa dupla est ad eam, quæ extremis

Euclides 20. 7.

12. & 6. inuicem multiplicatis enascitur, nempe 72. Altera est harmonicæ proportionis indagatio, cum medius numerus æquali parte superat extrema, & ab iisdem superatur. octo enim, qui medius est numerus, superat tertia parte primum, quia sublatis sex, remanent duo, tertia pars primi. superatur etiam medius a postremo æqualiter. nam si a duodecim demta fuerint octo, reliqua fiunt quattuor, tertia pars postremi. Cum igitur numerus Trigesimus quintus confletur senario, octonario, nouenario, duodenarioque, ad omnem concentum aptissimis, iure merito a Pythagoræis Harmonia fuit nuncupatus.

Harmonicæ proportiones.




Partes minoris 2 Dupla. 4 *maiorisq. terminorum.*



Dupla.

Ex-


Extremitates iunctæ, & per medium ductæ.



Extremitates multiplicatæ.


Proportionalitas Arithmetica.


Differentiæ



Extremitates iunctæ ad 9. medium, sunt duplæ.

Geometrica proportio.





Mediorum & extremorum 72. multiplicationes.

Habet hic numerus alia suæ nobilitatis indicia, quoniam conflatur ex duobus primis cubis 8. & 27. quorum hic impar, & masculus; ille par est, & femina. Quemadmodum autem ijs numeris animæ Mundi compositionem factam fuisse noster Plato asseuerabat; sic humani partus septē mensium rō sub asciti numeri 35. multiplicatione procedere perhibetur. Hunc enim si multiplicauerit senarius, procreabit 210. qui dierum numerus mensem septimum claudit. Vsqueadeo igitur est natura fecundus hic numerus, vt primam partus humani perfectionem, quasi arbiter quidam maturitatis, absoluat.

DE

DE NVMERO XXXVI.

ACcedamus ad Trigesimumsextum, quem a Pythagoreis appellatum fuisse Mundũ retulit Plutarchus lib. de Iside & Osiride. esse quidem Tetractyn illam, quę tantopere celebratur. i. quaternionem mysticum 36 constantem vnitatibus, per quam Pythagoras iurare solitus erat.

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδέντα τετρακτὺν
Πηδὰν ἀεννας φύσεως.

Ne per nostræ animæ dantem quaternionem
Fontem perennis naturæ.

Conficitur autem Tetractys illa primis quattuor imparibus, 1,3,5,7. et primis paribus 2,4,6,8. in vnam summam collectis. Vt hic. Fxstant huius Numeri proprietates aliæ dictu, cogitatuq. mirandæ. est.n.trium cuborum summa, nimirũ 1, 8, & 27. Primus est etiam, qui nascatur duorum tetragonorum vnius in alterum ductu, quaternarij.s. & nouenarij. nam quater nouem, & nouies quatuor conficiunt 36. quadratum numerum. cum.n.tetragonus tetragonum multiplicat, tetragonus prouenit. Nec solum tetragonus, sed & trigonus simul esse comperitur hic numerus, trigonus.s.ab octonario. hic.n. gignitur si assidui numeri ab vnitate ad octonarium vsque in vnam summam conflentur, 1.2.3.4.5.6.7.8. fit eorum summa 36. Quadratus itidem est senarij omnium perfectissimi. nam sexies sex hunc restituunt. quo fit, vt radix non immerito dici possit vestigandi humani numeri. quemadmodum enim octonarius trigonus est 36. pari filo numerus 666 trigonus erit 36. de quo tale quid sacrum pronunciat eloquium Apoc.cap.13. Hic est sapientia, qui habet intellectum computet numerum bestiæ. numerus enim eius, numerus hominis est: & nu nerus eius sexcenti sexaginta sex. Apta igitur omnes numeros vsque ad 36. & habebis numerum hominis 1.2.3.4.5.6.7.8.

1	2
3	4
5	6
7	8
16	20
36	

9.10.

9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26 27.28.29.30.31.32.33.34.35.36. fiunt omnes 666. Magna igitur censetur dignitas numeri 36. quod vnicum illum e cunctis numeris immensa numerorum series simplicissimarum ac principantium figurarum trigoni, atque tetragoni versicoloratu contexit, Solariq. quodam, Lunariq. congressu illum præ ceteris extulit. Nam triangulus mathematicarum figurarum præcipua simplicissima, & prima, Solem imitatur. quemadmodum.n. a Sole cetera Mundi luminaria mutuato, deriuaticioq. lumine euadunt conspicua, in primis Luna, quæ ampliore facula solarem captat splendorem: ita & cunctę mathematicæ figuræ a trigono promanant, trigoniq. frequentia atq. iteratione gignuntur. Et prior ante omnes quadratus persimilis Lunæ e triangula scatebra emergit, solaq. trigonorũ dualitate profertur, ceteris figuris post triangulum maior atq. insignior. Præterea numerus 36. facit Parallelogrammum alteram dimensionem longiorem habens, ter duodecim, aut quattuor nouies sumtis. proinde expositis numeris laterum tetragoni. s. 6. trigoni 8. & parallelogrammorum altero 9, altero 12, conficientur rationes consonantiarum numero 35. a nobis descriptarum. Neque perfunctorie transeundum est, quod si eidem numero 36. addideris sua ipsius latera, idest 8, & 6. consurget illico quinquagenarius in diuinis scripturis sacratissimus numerus. Denique si eidem numero, quem tractamus, octonarij tetragonum nempe 64. addiderimus, quinquagenarij duplum, idest centesimum conflabis, quem supremæ decadis videbis esse quadratum. His alijsque virtutibus insignitus Tricenarius senarius, commendationem habere meruit apud sanctos Patres. Dominus enim noster factus homo, & in Cruce passus, Triginta sex horis fuit in sepulchro, a vespere scilicet sepulturæ vsque ad diluculum resurrectionis, vno videlicet die, & duabus noctibus. Duodecim vero horæ diei ad vigintiquattuor horas duarum noctium, simplum ad duplum est. Et duodecim quidem horæ, simplæ morti Redemtoris nostri conueniunt;

Gal. de dieb. decre. lib. 3 cap. 2.

Aug. lib. quęst. 65 & de Trinit. lib. 4 c. 3. Beda q̃st. in Gen.

vi-

vigintiquattuor autem nocturnæ ad duplam nostram consentiunt mortem. Mors.n. Domini non fuit in anima, sed in corpore; mors vero nostra nō solum in carne, sed etiam in anima. In anima propter peccatum; in carne propter pœnam peccati. Ille vero, quia peccatum non habuit, in anima non est mortuus, nisi tantum in carne. Et hoc propter similitudinem carnis peccati, quod de Adam traxerat. Igitur simpla eius mors profuit duplæ nostrę; & simpla eius resurrectio, duplæ nostrę resurrectioni profuit. Mors.n. carnis eius, & resurrectio eius, duas mortes nostras, & duas resurrectiones nostras significant. Magno igitur sacramento vna die, & duabus noctibus iacuit in sepulchro, quia lucem simplæ mortis suæ, tenebris duplæ mortis nostræ adiunxit. veniens.n. ad nos, qui in morte carnis pressi eramus, vnam suam.i. carnis mortem detulit, & duas nostras absoluit; simplam suam duplæ nostrę contulit, & duplam nostram subegit. August. de Trin. lib. 4. cap. 6. Sic ergo apparet illa ratio simpli ad duplum in horis Trigintasex, cum duodecim conferuntur ad vigintiquattuor. Et horum quidem numerorum caussas, cur in Scripturis positæ sint, potest alius alias indagare; vel quibus istæ quas ego reddidi præponendæ sint, vel æque probabiles, vel istis etiam probabiliores. frustra tamen eos esse in Scripturis positos, & nullas caussas esse mysticas, cur illic isti numeri commemorentur, nemo tam stultus, ineptusq. contenderit. Ego autem quas reddidi, vel ex Ecclesiæ auctoritate a maioribus traditas, vel ex Diuinarum testimonio scripturarum, vel ex ratione numerorum, similitudinumq. collegi. Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit. Hactenus verba August. Est denique illud in hoc calculo considerandum, quia dici potest numerus hominis pœnitentis. A prima.n. Dominica Quadragesimæ, vsque ad Paschalis solemnitatis gaudia, sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta, et duo sunt, ex quibus dum sex dies Dominici ab abstinentia subtrahuntur, nō plus in ieiunio, quam Trigiuta & sex dies remanent. Dum vero

Greg. pp hom. 16.

per

per Trecentos sexaginta dies annus ducitur; nos autem per Triginta sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus; vt qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Non commemorabo Mercurij Trismegisti Triginta sex horoscopios.i.horarum speculatores, in eodem loco semper defixorum syderum, hęc.n. dęmonum figmenta esse videntur, & quędam inuolucra ad gentilitios errores pertrahentia.

Asclep. cap.8.

DE NVMERO XXXVIII.

IMperfectam, & languidam charitatem erga Deum, et Homines ostendit numerus 38. Vnde paralyticus totidem annis ad piscinam sedebat, in qua iacebat multitudo languentium, exspectantium aquæ motum; nec aliquis sanabatur, nisi Angelo in piscinam descendente, quo mouebatur aqua, ac sanabatur vnus. Porro Angelus est Christus Iesu, qui vocatur iuxta Prophetam magni consilij Angelus. de cęlo venit in populum Iudęorum, & dum prædicat, & nunciat salutem ac pacem, mota est gens inquieta, versaq; est in seditionem, illum morti tradens, qua morte sua, vitæ mundo condidit sacramentum, vt in morte eius baptizaretur genus humanum.i.omnes qui diuersis retro temporibus collecti, quinq; libris Mosaicæ legis testificatam hactenus exspectauerunt gratiam Dei. Iacebat autem paralyticus in infirmitate annis Triginta octo; quem quidem numerū ad lāguores spectare censuit Augustinus. quia binario.i. duplici dilectione (quam.s. Deo debemus, & proximo) cadit a quadragenario, qui numerus plenitudinem confert Iustitiæ, cursumq; vitæ nostrę, ac conuersationem nostram mystice designat. Vnde ante Pascha, quia presentem uitam significat, quadraginta dierum ieiunium obseruamus, ut Paschā, quod ęternę uitę imaginem habet,

Iohan. 5

Esa. 9.

cum

Exho. 34
3.Reg.19
Matth. 4

cum gaudio celebrare valeamus. Nam quadraginta diebus Moyses, Helias, & Christus ieiunasse noscuntur: quoniam ab vno, qui Deus est, vsque ad quattuor multiplicatio facit decem, quot sunt mandata decalogi. qui denarius numerus veteris Testamenti per Euangelium, quadragenarium numerum facit, ad quem implēdum; quia duo mandata deerant paralytico, scilicet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum. quæ duo talia sunt, vt sine ipsis reliqua nihil sint. ideo venit ad languidum Iesu, qui erat Deus & homo, vtriusque dilectionis auctor, atque collocator, & sanans eum, per gratiam Spiritussancti exhibuit ista duo præcepta charitatis. Et pro illo, qui incidit in latrones, duos denarios dedit. & apud Samaritanos, duos dies transegit, vt in eis Dei & proximi charitatem confirmaret. Et vidua illa, in typo Ecclesiæ, duo æra misit in gazophilatium. Dominus quoque ad prædicandum bipartita charitate, binos Discipulos destinauit. hæc enim duo, ante aduentum Christi humanum genus habere non meruit, quare Dominus dixit paralytico: Surge, tolle grabatum tuum. Quid est.n. Surge, nisi Dominum dilige? quia omnis, qui Dominū diligit, cor habet sursum. & quid est: Tolle grabatum, nisi dilige proximum? Cur autem proximi dilectio per grabatum designetur, Apostolus docet, dicens: Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Ergo si preuentus fuerit in aliquo frater tuus, portetur a te; & si tu præuentus fueris, sustineat te. Vel forte grabatum, hominem ipsum oppressum onere delictorum debemus accipere. cui ideo dimittuntur peccata, vt ablata languoris iniuria, purificata anima corpus suum baiulans pergeret ad propriam domū, hoc est ad legis diuinę custodienda præcepta. Potest & paralyticus iste populum Gentilem scelerum suorum enormitate pressum significare, qui cum & ipse in Christum crederet, & baptizari vellet, nemo tamen Apostolorum (sicut in Act. de Cornelio legitur) vnitati illorum qui ex circuncisione erant, illum admittere audebat. Quare Triginta & octo annos habebat in infirmitate. i. olim despe

Matt. 22.

Luc. 10.
Iohan. 4
Mar. 12.
Luc. 21.
Luc. 10.

Gal. 6.

Theophil⁹ antioch. li. 2. alleg.

ratus

ratus, perdita corporis & animæ, temporali & ęterna salute, fraudatus vitæ præsentis pariter, & futurę veritate. Nam per triginta annos, qui numerus annorum plena uiri ętas est, vitæ pręsentis perfectio; per octo annos, vitæ futuræ ęternitas symbolice figuratur. sed Gentilis populus pręsentem uitam se haud posse retinere sciebat, neq; futurę vllam spem habebat.

DE NVMERO XL.

EST Quadragenarius numerus nuptiarum hieroglyphicum. ad virum enim facit hic annorum numerus. Nam Philo problemate proposito: quare Isaac Quadragenarius Rebeccam duxerit? tempus id ait congruum maritali copulę, sapienti viro, idque fieri boni ominis caussa, quia semen in vulua reconditum, ex Aristotelis sententia, (aliud.n sentiunt Physici,) Quadragenis diebus in masculum figuratur. Esau quoque Quadragenarius Iudithen vxorem accepit. Facit & ad mulierem, atque hoc illud est, quod paullo superius haberi docuimus apud Apuleium: Cum vero Quadraginta, quę facilius ceteris porrecta palma significantur, ea 40. tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse, nisi forte 30. annorum Pudentillā ratus, binos cuiusq. anni consules numerasti. Hęc ille disputat Oratione secūda pro seipso, vbi Pudentillā Quadragesimum annum non excedere cōtendit, quā Aemilianus iam sexagenariā deposuerat, ideoq. nefas esset eam ad nuptias solicitare, quando, vt sacri interpretes aiunt, sexagenarius numerus viduitati sacer est, vt infra suo loco plenius. Idem numerus, quem in manibus habemus, temporalem huius uitę durōnem, ac totum pręsentis seculi curriculum, quo hic degimus, interdum insinuat. Quod enim Quadraginta diebus, & Quadraginta noctibus Cataclysmus factus est in vniuersa terra, non tantum

Lib. qst. cap. 1. Gen. 25.

Gen. 26.

Gen. 7.

Prosper de pdic. & benedictionibus Dei. Cap. 8.

præteriti in hoc numero, quãtum etiã presentis temporis animarum diluuium ostendit, quæ in scopulis seculi, atq. in gurgite flagitiorum diuersarumq. voluntatũ naufragijs fluctibus submerguntur. Huic expositioni suffragatur, quod in eadem sacrata Genesi scriptum est de Columba post Quadraginta dies emissa ex arca; quæ cum nõ inuenisset requiem, reuersa est, ostendens per nouum Testamentum requiem Sanctis in hoc Mundo nõ esse promissam. sic & Quadraginta dies, quibus a Satana tẽtatus est Christus Dominus, totum huius seculi tempus insinuant, quibus membra eius, sanctam dico Ecclesiam, nunquam tentare desistit. quia Mundus, in quo Domino famulamur, et a quattuor ventis deliniatur, et a quattuor elemẽtis erigitur; quaternarioq; diurna et annua curricula peraguntur; diurna, matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisq. horarum spacijs: annua vernis, æstiuis, autumnalibus, hyemalibusq; mensibus. decẽ vero sunt precepta, per quorum obseruantiam Domino famulantes cõtra hostis indefessi malitiam decertamus, ex quo fit, vt totum malitiæ nostræ tempus diserte Quadragenario numero cõprehendatur. Isti sane sunt Quadraginta dies, in quibus contra Goliath, et exercitum eius. i. contra Diabolum & Angelos eius, Christianorum populus pugnare nõ desinit; nec tamen vincere posset, nisi verus Dauid Christus, cum baculo. i. crucis mysterio descẽdisset. Qui etiam occulta quadã presentia que promiserat, impleturum se fore demonstrãs, post resurrectionẽ, apparens Apostolis, & loquens de regno Patris, dicebat: Ecce ego vobiscum sum oĩbus diebus vsq; ad cõsummationem seculi. Quem tamen Quadragesimo die celos ascẽdisse legimus. Suffragatur antistes Augustinus in explanatione Psalmi 94. vbi legitur: Quadraginta annis proximus fui generationi: Quadraginta, inquit, anni hoc significauerũt quod est semper. Quadragenarius etenim numerus integritatem indicat seculorum, tanquã perficiantur secula per hunc numerum. Quod mysterium erudite describens venerabilis Beda lib. de templo Salomonis: Ipsum, inquit, tẽplum,

Beda cõ. in Mar. 1

Aug. cõt. quinque hereses. 1. Reg. 17

Aug. de cõstit. euãg. li. 3.

Matt. 28.

Beda in Act. 1.

De con. distin. 1. ieiuniũ.

Ecclesię typum gerebat. vnde recte prę foribus oraculi Quadraginta cubitorum erat longitudinis. qui numerus sępe in significationẽ ponitur præsentis fidelium laboris, quo modo quinquagenarius in significatione futuræ quietis & pacis. Denario namq; numero continentur præcepta, quorum obseruatione ad vitam peruenitur. denario æque significatur ipsa, quam desideramus, & pro qua laboramus, vita perennis. quadratus vero est Mundus, in quo pro acquirenda eadem vita, certamus. Unde & Psalmista congregandã de gentibus Ecclesiam præuidens aiebat: De regionibus congregauit eos, a Solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari. Decem aũt quater ducta, 40. faciunt. Inde populus ab Aegypto liberatus, in figuram præsentis Ecclesiæ, 40. annis in eremo multis laboribus exercebatur, simul & pane cælesti reficiebatur. ac sic tandem ad promissam olim patriam peruenit. Exercetur.n. tentationibus Quadraginta annis, vt labores Ecclesiæ, quibus totum per Orbem in obseruanda Dei lege desudat, insinuentur. Pascitur manna de Cælo per eosdem Quadraginta annos, vt ostẽdat ipsas, quæ Ecclesia tolerat passiones, spe denarij cælestis, hoc est, æternæ beatitudinis esse leuãdas, vbi hi, qui nunc esuriunt, & sitiunt iustitiam, saturabuntur. & sicut eadẽ Ecclesia suo canit redemtori Deo: Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua. Quadragenario rursus nostri corporis castigationem, omnemq. expiationem significari aduertenda litterarum documenta testantur. Omnis quippe reatus peccatorum in decachordo præceptorum admittitur, qui ductus per quaternarium elementorum, a quo potissimum error prouenit et culpa, producit Quadragenarium. quod astruit Gregorius Papa, dicens: In hoc mortali corpore ex quattuor elementis subsistimus, & per voluptates eiusdem corporis, præceptis dominicis contrahimus, præcepta autem dominica per Decalogum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria Decalogi mandata cõtemsimus, dignum est eandem carnem quater decies affligamus. tantum ille. Ceterum quia

3.Reg.6.

Psal. 106

Num. 14
Amos 2.
Deut. 8.
Exho.16.

Psal. 16.

Hom.16.
i Matth.
cap. 4.

peccatorum emundatio per ieiunium & eleemosinam fit apposite, loquente in Scriptura Spiritu sancto & dicente: Eleemosinis & fide delicta purgantur. Et iterum: Cum facis eleemosinam præmium bonum reponis tibi in die necessitatis, quia eleemosina liberat a morte, & non patitur ire ingeennam. Item denuo dicit: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Ideo quoque Psalmus Quadragesimus animas nostras cęlesti purificatione mundificaturus, de eleemosyna disserit opportune, beatum terque, quaterque prędicans eleemosynæ largitorem, multiplicique illum benedictione concelebrans. Beatus (inquit) qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & beatum faciat eum &c. Quid de Ieiunio? Naturam sequamur, Vrsa foeta dies quattuordecim (vt scribit Aristoteles) immobilis manet, sine cibo vero diebus Quadraginta, tantum pedis dextri linctu sese sustentans. hoc remedio vtitur in morbo intestinorum. Serpens item, cuius prudentiam nos imitari mandat IESV in Euangelio, quando senuerit, perdit aspectum, & si voluerit redire ad iuuentutem, ieiunat Quadraginta diebus, vt laxetur pellis eius, & sic angustum foramen inquirit, vt dum nititur exire inde, pellem senectutis deponat. Quid autem est vetusta serpentis pellis, nisi praua, & vetus consuetudo carnalis corruptionis? quam si quis appetit deponere, illum oportet carnem suam ieiunio Quadragesimali castigare. Inde dicit Leo sermone de Ieiunio decimi mensis, quod per voluntarias affectiones abstinentiæ caro concupiscentijs moritur, & spiritus virtutibus renouatur. Quare numerus Quadragenarius sanctorum antiquæ legis Patrum ieiunio sanctificatus dignoscitur. Siquidem Moyses vt legem semel, & iterũ mereretur accipere, bis ieiunauit Quadraginta diebus, et Quadraginta noctibus. Helias itidem propheta fugiens Iezabel, & Dei desuper ira pendente, ambulauit in fortitudine cibi sumti,

Tob. 4. 12
Eccl. 3.
Psal. 40.
De hist. aĩal. li. 6. ca. 30. & li. 8. c. 17
Matt. 10.
D. Hier. ad Presidium de rõne cerei paschalis.
Augu. in Ciuitat. Dei lib. 8. c. 15.
Exho. 24. 34.
3. Reg. 19.

& allati angelico ministerio Quadraginta diebus, & noctibus, non manducans neq; bibens, donec venit ad montem Dei Horeb illuc diuersaturus, & Deum compellaturus. Ipse deniq; Dominus noster Christus legis, & Prophetarum consummatio, priusquam a Satana tentaretur, statim post susceptum Baptismum, Quadragenarium dierum ac noctium numerum ieiunio decorauit, tum vt aduersas tentationes superaret, tum vt nobis formam purificationis ostenderet Quadragesimæ. Omnis.n. Christi actio, nostra est instructio, quia ipse est via, & magister, qui in se ipso nobis viam ostendit, dicens: Quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Vt igitur Christū Dominum imitentur Christiani, & Ecclesiæ simul præcepto obtemperent, astringuntur & ipsi sub pœna peccati mortalis ad obseruandum quotannis Quadragesimale ieiunium, cum id ipsum præcipiat Ecclesia, vt legitur de con.dist.5.c.Quadragesima. Enimuero non tantum vocabulo nominis; sed & re Christiani esse contendere debemus, ac Christum (a quo tam dignum, & honorabile nomen sortimur) in his quæ imitanda proposuit, insequi, quare & in obseruatione ieiunij Quadragesimalis. Si.n.quæras vnde constet numerus Quadragesimus, inuenies surgere ex quaternario in denarium ducto. quaternario nouum Testamentum significatur, quoniam in quattuor Euangelistis consistit; Denario, vetus.quia in decē mandatis legis continetur. Quadraginta ergo diebus ieiunat, qui ab illis omnibus se immunem, & ieiunum custodit, quæ vtrumque Testamentum facere interdicit. vt sicut caro exterius ieiunat a cibis, ita & animus interius ieiunet a vitijs. Dicit.n. Scriptura, Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, & similia. hi sunt illi cibi, a quibus vtrumq; Testamentum precipit abstinere. Et qui carnem ieiunijs macerat, nisi interius ab istis cibis se ieiunum custodiat, haud bene ieiunat. Quadraginta ergo diebus Christū imitantes, ieiunamus, quatenus in ciborū ieiunio, ieiuniū corporis, et ī dierū numerū cordis ieiuniū demōstremus.

Matth. 4

Nic. cus. lib. excit. crucifixus. De Sepul. c. 1. De elec. signifi. 2. q. 2. De°. Ioan. 13.

At vero quod ipse Dominus noster multifariam sanctificauerit numerum Quadragenarium, in alijs etiam operibus, quam ieiunio exinde fit perspicuum, quia Quadraginta septimanis (vt perhibent sancti Patres) in vtero Virginis portatus est. Quadraginta diebus a natiuitate in domo Bethleemitica (quæ fuerat ei natalitia) detentus est, antequam offerretur in Tēplo. Quemadmodum.n.seruatum veteribus tradunt, vti gestans vtero ante partum ne sacra adiret Quadraginta diebus, qui dierum numerus dicebatur Tesseracoston; sic a partu masculi totidem diebus decurrebat mulier, quæ enixa fuisset masculum, antequam in templum domo abiret, & puerum deferret. sic.n. scriptum est Leuit. cap. 12. Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circuncidetur infantulus, ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Si igitur septem diebus immunditiei addiderimus triginta tres purificationis, fient Quadraginta. Ex sententia siquidem Hippocratis & Aristotelis, quos hac in re secutus est Galenus, vt intra septem dies fiunt seminis effluxus: ita intra Quadraginta, abortus. atq; vt recens nati solent intra septē dies perire, fortasse quia tū purgari desinunt quæ cōcepere, si erit masculus: ita qui hos effugiunt, alium, eumq; proximum periculi finem habent Quadraginta dies; atq; vt supra septem dies contentum intra vterum semen esse, certa est conceptionis nota; cum vero transit prægnationis Quadragesima dies, abortus periculum maximum recessit: pari mensura cum recens natus (respondent.n. vitæ principia principijs generationis) attigit octauum diem, homo iam vitalis est. cū Quadragesimum, robustior, viuacior, & sapientiæ iam fit particeps. Indicio est, quod eorum qui septimum euaserunt, multi moriuntur intra Quadragesimum: a Quadragesimo vero incipiunt iam pueri ridere, quasi firmiores iā facti, et sapientiæ quædam exordia ostētantes. Infantem siquidem ante Quadragesimum quoq; dicm inter vigilandum, neque ridere, neq; lachrimas fundere visum affirmant:

dor-

dormientes vero fecisse vtrumq; referunt. Merito ergo, atq; vt natura ipsa poscebat, institutum est, vt puer die octauo circuncideretur, vt qui iam vitalis esse cognosceretur; mater vero ingrederetur in sanctuarium, illum Deo oblatura Quadragesimo, vt qui magnū recens natorum periculum euasisset, & roboratus iam esset, & sapientiæ inditia præ se ferret. interim mater iubebatur manere in sanguine purificationis suæ. Rursus Quadragenarium numerum decorauit Dominus quādo Quadraginta mensibus mundo publice prædicauit, & Quadraginta horis mortuus delituit in sepulchro, computata. s. hora qua spiritum emisit, & vltima hora Dominicæ noctis, in qua resurrexit. Deniq; Quadraginta diebus post resurrectionem suam Dominus Discipulis suis se ipsum viuum præbuit, ut primum Actuum Apostolicorum caput meminit, qui dierū numerus conresurgentem Christo peregrinationis huius Ecclesiam designat; sicut dies quinquagesimus, quo Spiritus sanctus accipitur, perfectionem quietis beatæ, qua labor Ecclesiæ temporalis denario æterno remunerabitur, congruenter exprimit; Nam & ipse numerus Quadragenarius, æqualibus partibus cōputatus, addit amplius ipsum denarium, & fiunt Quinquaginta, tanquam merces laboris, & continentiæ. Quadragenarij. n. dimidium est 20, quarta pars 10, quinta 8, rursus octaua 5, decima 4, vigesima 2, & Quadragesima 1. Viginti autem, decem, octo, quinq;, quattuor, duo, & vnum pariunt quinquaginta. Cuius quidem computi facillime patet figura, quoniam præsens conflictus gaudium nobis Iubilæi, quasi latenter generat sempiternum, Apostolo dicente: Quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis. Vera est autē nostra beatitudo corporis, & animæ nos immortalitate gloriantes summæ & beatæ Trinitatis æterna visione satiari. nam quattuor notissimis qualitatibus consistimus; in interiori autem homine, toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere iubemur. Et hoc est perfectum vitæ denariū, Diuinæ nos gloriæ præsenti visione lętari.

Aug. de Trin. lib. 4. c. 6.

Hier. de celebratione Pascheę.

2. Cor. 4.

Cęptum prosequamur opus ostendentes expiationi peccatorum, & pœnitentiæ in hoc vitę incolatu subeundæ accommodari Quadragenarium, & conuenire orationi, & sacco, & lachrymis, & perseuerantię deprecandi. Pestis contagione suspectos, perfectis Quadraginta diebus, absoluendos docuere Legislatores, & Medici, quod Quadraginta diebus terminentur morbi etiā chronici. quæ caussa etiam fuit cur uulneratis vltra Quadraginta dies, intereuntibusq. non censeantur mortis caussam prębuisse vulnerum illatores. curq. Quadraginta diebus, qui Gallico morbo laborant, uel consimili chronica ægritudine, decoctum ligni Guaiaci fere potare iubeantur. Motus quoque a grauioribus plerisq. valetudinibus ad conualescentiā ex Quadragesima terminari die passim conspicimus. Quare qui de Thermis volumen edidit Andreas Baccius Elpidianus hęc scribit cap. vlt. lib. 3. Saluberrimum ob id omnibus esse censetur, vt diutius post balneum nihilo magis sibi indulgeant, quam in balneo, ita vt summa eius obseruationis sit Quadragesimus dies; qui sicut motuum naturæ, ac morborum, ita & medicinæ in suis ministerijs est terminus, veluti peremtorius. Quadraginta diebus duodecim exploratores circumierunt terram Chanaam. Num. 13 *Quadraginta annis fletum commemorat Propheta, quasi iam tempore expiationis expleto, liberationis tempus a Domino iure debeat impetrari. Ter Quadraginta annos dedit Dominus resipiscenti mūdo, priusquam tempore Nohe diluuio genus humanum disperderet. Quadraginta postea dies aquę Cataclysmi inundauerunt super terram, abstergentes hominum piacula, & purgantes eam a peccatis ante commissis, vt sextum & septimum Geneseos cap. enarrant. Iustum .n. erat, vt qui per quattuor elementa Mundi, quibus omnia constare dicuntur, dum ea diligit & fouet, Deum offenderat, in ipso numero puniretur. Decem plagas, quibus percussi Aegyptij, dies Quadraginta perdurasse refert Suidas ver. Aegyptus. Quadraginta plagis emendabantur, qui commeruissent. ad hunc enim modum legitur in Deuteron.* Cap. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum*

modus,

modus, ita duntaxat, vt Quadragenarium numerũ non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. Probabile est autem, ob humanitatem, vnam plagam remitti solitam, vt citra numerum prescriptum consisterent. vnde Paulus Apost. Quinquies Quadragenas vna minus se accepisse testatur. Querẽs Theophilactus, cur vna minus acceperit Apostolus dicit, apud Iudeos lege cautum, vt si quis vel vnam plagam supra Quadragenas accepisset, ad honores & dignitates consequendas non amplius idoneus haberetur; quare Hebræos iussisse tot numero plagas, vna minus infligi, ne Paulo cederet ad ignominiam, si forte percussor vltra constitutũ numerum progressus esset. quod si errore vel casu aliquo accidisset, eam esse voluerant Quadragenam. Cupiebant .n. eum per eiusmodi castigationes ad se trahere. quod si facere potuissent, par erat, vt hominis doctrina, ingeniũ, & fandi vis, honores sibi deposcerent, quos nequaquam deferre recusassent. Cauebant vero, ne ad repulsam locus esse posset ignominiæ. quod tamen in Apostolis locum habere nõ potuit. vnde ibant gaudentes a conspectu concilij, quod digni habiti essent, qui pro nõie IESV contumeliã paterentur. Hoc numero taxantur viri, qui in Pauli mortẽ cõiurauerãt, illũ educi de carcere querẽtes; ut cõsiliorum suorũ ictibus interficerent, quem cõgressione persecutionis publice superare nequibant, Act. c. 23. Quadraginta annis traditi filij Israel in manus Philistinorũ, vt habetur Iudic. c. 13. Paullo antequã Antiochus Epiphanes Syriæ rex captis Hierosolymis, atq; spoliato thesauris templo, Iudeorum gentẽ in extremã adduceret calamitatẽ, in celo conspecti sunt Quadraginta diebus homines tanquam diuersæ acies in curribus concurrere magno armorum fragore strepituque equorum, vt legitur 2. Machab. 5. Qualis vero Iudæos subsecuta sit poena, pro eo quod auctorẽ vitæ IESV Christum a semet conclamauerant auferri, testatur præter alios Eusebius lib. 3. hist. Ecclesiast. ca. 7. Nam contra Iudæos Vespasianus cum filio Tito a Romanis missus est, vt sicut Dei Filium vna cum Patre negauerant, dicentes: Non habemus regem,

2. Cor. 11

Act. 5.

regem, nisi Cæsarem; ita patri & filio Vespasiano s. & Tito merito exterminandi traderentur, qui in festo Azymorũ, in quo Iudęi ipsi perfidi mortẽ Christi perpetrauerant, innumeros fere corũ populos, qui Hierosolymã ad ipsum festũ celebran. conuenerant, concluserũt. Tanta aũt fuit, teste Iosepho, quæ aderat prostratorũ multitudo, vt vndecies centena milia peremta fuisse dicantur; electos aũt quosq; iuuenum per diuersas prouincias in seruitutem perductos nonaginta milia. Tanta deniq; eodem in populo vilitas fuisse dicitur, vt quis vno argenteo dato triginta sibi emeret Iudęos. quod nutu Dei factum esse, nemo qui ambigat. Vt qui Deũ dominum suum, quasi vile mancipium, vili precio vendiderant, uiliori precio & ipsi uenderentur. Non tamen Iudæos, pro his quæ in Christum commisere piaculis, ultio subsecuta fuit. Verum pietas ac clementia Dei, licet ingratis, fuit oblata: nam Quadraginta post admissum piaculum, continuis protracta annis impiorum pœna differtur. In quibus & Apostoli omnes, præcipue tamen Iacobus, qui frater Domini dicebatur, in Hierosolymis Episcopus constitutus, indesinenter populum cõmissæ impietatis feralis ausi de scelere commonebat, si possent forte commissi criminis agere pœnitentiam. Ostẽdebat namque eis Deus per suam patientiam, quod eorum quæreret pœnitentiam. Verum quia Quadragenarium annorum numerum pœnitentiæ sacrum, & expiationi, transgredi uoluerunt, dedit eos Deus in dispersionem.

Aegesippus.

Cap. 3. Huic argumento sunt Niniuitæ, ad quos missus Ionas, cum eum clamantem audissent, ac dicentem: Adhuc Quadraginta dies Niniue subuertetur. dignos fecere pœnitentiæ fructus. Quare Dominus misertus est super malitiam quam loquutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Quadraginta annis non habitata Aegyptus, impœnitentiam designat. Quadraginta diebus dormiens Ezechiel super latus dextrum, assumta iniquitate Iuda, Quadraginta annos captiuitatis domus Iuda, designauit. Quadraginta annis contulerat Deus Opt. Max. beneficia Israelitis, qui non sunt cõuersi. Quadraginta annis iudicãs Heli Israeliticum populum, designat transgressionem

Ezec. 29
Ezech. 4
Psal. 94.

man-

mãdatorum. ideo iudicat Quadraginta annis, quia legis austeram disciplinã ad timorem subiectæ plebis exhibuit, ut materiam humanæ conditionis per cõcupiscentiam fragilem per timorem retineret. Quadringentis annis populus seruiturus in Aegypto nuntiatur, qui faciunt quadraginta decadas, siue quattuor ecatontadas. In Parentalibus denique Quadragenarij vsus non modicus. Aethiopum populi sub Pretoiano defunctos lugent Quadraginta dies, auctore Antonio Sabellico. Aegyptij totidem diebus corpus conditũ obseruabant, pro defuncto speciales orationes, eleemosinasq. facientes. cuius rei argumentum Ioseph, qui pręcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem in Aegypto vita functum. quibus iussa explentibus, transierunt Quadraginta dies. Iste quippe mos erat cadauerum conditorum. Gen.c. 50. & habetur. 13.q.2. quia alij. Eundem numerum Quadraginta dierum in cęremonijs funebribus obseruant Galli. ex quo (vt refert Bartholomæus Cassaneus) per officialem Heduensem sententiatum fuit, quod domicella Iaquelina de la Trimiolle, filia nob. D. Georgij de la Trimiolle Locumtenentis Regij generalis in Burgundia, citata coram ipso super certis promissionibus matrimonialibus per verba de pręsenti, instante procuratore Episcopali, & ad denuntiationem Mag. D. Iohannis de la Bulme domini de Pesme, non tenebatur comparere in iudicio, nec exire domum ante Quadraginta dies, computandos a tempore mortis dicti. q. eius patris. Addit Cęlius Rhod. non solum a Gallis, sed a Scythis etiam obseruari, vt Regem fato functum totidem diebus custodiant, quibus fit integerrimum, & amictu ferali proceditur. elapsis autem Quadraginta diebus, nouum creari Regem. Iam vero & priuatorum Scytharum inferias hunc in modum fieri solitas legimus. defunctorum corpora condiunt eaq. palustris imposita proximi ad amicos circumferunt, qui cadauer suscipientes, epulum his, qui illud sequuntur, exhibent, atq; hoc modo ¦ Quadraginta diebus priuatorum hominum comitatus circumagitur, post hæc humatur. Significant autem hi dies aliquid pœni-

1. Reg. 4. Gl. interlin.

Gen. 15.

In Catalog. Glorię Mun. part. 2. arg. 5.

Lect. antiq. lib. 7 c. 21.

pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur, vt per tot dies accommodatos humiliationi pœnitentium, intelligatur in ieiunijs sua defleuisse peccata, & diuinam impetrasse misericordiam. Vel etiam hac de caussa seruatur Quadragenarius, vt quod illi in doctrina quattuor Euangelistarum, & in decem præceptis peccauerunt, sibi condonetur. D. Hieronymus Epistola ad Iulianum: Laudent te, & tuas cōtra Diabolum victorias panegyricis prosequantur, quod læto vultu mortem tuleris filiarum, quod in Quadragesimo die dormitionis earum lugubrem vestem mutaris. hæc ille. Ex his apparet numerum Quadragenarium sacrum fere habitum in præparationibus, et peccatorum expurgationibus, atq; designare nobis tempus uitæ præsentis, quod pœnitentia, abstinentia, & lucta cum aduersitatibus, & malis est transigendum.

DE NVMERO XLII.

Quadragesimus secundus numerus spiritualem uiam veniendi ad Christum per huius vitæ peregrinationem designat. Cum. n. Moyses electam a Deo familiā erueret de iugo Aegyptiacæ seruitutis, vt illam in terram promissionis induceret, Quadraginta duabus mansionibus eo peruenisse diuina testantur oracula. Hæc autem spiritaliter intelligenda esse nemo in sacris litteris vel leuiter versatus ambiget, cum nulli dubium sit vniuersa, quæ in veteri Testamento Iudeis contigerunt, nunc in Euangelica lege, & si secundum litteram vera sint, altiori tamen modo & sublimiori quodam mystico sensu a nobis semper recipienda atq; intelligenda esse. quare haud incongrue hæc ad nos spectare videbimus. hoc etenim numeri sacramento peruenit Christianus ad illud bonum, quod præparauit Deus, sub quo mystico numero seruator noster IESV Christus a primo Patriarcha peruenit ad Virginem, quasi ad Iordanem, quæ pleno

gurgite

gurgite fluens Spiritussancti redundabat gratijs. Fit (inquit Hieronymus) mansionum catalogus a prima vsque ad vltimam; & numerantur simul Quadraginta duę, de quibus Matth. loquitur: Ab Abraham vsque ad Dauid generationes quattuordecim; & a Dauid vsque ad transmigrationem Babiloniæ generationes quattuordecim; & a transmigratione Babilonis vsque ad Christum generationes quattuordecim.i.simul generationes Quadragintaduæ. Per has currit verus Hebræus, qui de terra transire festinat ad cælũ, et Aegypto seculi derelicta, terrã promissionis ingreditur. Hæc Hier. Porro Aegyptus pro hoc Mundo semper accipitur. Vnde in Epist. catholica Iudas Thadæus frater Iacobi: Cõmonere, inquit, vos volo scientes semel oĩa, quoniã IESV populum de terra Aegypti saluans, secundo eos, qui nõ crediderunt, perdidit. et ne putares de Iesu dici filio Naue, statim sequitur: Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilũ, in iudicium magni diei vinculis ęternis sub caligine reseruauit. Indicat etiam præsens numerus militantis Ecclesiæ tempus, quo Domino cooperante in spem futuri sabbati laborat. nam septies seni, Quadraginta duo faciunt, & sex quidem ad opera; septem vero ad requiem significandam pertinere nullus est qui dubitet. Vnde Populus de terra Aegypti saluatus, 40. quidem annos in deserto moratur; verum quia sub spe intrãdi in requiem sedulus exercetur, septies sena.i. Quadragintaduo in via arctissima castra figit, e quorum vltimis, dum Iesum suscipit ducem, mox aperto Iordane, promissas olim sedes, deuictis hostibus adit; sicut & Dominus IESV Christus Quadragesima secunda generatione, ex quo mundus cęcitatis priscæ tenebras, Abrahã credente, discussit, aduenienes in carne Baptismi nobis lauacro cęli ianuas pãdit. Et ipsi pfecto virtutũ cursu, in quo, quod non uidemus sperantes, p patiẽtiã exspectamus, sub eiusdẽ, vt dictum est, numeri sacramento, post siccatũ Christo duce fluuium, promissa patriæ cælestis perueniemus ad regna. Qui qm̃ ipso, quẽ tricenarius inchoauit, Baptismo, totius sit Ecclesiæ sordes

expia-

Ad Fabiolam.

Cap. 1.

Orige. in Num. homil. 27.

Cap. vni.

expiaturus, eorundem quoque numerorum mystica cognatio declarat. Quia videlicet 30. æqualibus suis partibus computata, pariūt amplius 12. qui est Patriarcharum, & Apostolorum numerus, & fiunt 42. habent.n. 30 partem tricesimam, vnum; quintamdecimam, 2; decimam, 3; sextam, 5; quintam, 6; tertiam, 10; dimidiam, 15. quæ simul posita, 42. consummant. Vbi mystice innuitur totam Ecclesiæ perfectionem in Christi fide & gratia consistere, quæ a Patriarchis primo agnita, Apostolorum est latius voce diffamata; nec esse nomen aliud sub cœlo, in quo oporteat saluos nos fieri, quo modo in 42. nulla est particula, quæ non æqualibus tricenarij numeri contineatur in partibus. Tricenarius ergo numerus suis partibus Quadragesimum & secundum complet, quia Dominus Ecclesiam sui Baptismatis sacramentis, & nunc laborantem temporaliter munit, & finitis laboribus ad requiem æternaliter perducit. Sunt huius numeri alia discutienda mysteria. Cum enim superabundet partibus, tempus notat, quo regnaturus est Antichristus: de quo in Apoc. hæc legimus: Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus Quadraginta duobus. Iterum: Data est bestiæ potestas facere menses Quadraginta duos. Item: Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum a Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. si enim dies 1260. diuidas per 30. habebis nimirum menses Quadraginta duos Lunares, tricenis diebus per menses singulos distributis. Ad huius temporis insinuationem spectat quod in eadem Apoc. scriptum est: Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilę magnę, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et in Daniele: Putabit quod possit mutare tempora, & leges; & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Tempus namque, & tempora, & dimidium temporis, tres annos, superq. dimidium annum, idest menses Quadraginta duos intelligimus. quia tempus appellatur vnus annus, quod omnis præcipua, vulgoq. obseruabilis, & tota temporis varietas vnius anni cōuer-

Cap. 11.
Cap. 13.
Cap. 12.
Aug. de ciui. lib. 15. c. 14.
Cap. 12.
Cap. 7.

uersione contineatur. Unde & cap. 4. idem propheta Daniel dicit mutanda septem tempora super Nabuchodonosor, idest septem annos efferationis eius. D. Hiero. in cap. 7. Danielis: Tempus, inquit, annum significat, tempora iuxta Hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant; dimidium autem temporis sex menses, quibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt. Est idem numerus, quem pre manibus habemus, multarum calamitatum significatiuus. Onia Pōtificatum gerente, Antiochus Epiphanes Hierosolymam cepit, predam multam egit, Temploq. Dei spoliato, idolum quoq; Templo imposuit, religionem omnem cum victimis & cæremonijs sustulit ad menses Quadraginta duos. tanto.n. tempore persecutionem eam durasse legenti primum & quartum cap. primi lib. Machab. manifestum est. Præterea in diebus Helie Thesbitis propter peccata Achab, & populi Israel, clausum fuit celum annis tribus, & mensibus sex, vt legitur 3. Reg. 17. Luc. cap. 4. quod perinde est, ac si dixisset mensibus Quadraginta duobus. Denique Quadraginta duo millia de Ephraim, que percussit Iephte, significant omnes rebelles, qui in sex ætatibus fuerunt, condemnandos in fine Mundi, qui dicebant: Nolumus hunc regnare super nos. Preter supradictas afferunt Theologi aliam huius numeri significationem; qua nobis insinuet longanimitatem Dei ad exspectandum in nobis fructum pœnitentiæ, & conuersionem ad bonum, quod post Dominicam passionem, duos supra Quadraginta annos exspectauerit Deus pœnitentiam, & emendationem Iudæorum in melius. Verum postquam diutina illa exspectatione facti sunt deteriores atque crudeliores in persecutione fidelium, Quadragesimo secundo post transactam Domini passionem anno, venerunt Romani, & tulerunt locum, & gentem. vt adimpleretur quod dictum fuerat Psal. 108. In generatione vna deleatur nomen eius. quem locum dilucidans D. Hieronymus hæc scribit: Post passionem Domini, Quadraginta duo anni transierunt, & populus ille deletus est. Siquidem perfecta etas quadragesimo

Niceph. lib. 1. c. 6

Ioseph. Antiqui. li. 12. c. 6.

Iudi. 12.

Augu. in Iud. quæstio. 49.

Luc. 19

D. Hier. in psal. 108.

gesimo anno venit. post passionem ergo Domini quadragesimo secundo anno deleta est Hierosolyma. Videte ergo quoniam in generatione vna deletum est nomen eius. Hactenus ille. Hoc etiãnum figuratum dicunt per id historicum quod quarti libri Regum secundo capite scribitur de Heliseo, quo ascendente per viam in Bethel, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calue, ascende calue. qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini, egresiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis Quadraginta duos. Quem locum exponens Isidorus (vt adducit Glo. ordinaria ibidem) ait: Heliseus: salus Dei. is est qui saluator uocatur, cui illudunt Iudæi; quia in Caluariæ loco ascensurus erat in crucem. sed Christus postquam ascendit in celos, sicut Heliseus ascendit in Bethel. i. in domum Dei, Quadragesimo secundo anno immisit duos vrsos de syluis gentium, Vespasianum. s. & Titum, qui eos crudeli strage deiecerunt, ibique sanguis eorum effusus est vbi Dominum suspenderunt. Et sicut tribus annis cum dimidio, quibus Saluator Mundi docuerat, Dei gratiam contemserant: ita tribus annis cum dimidio eos Romani ipsi principes obsidione atroci, atq; durissima afflixerunt.

DE NVMERO XLV.

ABsolutam infantis in vtero conceptionem numerum sortitam fuisse, 45. attestantur Physici, quia totidem fere diebus semen embryo factũ vegetatur ac transformatur, quo vsq; in corpus organicum perfectum suis debitis & organicis mensuris conducatur, vt dispositus sit ad suscipiendam animam rationalem. Complentur quidem aliqui partus triginta diebus, sexto nascentes mense, sed propter teneritudinẽ non posse superuiuere dicuntur. Quidam vero perficiuntur diebus trigint aquinque, qui septimo mense prodeunt in lucem, & id genus

nus viuere posse compertum. Adhuc quidam quadraginta diebus formari dicuntur, qui in mense octauo nascuntur; at neque istos in vita seruari manifestum est. Nam Galenus et alij omnem infantem in septem mensibus motum habere dicunt, qui si adeo fortis est, vt possit exire ad vitam, vtique conualescere. quod si tunc septimo mense non egrederetur, ipso suo motu debilitari, & etiã summe pati: vnde, si etiam sequenti mense, videlicet octauo exierit, viuacem esse non solere. Vt plurimum autem formari volunt Quadragintaquinque diebus, nono nascentes mense, atque hos superuiuere. quod si formatio transisset ad quinquagesimum, decimo mense nasci, eiusmodiq. difficilem vitam agere. hanc quidem esse postremam finem, qua mulier parere possit, testatur Auctor libelli de carnibus, qui inter Hippocraticos numeratur. deceptasque esse omnes, quæ se vndecimo mense affirmant peperisse, mensium suppressione anticipãte conceptionem; infra illam vero finem esse alios plures. Inter omnes autem pariendi fines, qui maxime videntur, iuxta id quod deprehenditur experimento, naturales sunt dies 270, qui complent nouem menses græcos, hoc est vulgares. Quare libro secundo Machabeorum capite septimo hunc in modum alloquitur mater filium suum minimum: Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui. Nec est quod alicui mirum videatur, quod nouem mensium numerus adeo naturæ gerendo partui arriserit. Sunt enim nouenarij vires admodum potentissimæ, maximeq. inter impares omnes numeros eminentissimæ. quare Poetę Musis adscribit hunc numerum, quem arbitrantur esse perfectum. quoniam circa medium eius, id est, vnum quasi numen iustitiæ, id est, Octonario se medium inserit. nam octo (vt alibi demonstrauimus) propter æqualem ad vltimum distributionem, a Pythagoræis iustitia nominatur. rursumque est impariter impar, scilicet quia in tres diuisibilis terniones, quorum quilibet in tres diuiditur vnitates. e primis etiam conflatus est cubis vnitate, & octonario. alio quoque modo e duobus triangulisternario, & senario, quorum

Hippon' Metapõtinus.

Auicẽna li. 10. de nat. an.

Alcabitius.

vterq. est perfectus. quod vero sit quadratus primum imparem numerum radicem habens, dictu superfluum. Nouenarius denique (quod enotetur hoc potissimum loco, dignum prorsus est) in trigonum ductus, efficit numerum 45, quem tractãdum assumsimus. Quod si Astrologorum scholas percurrere volueris, inuenies statim singulis vteri gerendi mensibus, singulos praeesse planetas. ideo octauo mense natos viuere haud posse, quoniam qui primo, idem octauo mẽsi Saturnus dominetur planeta frigidus, & siccus, hoc est, qualitatibus vitae contrarius: Mensi autem nono, Iupiter Fortuna maior, calidus & humidus; vt septimo mensi Luna frigida et humida. Adducunt Chaldaei multas, easq; probabiles rationes, asserentes actum vitamque nostram stellis tam vagis, quam stantibus esse subiectam, earumq; vario multipliciq; cursu genus humanum gubernari; sed ipsarum motus schemataq; & effectus a Sole crebro immutari. nam vt aliae occasum, nonnullae stationem faciant, nosq; omnes hac sua disparilitate pariter afficiant, Solis fieri potentia. Itaq; eum qui stellas ipsas, quibus mouemur, permouet, animam nobis dare qua regamur, potentissimumq; in nos esse, moderari que quando post conceptionem veniamus in lucem; sed hoc per tres facere conspectus. Quid autem sit aspectus, et quot eius genera, paucis aperiemus, si illud prius adnotabimus natiuitatem persimilem esse generationi, quia natura emittit foetum in illa caeli cõstitutione, quae similis est constitutioni generationis. Inde dixit Hermes quod locus Lunae in hora infusionis spermatis in matricem, est horoscopus in natiuitate: gradus vero oriens in conceptione, est locus Lunae in natiuitate; et Ptolomeus dicit in Centiloquio: In quo signo est Luna in genitura, illud in conceptu fac ascendens: & in quo signo fuerit in conceptu, illud aut eius oppositum fac ascẽdens in partu. Libro quoque de Iudicijs astrorum, duo statuens humani corporis principia, primam scilicet generationem, & natiuitatem, natiuitati praefert generationem. Cum ergo circulus Heliophori, in quo Sol, & Luna, ceteraeque stellae vagae feruntur, in partes duodenas

Ptol. in cẽtũ enũciatis aphor. 15. Lib. 3. c. 1 Quadripartiti.

totidem signis redditas æquabiliter sit diuisus, eũ Sol annuo spacio metitur, ita in vnoquoq; signo ferme vnum mensem moratur. Sed signum quodlibet cum cęteris singulis habet mutuum conceptum; non tamen vniformem cum omnibus; nam validiores alij, infirmiores alij habentur. Igitur quo tempore partus concipitur, Sol in aliquo signo sit necesse est. quem proprie vocant locum cõceptionis. Sol ergo cum in proximum signum transcendit, locum illum cõceptionis, aut aspicit, aut non. Proximantia.n. signa inuicem se videre omnino inficiantur Astronomi. at cum in tertio est signo, hoc est vno medio interposito, tum primum illum locum vnde profectus est, videre dicunt, sed valde obliquo, et inualido lumine, qui aspectus Sextilis appellatur. cuius natura a primo signo sit ad tertium, a tertio ad quintum, inde ad septimum, deinde ad nonum, a nono ad vndecimum. hunc autem aspectum non vsquequaq; receperunt, quod minimum ad maturitatem partus conferre videretur. Cum vero Sol in quartum signum peruenerit, et media duo fuerint, videt aspectu Tetragono, quoniã linea quam visus pertendit, quartam circuli partem abscidit. fit is radius a primo ad quartũ, a quarto ad septimũ, inde ad decimũ. Quare si fuerit Sol in decimo zonio tẽpore natiuitatis, in quo fuerat tempore primæ generationis, viuet quidẽ infans, sed cũ difficultate, quia quadratus aspectus est discordiæ atq. medię inimicitiæ. Viuet ẽt si prodierit in lucem Sole septimũ signum occupante, sed non facile respectu oppositionis; immo (si Cardano creditur) habebit vngues imperfectos, ac cutim non expolitã; et vix vnus hoc in mẽse nascitur, qui aliqua nõ habeat in corpore vitia, seu debilitates, & ægritudines inseparabiles. Si vero infans hãc in lucẽ natus fuerit Sole nonum a generatione signum possidente, nascetur validus, quo ad rõnem signorum & radiorum, quia Trigona radiatio est omnium potentissima. Ceterum si vterum exibit Sole in sexto vel octauo signo existente haud vitam ducere poterit, quia nullus intercedit aspectus, cum huiusmodi numeri nõ sint pars integra duo denarij. Veteres.n. rõnem aspectuum attulerunt ex numeris, vt

numero illo partium inter se, sidera separata iuncta dicerentur, qui in aliquem numerũ ductus, vniuersus Zodiaci partes numeraret. Hexagona. n. radiatio duobus signis computatur, quæ sunt sexta pars duodecim partium. Quadrata radicatio partibus fit tribus, quas si per 4 duxeris summam colligis 12. Pariter Trigonum ex quattuor partibus cõstat. quas si triplicaueris, enascetur idem Duodenarius. sex deniq; partium internallo diametra fit radiatio, duplicatus enim hic numerus integrum numerum 12 partium efficit. Accedit alia proferenda ratio, qua perspicuum erit, cur cęterorum conspectuum plenissimus potentissimusq; sit trigonus. & nono mense nati infantes maturi sunt & perfecti. Ex signis Zodiaci quædam masculina sunt & diurna; quædam feminina & nocturna. Et ex his alia sunt calida & sicca, vt ignis; frigida, & sicca, vt terra; calida et humida, vt aer; frigida et humida, vt aqua. In nono signo viget consonantia, tum sexus, quod vtraq; masculina & diurna, vel feminina et nocturna: tum etiam qualitatum, quoniam vtraq; vel ignea sunt, vel aerea, vel aquea, vel terrea. Namq; ab Ariete nonum signum est Sagittarius, vtraque masculina, diurna, calida et sicca, sicut ignis. In septimo autem signo sexus quidem consonãtia reperitur; sed in vna consentiens qualitate, dissentit in altera, quia septimum ab Ariete Libra est, vtraque masculina, & diurna; sed Aries calidum est, & siccum, Libra calidum, et humidũ, sicut Aer. Adhuc in decimo quolibet signo vna consonat qualitas; sed altera discrepat. Aries. n. calidum, & siccum; Capricornus frigidum, & siccum; illud masculinum, & diurnum; istud femininum, & nocturnum; illud igneum, istud terreum. In octauo deniq. signo nulla intercedit, vel sexus, vel qualitatum consonantia. Cum. n. Aries sit masculinum, & diurnum; Scorpius femininum, & nocturnum est; Aries, calidum & siccum; Scorpio, frigidum & humidum. Ex his patet cur octimestres infelices esse conspiciamus. Sociabilia quippe sunt, quorum vnum ab alio nonum est; deinde quorum vnũ ab alio septimum est; postremo quorũ vnum ab alio decimũ est: insociabilia

Ptolom. ĩ quadripart. li. 1. cap. 11.

Ptol. quadrip. li. 1. cap. 17.

quo-

quorum vnum ab alio octauum est. Quare, secundum hanc rōnem nata mense nono vitalia sunt, deinde quæ septimo: sed quæ decimo cum difficultate vitam agent. At uero dubitabit quispiam quomodo Christus Dominus qui est omnium perfectissimus, manserit in vtero matris nouem duntaxat mensium spacio. conceptus.n. traditur die 25. Martij, a quo supputantur dies 275, idest menses nouem, & dies quinq. vsque ad 25. Decembris, quando creditur natus. Ex quo efficitur. vt vel dies Dominici natalis, amputatis quinque diebus, sit celebrandus die 20. Decembris, in qua sententia fuisse legimus D. Epiphanium & Clementem Alexandrinum; quibus consentire videntur ea scripta, quæ Titus Hierosolymis Romam reportauerat, cum eam vrbem caperet. aut dicatur in vtero Virginis habitasse decem menses, nouem scilicet menses, & quinq. dies decimi. Sed hæc questio facile diluitur. Vt enim accepimus a Philosophis, primigeni fetus quinque diebus in matrum suarum aluo diutius existunt, quam non primigeni. Cui opinioni fidem conciliant ex illo sapiente Salomone, de seipso dicente: Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis. Quibus verbis hoc indicare vult, quod non modo nouem mensibus in vtero matris suæ fuerit, sed tanquam fetus primigenius, etiam decimi partem aliquam, nempe dies quinque, ceperit. vt figura sinechdoche totum pro parte positum censeas, quod annotauit Tichonius regula quinta. Aut ita intellige, Salomon Hebræorum more tempora metiens, decem mensium spacio se in corpore defixum dicit. quippe menses Hebræorum breuiores sunt nostris mensibus, cum ad Lunæ cursum eos metirentur, non Solis. Vnde quoties in Scriptura sacra, siue in lege, siue ante legem quota die mensis quid factum sit, indicatur, nihil aliud, quam Lunæ ætas significatur; & alius quidem 30, alius 29, dierum mensis habetur, videlicet quia Luna spacio 29 $\frac{1}{2}$ dierum Solem sua uelocitate semper assequitur, eidemq. singulis annis solaribus duodecies, hoc est in singulis dodecatemorijs semel coniungitur. Itaq. si Lunæ

Aug. li. 4 de Trin. c. 5. cōputat dies 276. inclusiue.


Theorianus legatione ad Armenios.

Sap. 10.

circuitiones numeras, nascũtur infantes decimo mense: sin vulgares menses, nono, tempus uero idem est. Illud addamus ad Lunæ cõmendationem, Romanos ante Iulium Cęsarem menses habuisse ad Lunæ cursum accommodatos, atq; a media nocte, ad mediam sequentem, integrum diem fecisse, Lunam terris familiarissimam, nocturniq; temporis ducem in dierum ciuilium diuisione sequentes. quod notatum reliquit Paulus Patauinus Iureconsultus lib. 2. Digestorum tit. 12. qui de Ferijs inscribitur, lege 8. Hinc natæ illæ locutiones A.D.X.Kal. idest, ante diem decimũ Kalen. Cicero Philipp. vltima: Memoria tenent me ante diẽ xiiij. Kal. Ianuarij principem reuocandæ libertatis fuisse. quibus verbis eum diem significauit, quo die xiiij. Kal. Ian. dicitur, vt ex Philippica liquet. Nam dies vuulgariter est tempus inter Ortum & Occasum Solis interiectum; locutio autem illa Ante diem, vel Ex ante diem, cõprehendit etiã tempus proximum ante Ortum, quinimmo a media nocte ad Ortum. Atqui de his satis. Superest ratio physica. Qui enim naturæ secreta mirantur humani corporis formam Quadraginta quinque dierum spacio perfici tradunt, quia videlicet primis sex diebus a conceptione, lactis habeat similitudinem; sequentibus nouem, conuertatur in sanguinem; deinde duodecim solidetur, & fiat caro; reliquis decem & octo formetur vsq; ad perfecta lineamenta omnium membrorum; & hinc iam reliquo tempore vsque ad tempus partus magnitudine augeatur. sex autem, & nouem, & duodecim, & duodeuiginti in vnum collata Quadragintaquinquinque faciunt. quæ per senarium, qui huius ordinationis caput tenet, multiplicata, ducentum septuaginta conflabunt, qui dierum numerus procreat nouem menses. nã 9. ductus 30. parit 270. Quattuor etiam dictis numeris scilicet 6. 9. 12. 18. quibus corpus masculi organizatur ac perficitur, & arithmetica, & harmonica includitur proportio, quam progressionem cum vulgo vocamus, cuius vis erit conspicua, si descriptionem proposuerimus.

Esto


Esto igitur Parallelogrammum rectangulum A.G.Q.T. cuius latus A.G. quinque: latus A.T. nouem sit punctorum. seceturque A.G. in duo, & tria puncta, vbi est punctum B. latus A.T. in tria, & sex puncto C. ducantur deinde a punctis sectionum



lineæ paralleli lateribus, vt B,D,R. & C,D,E, quæ se in puncto D, inuicem secent. Ita figura B, D, E, G, continebit areolas nouem; C,D,R,T, duodecim; D,E,Q, R. octodecim; A,B,C,D, sex. Totum autem parallelogrammum Quadragintaquinque numeris areolarum, quas continet, primarum consonantiarum rationes proponit: quoniam 9. ad 6. & 18. ad 12. rationem habent sesquialteram, quæ est harmoniæ Diapente. 12. ad 9. ratione sesquitertia, quæ est in harmonia Diatessaron. 12. autem ad 6. rationem habent duplam in consonantia Diapason. parem rationem habent 18. ad 9. per 14. septimi, & 16. quinti Euclidis. Quando enim fuerint quattuor quantitates proportionales, permutatim quoque proportionales erunt, hoc est, sicut ea est proportio primi ad secundum, quæ est tertij ad quartum; sic ea est proportio primi ad tertium, quæ est secundi ad quartum. sequitur post hæc proportio tripla inter 18. & 6. quæ est Diapason diapente, quam vocant duodecimam. Adhuc etiam vniuersæ proportiones his numeris

contineri conspicuum est, primum quidem Arithmeticam, in qua medietas pari numero præstat, parique superatur. vt 6. 12. 18. nam 12. medium vtrique extremo Arithmetica medietate connectitur, senarij differentia. & extremorum coniunctio duplex est propria medietate, quia si iunxeris 6. ad 18. habebis 24. qui est 12. medio termino duplus.

Arithmetica proportionalitas.



Potest etiam Arithmetica proportio his numeris considerari: 6, 9, 12. quoniam medium tribus minorem superat, totidemq. a maiori superatur, & 12. iuncta ad 6. efficiunt 18. dup. 9.


Arithmetica proportio.



Inest adhuc consideratio Geometicæ proportionis. qualis enim habitudo 9. ad 6. eadem vtique 18. ad 12. quia vtraque comparatio

tio sesquialtera proportio est: & quæ ratio inter 12. ad 6. eadem inter 18. ad 9. quoniam vtraque dupla: quodque continetur sub extremitatibus, æquum est ei, quod sub vtraque medietate ad se inuicem multiplicata conficitur. nam sub extremis 6. & 18. continetur summa 108. quæ sub medijs etiam 9. & 12. continetur, iuxta propositionem vigesimam septimi Euclidis.

Geometrica proportio.



Licet etiam inuenire harmonicam comparationem, ex his tribus 6. 9. 18. quam enim rationem habet 18. ad 6. eandem habet id, quo 18. superat 9. medium, ad id, quo 6. superatur a 9. quia vbique tripla. Et partes quibus hi numeri seinuicem superant, triplæ similiter, nam 18. superat 9. medium nouenario, & 9. superat 6. ternario. Rursus 9. medium æqua portione superat, & superatur.

Harmonica proportio.


Tripla



Tripla.

Poteſt & dupla proportio his terminis 9.12.18.conſiderari. Partes enim ſeinuicem ſuperant ratione dupla. nam 18 ſuperat 12. ſenario, & 12. ſuperat 9. ternario. Eſt autem ſenarius ternarij duplus. Adhæc 12. proportione tertia ſuperat, & ſuperatur ab extremis. ſubtractis enim nouem, reliqua tria ſunt nouenarij portio tertia: & ſubtractis 12. a 18, reliqua 6, fiunt maioris termini, nempe 18. portio tertia.

Dupla



Dupla.

In diuinis Scripturis hoc numero deſignantur, qui corpus quadragenaria abſtinentia caſtigantes, & in ſeruitutem redigentes, quinque ſenſibus ordinate vtuntur. Quare Gen. cap. 18. propter quadragintaquinque iuſtos promittit Dominus ſe parciturum Sodomis. idem dierum ſpatium conceſſum iri a Diuina clemētia poſt mortem Antichriſti ad agendam pœnitentiam ijs, qui vel per igno

ran-

rantiam, vel per infirmitatem carnis, Antichristo consenserant, sentiunt præter alios Anselmus Cantuarien. in c. 5. primæ Thessal. & Dionysius Carthusianus. Angelus .n. apud Danielem cap. 12. terq. quaterq. beatum dicit, qui exspectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos & trigintaquinque. idest, qui vixerit vsque ad finem mille ducentorum & nonaginta dierum, quibus (vt infra demonstrabimus) duratura est atrox illa persecutio Antichristi. & in cuius temporis extremo occidendus est Antichristus, & preterea superuixerit per dies Quadragintaquinque agendæ pœnitentiæ destinatos. Nec tamen credendum est, omnes qui eo tempore fuerint, acturos pęnitentiam, siquidem multos in sua nequitia permanentes, repentinus Christi aduentus in sua maiestate, & Mūdi interitus opprimet. non secus quam diluuium eos, qui fuerunt tempore Nohe, quemadmodum testatus est Dominus.

Vide Bedam de temp. rōne. ca. 68

Gen. 7. Matt. 24. Luc. 17.

DE NVMERO XLVI.

QVadragesimus sextus numerus mystico suo calculo sacramentum inhabitationis Domini nostri in castissimo Virginis matris vtero, cum nostræ substantiæ, infirma susciperet, & tempus illius sacræ immansionis nobis conficit. Nempe Quadraginta et sex annis ædificatum legitur secundum Templum Hierosolymitanum, figura & typus sacratissimi illius Templi, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, & quod Iudæorum crudelitate dissolutum, in triduo ab eodem Domino nostro excitatum est. Verum vt figura ipsa veritati accommodetur, pro annis illis Quadraginta sex, totidem dies accipiendi sunt, in quos si ducatur senarius numerus perfectus, colliguntur dies ducēti septuaginta sex. tempus scilicet nouē mensium, quo Christus in virginali thalamo antequam de eo, vt sponsus processit, habitasse monstratur. Et hoc est templum corpo-

reum,

reum, quod sibi Christus ędificauit ex carne Adæ, cuius nomen apud Gręcos ex litteris numerum 46. comprehendentibus conflatur. Tradunt.n. Pythagorici, assentiunt Aristoteles, & Hebręorũ Cabalistę ipsa litterarum elementa certos quosdam numeros possidere, per quos ex proprijs nominibus in summam collectis, de rebus occultis elicimus sententiam, atque inde mutata fuisse nomina Abrahę, & Sarę, quo mutarentur & numeri, quos litteræ pręse ferunt. Dicebatur enim prius אַבְרָם *Abram, postea superaddita* ה *he littera, nuncupatus est* אַבְרָהָם *Abraham. Et* שָׂרַי *Sarai primum vocata est, sublataq.* י *iod, addita est* ה *he littera, & appellata fuit* שָׂרָה *Sarah. Eadem mysterij ratione Abisai dicunt ablatam fuisse litteram* י *iod, eo quod necis Abner fuerit conscius. Quare capite decimo 2. Reg. & lib. Paralipom. legitur* אַבְשַׁי *Absai. alibi vero libri Regum semper habent* אֲבִישַׁי *Abisai. Cuius rei doctrinam D. Gulielmus de Franchis Romanus neophitus nobis subministrauit. Is Vallis Vmbrosæ monachus est, tantumq. morum integritate, philosophiæ, & sacrarum litterarum cognitione præstat, vt eius Ordinis lumen ac decus merito sit existimandus. Hebraicarum litterarum eruditione sic est institutus, vt ad id vnum studium natus esse videatur. Hetrusca oratione eius doctrinæ institutio ab eo litteris prodita est, & Bergomi feliciter impressa, qua Hebraicæ lingue rationem plurimum illustrasse, atque exornasse censetur. Addunt Pythagorici, quod si duo in pugnam collati fuissent, palmam illi fauere, qui maiorem possederit numerorum summam. Hinc Patroclem dicebant nouem confici litteris, quarum summa 871 colligeret. Ideo fuisse ab Hectore interfectum, quod hic quinque litteris, quibus constat apud Gręcos, 1225 comprehenderet, maiorem vtique Patrocle summam. Pari ratione Hectorem ab Achille deuictum & superatum, quod Achillei numeri summa maior fuisset Hectorea, nempe 1276. De quibus Terentianus Maurus hęc scribit.*

Gen. 17.

Vide q̃st. D. Hieronymi in ca. 10. li. 2. Reg.

De hoc Pythagoreorũ cõméto extat in operib. Vener. Bedæ Epistola Petosyris ad Necepsũ regem Aegypti.

Et nomina tradunt ita litteris peracta,
Hæc vt numeris pluribus, illa sint minutis:
Quandoque subibunt dubiæ pericla pugnæ,
Maior numerus qua steterit, fauere palmam
Præsagia leti minima patere summa.
Sic Patroclon olim Hectorea manu perisse:
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Hinc & amicabiles dicti sunt Numeri, quorum videlicet partes vnum numerantes mutuo alterum aggregant, cuiusmodi sunt 220. & 284. nam primi numeri partes aliquotę, semel iunctæ, parturiunt 284. cuius etiam numeri partes producunt 220. Cum ergo sub aliquo numero constet omne creatum, arbitrantur Pythagorici, quæ taliter conuenerint, mutuo se diligere. Sed his missis de numero 46. differentem audiamus D. Cyprianum lib. de Syna & Sion: Omnipotens Deus ab initio Mundi, et deinceps omni homini nascendi dedit tempus: & nati nomina a parentibus suis accipiebant, non quidem ex se; sed a Deo mente impellebantur, qui antequam fiant, prescius futurorum, quales post crementum ætatis suæ futuri essent, posteriori tempore vegeti in nominibus Hebraicis designabantur. quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designabat veritatem. sicuti tunc temporis in Patriarchis completum est, secundum quod primi hominis carnem ex terra & limo esse, ex ipso protoplasto probamus veritatem. Nomen accepit a Deo Hebraice ADAM, quod interpretatur caro facta, cuius nomen ex principalibus quattuor climatum Mundi litteris apud Græcos constat, per quod innuitur, ipsum primum parentem nostrum de Paradiso eiectum, & in totum Orbem fuisse disseminatum. Nomina quippe quattuor Mundi partium, secundum Grecos, sunt Arctos, Dysis, Anatole, Mesembria, hoc est, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Ex singulis nominibus climatum tolle singulas litteras cardinales, & habebis nomen ADAM, per quod designabatur primum ADAM per Orbem dispersum, per secundum ADAM,

Eusebius Cęsar. de ppar. Euág. lib. 11.c.4.& li.7.ca.3. Item Isidor' Etymol. lib. 7. cap. 6. Esa. 40.

idest

idest, Christum, colligendum atque in vnionem fidei congregandũ. Nam de Anatole tollens A, de Dysis D, de Arctos A, de Messembria M, resultabit nomen ADAM. Quarum litterarum summa secundum Grecos est A, vnum; D, quattuor; A, vnum; M, quadraginta. ex quibus resultat numerus Quadragenarius senarius, passionem carnis Adæ designans, quam carnem in se figuralem Christus portauit, et eã in ligno suspendit. Quæ caro Dominica a Deo patre JESV uocata est. Hic ergo numerus 46. Dominicã passionẽ declarat, eo quod Sexto millesimo anno, hora Sexta passus, a mortuis resurgens, Quadragesimo die in cælos ascẽdit. Vel quia Quadraginta sex annis Templum reędificatum est, in cuius Templi similitudinẽ IESV carnem suam esse dixit, hunc in modum alloquens Pharisæos: Destruite fanum istud, & ego in tribus diebus excitabo illud. Quod sacramentum cum non intelligerent Pharisæi, dicebant: Quadraginta sex annis ędificatum est fanum istud, & hic in tribus diebus suscitabit illud? Dicebat autem IESV fanum de corpore suo. Quoniam igitur Christus de Maria corpus accepit, non de Adam peccatum traxit, templum corporeum inde sumsit, non iniquitatem quæ a Templo pellenda est. ipsam autem carnem, quam traxit de Adam (Maria enim de Adam, & Christi caro de Maria) Iudęi crucifixerunt, solueruntq. Templum Quadraginta sex annis exædificatum; ille vero triduo suscitauit illud. Hactenus ferme Cyprianus. Quod si quis nobis obijciat esse ambiguum, ex qua officina prodierit tractatus ille de Syna & Sion, legat is August. tract. nono & decimo in expositione Iohannis, legat Bedam, legat Clementem Alexandrinum. ij enim fusius de hoc mysterio locuti sunt. Illud monendum superest, per illos Quadraginta sex annos, quibus templum Hierosolymitanum a Iudæis de captiuitate Babylonica reuersis diximus instauratum, intelligendos esse sex et quadraginta dies, quibus corpus Christi in sacratissimo Virginis vtero est absolutum, quo ad augmentum, non quo ad formationem. Neq; n. sacrosanctum Domini nostri corpus sensim per dierum curricula figuratum

Act. 1. Eadem Hieron. in Ezech. 9.

Iohan. 2.

ratum est in vtero Virginis & effigiatum, perinde atq; in nostra ipsorum generatione masculi corpus certo quodam dierum spacio dicitur in vtero materno formari; sed vno (vt ita dixerim) eodemque momento atq; articulo, sacratissimæ Virginis consensum protinus sequente, sanctum Christi corpus omnino completum, absolutũ, & lineamentis corporis, figuraq. membrorum omniquaq. consummatum fuit. quod non intactum reliquit D. Tho. par. 3. q 33. ar. 1.

DE NVMERO L.

MVlta Quinquagenarij Numeri inueniuntur symbola Ecclesiæ in diuinis scripturis. Primo loco suę originis & radicis, a qua denominationem habet. s. quinarij, naturam sapiens, designat quinque corporis sensus. Nempe sicut senarius perfectionem operum demonstrat: ita præsens numerus vniuersa bona opera, quę perficiuntur per quinque corporeos sensus. quinquies. n. deni, quinquaginta fiunt. Hinc a Dominica Quinquagesimæ, vsque in diem sanctum Paschæ, Quinquaginta dies computantur: quoniam si quis per quinque sensus, idest, per exteriorem administrationem, decem verba legis impleuerit, hic proculdubio ad consortium beatæ resurrectionis, quæ in Pascha celebratur, est peruenturus. Secundo vero Quinquagenarius remissioni & indulgentię consecratus est. Nam spiritualis Nohe Christus Dominus in arca sua, in qua genus humanum de interitu liberat. i. in Ecclesia sua, hunc Quinquagenarium remissionis numerum in latitudine collocauit. nisi enim remissionem peccatorum donasset credentibus, non fuisset per Orbem terræ diffusa Ecclesiæ latitudo. Quare apud Moysen, vbi Deus tractat de indulgentia Sodomorum, si forte possent ad veniam peruenire, huiusmodi mysteriorum conscius pater Abraham a Quinquagenario numero incipit pro indulgentia Sodomorum supplicare Domino, dicens: si inuenti fuisset

Gen. 6. 3. Reg. 7.

Orig. in homil. 2. in Gen.

Ambros. lib. de Salom. c. 4.

Gen. 18.

Quin-

Exho. 36 *Quinquaginta in Ciuitate, num saluasset illam propter Quinquaginta? Sic vndecim saga cilicina, quibus Decalogi trāsgressores significantur, Quinquagenis ansulis sibi sociantur, propter pœnitentiæ signum, & spem indulgentiæ. Huius est doctrinę, quod apologia Regis David calculo Quinquagenario constituitur, quæ proprie vox est pœnitentiæ & remissionis. licet enim in toto Psalmorū libro septem Psalmi pœnitentium esse doceantur, Ecclesiarum tamē vsu receptum est, vt quoties peccatorum petitur venia, per Quinquagesimum Psalmum magis Domino supplicetur. Nam & hunc Psalmum licet iterare frequenti meditatione, nec nobis impedit ad honores Ecclesiasticos expetendos. si vero a Sacerdote supra nos pœnitentię voto dicatur, quoniam ex persona datur, iuste a Canonibus vetamur vltra accedere. quidquid enim in Christi nomine percipimus, inuiolabile nobis, & definitiuum decet esse iudicium.*

Psal. 50.

Cassiod. Senat. in Psal. 50.

Cap. 18 *Legimus in Exhodi lib. quod Iethro sciens minus intentum humanis actibus animum Deo quodammodo vacuari, hoc Moysi consilium dederit, nempe vt constitueret Quinquagenarios in Israelitico exercitu, qui in capite essent Quinquaginta militum. Vnde apud Esaiam scriptum est, quod Dominus auferet a Hierusalē Principem super Quinquaginta. Et in Reg. historia, impius Rex mittit duos Quinquagenarios cum subditis sibi militibus, vt exhiberent Heliam, qui diuino igne consumti sunt. tertius autem saluatur ex eis, qui conuersus ad preces, pœnitentiæ sacramenta cognouerat. Semper. n. Quinquagenarius numerus refertur ad pœnitentiā & remissionem peccatorum. princepsq. remissionis, & caput eorum qui per pœnitentiam salutem assequuntur, Christus est; Iudæi vero non volentes Dominum esse perfectum, nec principem Quinquagenarium, dicunt ad eum: Quinquaginta annos necdum habes, & Abraham vidisti? & ille sciens se esse non solum pœnitentium principem, sed & iustorum, respondit: Antequam Abraham esset, ego sum. quod autem Dominus princeps sit Quinquagenarius, ex vna festiuitate intelligere vel facile possumus, de qua ait: Dominus est*

Cap. 3.

4. Reg. 1

Iohan. 8.

Matt. 12.

ſabbati filius hominis, quod ſi ſabbati, & Kalendarum; & ſi Kalendarum, & Paſchæ, ideſt Azymorum; ſi Paſchæ, & iubilei; ſi iubilei, & tabernaculorum; ſi tabernaculorum, & Pentecoſtes, de qua mox dicemus. Ad idem myſterium refertur quod Apoſtolus apud Epheſios, quibus myſtica quæq. diſſoluerat, vult permanere vſque ad Pentecoſten, donec perfecte ad Dominum cõuertantur, dicens: Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens; ſed aduerſarij multi. Eo etiam referendum videtur, quod ſanctorũ aſſeruationem ac cuſtodiam, non quibuſuis committit legiſlator, ſed Leuitis duntaxat numerum ſortitis Quinquagenarium, annunciantem remiſſionem & libertatem. Hæc eſt (inquit) lex Leuitarum a triginta annis ingredientur, vt miniſtrent in tabernaculo teſtimonis, & a Quinquageſimo anno miniſtrare ceſſabunt, ſuccedente fratre in miniſterium. Huc itidem facit, quod de preda, et ſpolijs tam de hominibus, quam de iumentis, Quinquageſimum caput iubet ſumere Sacerdotes, & Quinquageſimum Leuitas, qui fores cuſtodiunt tabernaculi. & de Madianitarum ſpolijs Domino Quinquageſima delibatur. Ad huiuſmodi myſterium ſpectat parabola, de qua Saluator dicebat in Euangelio. Homini cuidam fœneratori erant duo debitores, vnus ex ipſis debebat denarios quingentos, & alius Quinquaginta. non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. Quinquaginta lagenę apud Aggeum, ſignificant remiſſionem per IESV Chriſtum: ſed Iudeis fiunt viginti, quia ſolum confitentur duos denarios in ipſo, nempe natiuitatem, & mortem: ſed negant tres, videlicet reſurrectionem, aſcenſionem, & aduentum ad iudicium. Non preterierim quod S. Hieronymus in reſponſione IESV de dimittendis peccatis, ſeptenarium dixit in ſe multiplicatum, numerum conficientem 49. ſeptenarij quadratum, vnde laudetur & villicus iniquitatis de prudentia, qui centũ, non ſine myſterio, reduxit ad Quinquaginta, vt inde facilius miſericordiam conſequeretur. Ceterum quia de ſeptenario huius numeri radice cecidit ſermo, illud memoria recolendum, ſeptenarium nume-

Matt. 12. | 1. Cor. 16. | Num. 8. | Num. 31 | Luc. 7 | Cap. 2. | Rupert. | Matt. 18. | Luc. 16


rum magno ſemper in precio fuiſſe tum apud Hebræos propter Sabbatum, quod apud illos aſſidue celebratur, tum apud nos propter ſeptiformem Spiritus gratiam. Nec in hebdomadis ſolum ſeptenario ſuus conſtat honor, ſed etiam in hebdomadarum hebdomadis. Hebdomades autem dico, non dierum tantum, ſed & annorum quoq;. Ac annorum quidem hebdomada, ſeptimus eſt annus, quo terrã incultam, & inaratam requietis ipſius cauſſa relinquere iubebantur, ſponteque naſcentibus acquieſcere. debitumque omne relinquere, atque Hebręos, qui ſeruituti aſtricti erant, libertate donare. Annorum autem ſeptimanæ Iubilęum conficiunt, quo non modo eadem hæc facere, ſed & ſeruos ethnicos manumittere atq; prædiorum emtorum poſſeſsione veteribus dominis cedere lege cautũ erat. Dierum pariter hebdomadę Pentecoſten faciunt inſignem apud Hebræos, et nobilem diem, ac diuinitus nomen conſecutum. de quo hæc ſcribit Philo Alexand. de his diſſerens, qui totam vitam ex Moyſis inſtituto, dedicarunt cognitioni naturæ contemplationique. Hi numeros, inquit, in primis obſeruando, poſt ſeptem hebdomadas elapſas, conuentus ſuos inſtaurant, venerati non ſolum ſimplicem ſeptenarium, ſed et vim eius multiplicem. Caſtam enim ſciunt hebdomadam, & ſemper virginem. Is dies profeſtus eſt maximæ feſtiuitatis, incidentis in numerum Quinquagenarium ſanctiſſimum, et naturæ gratiſſimum, cõſtantem ex vi rectangularis trianguli, quod eſt initium generationis rerum omnium. Sic Philo, cuius verba, quia quadam difficultate, & obſcuritate videntur implicata, in gratiam Quinquagenarij explicabimus. Quorundam ſane Philoſophorum fuit comprobata ſententia, principia rerum naturalium ex Geometricis figuris fieri, quod ex lineis ſuperficies, ex ſuperficiebus fiant corpora trina dimenſione contenta. ceterum quia figurarum prima eſt triangulus, vti circulus eſt finis earum; ac triangulorum maximus eſt rectangulus, data paritate circumferentię, ideo analogice dicitur triangulus principium generationis rerum omnium. Quod vero numerus Quinquagenarius conſtet

Deut. 15

Leuit. 25.

Libro de vita contemplatiua.

ſtet ex vi rectangularis trianguli, quę ſequitur figura demonſtrabit. ſit triangulus orthogonius a b c, cuius rectus angulus ſit b, contentus a duabus lineis a b, & b c, quarum altera ſit Rad. 32, altera Rad. 18, harum quadrata faciunt 50, Et hęc eſt vis ſeu potentia lateris a c; latus vero ipſum, Rad. 50, Cum ergo quinquagenarius numerus ſit potentia lateris oppoſiti angulo recto contento ab illis duabus lineis, quorum radices conſtituunt 50. Ideo iuremerito



Philo dixit Quinquagenarium numerum conſtare ex vi rectangularis trianguli, Atqui de hoc ſatis. Sublimiori inueſtigatione, ex his quę adduximus de anno remiſsionis, alia ſeſe offert admodum myſtica Quinquagenarij ſignificatio, ſicut & anni Iubilęi. hoc enim numero deſignatur nobis perfecta ęternę vitę requies, quæ poſt generalem, & nouiſsimam reſurrectionem Iuſtis confe-retur. Septenarius enim, qui quietis poſt laborem numerus eſt, in ſeipſum multiplicatus, quadraginta nouem conſtituit, ſolidę firmæque quietis indicatiuum numerum. cui ſi vnum addas abſolutæ, completę, & pleniſsimę quietis ſignificatiuum, conſurgit Quinquagenarius numerus, qui non ab re ſtatum exprimit futurę reſurrectionis, in quo vnuſquiſque Iuſtorum reuertetur in poſſeſsionem ſuam, ſiue patriam, ſcilicet paradiſum, quę vera eſt Beatorum patria. Cęteraquoque anni Iubilęi propria priuilegia ad litteram explicata, ad quietem illam ſupernam adaptari vel facile poterunt, in qua non ſerendum, neque metendum, quia tunc amplius operandi non erit tempus; ſed operum mercedem percipiendi. Hunc quidem vnum ab eo, qui proprie vnus eſt, ex futuro ſeculo, velut imaginem ac figuram, adiecit

Cypria. li. de Spiritusſcti.

adiecit Spiritus sanctus, octauum eundem ac primum; octauum quidem præcedentium numerorum ratione et adiunctione; & quia sequitur septimum. (septimus enim præsens est seculum, vtpote quod per hebdomadas numeretur) primum autem vt diuinæ ac cęlestis Reipub. atque immortalis vitæ principium, vel vt eximium & excellentem, vel vt rectius loquar, quoniam primus dies ratione secundi, & tertij, & aliorum deinceps sequentium dicitur. Dies autem futuri seculi nullos alios dies sibi succedentes habet, nec Solis occubitu extinguitur. idcirco solus ille vnus nominandus est, vt successore carens, finisque nescius, nec iam nocte intercisus, verum sempiterno fulgore coruscantem, nec vnquam occumbentem Solem habens. Hinc fit, vt in diuinis litteris quotiens in singulari numero dies ponitur, venturus ille significetur, qui noctem non patitur, de quo scriptum legitur: Et erit illi Dominus lumen æternum. Et in quodam Psalmo dicitur, quia melior est dies vna in atrijs Domini super millia. Merito igitur vnum hunc diem, qui ad Quinquagenarium explendum desideratur, ex futuro seculo accepimus. Necesse est enim in illius seculi statum desinere sabbatismum illũ, qui animis nostris in hac vita contingit, hoc est, cessationem illam a mundanis operibus, quam mors affert; quemadmodum septenarius in octonarium desinit, vt hac ratione curæ nostræ partem septem impertiamur, hoc est, huic vitæ, atque ita demum octo, idest, futuræ; nimirum, vt non huius tantum vitæ cura, & solicitudine tangamur, sed etiam futuræ. sic enim nonnulli illum Salomonis locum intellexerunt: Da partes septem atq; etiam octo. Septem quidem hanc vitam nominantes, vt quæ eadem cum septenario numero mensura finitur; octo autem, futuram. Is porro suam vtrique vitæ partem dat, qui hic quidem bonis actionibus atque operibus incubuit; in altero autem seculo restitutus est, hoc est, in cęlestium bonorum perceptione constitutus. Atq; id notatu dignum, a nobis haud multum dissonare Pythagoricos, quando octonarium appellant cubum, cum septem errantibus inerrantẽ sphęram connumerantes, per

Esa. 60. Psal. 83.

Eccl. 11.

Clemẽs Alexan.

quas

quas annum magnum fieri censebant, veluti quãdã in periodũ remunerationis eorum quæ sunt promissa; octauum nempe orbem, quem cęlum dicimus, & firmamentum, in quo omnes quas cernimus stellæ præter septem errantes continentur, extremum atq; vltimum esse credidit ætas Aristotelis, Ciceronis, & Plinij, solumq; perpetuo cursu ab ortu in occasum ferri, atq; ideo ab firmitate, et cõstantia motus, Firmamentum vocauere. At recentiorum diligentia duas alias supra eum sphęras adinuenit, quod hic orbis tribus impellatur motibus (neque.n. potest corpus vnum plures vno proprios habere motus) Primo quidem eoque proprio cursu, quem tum accessus et recessus, tum trepidationis motus appellarunt, fertur ab Austro ad Septemtrionem, & inde rursum in Austrum. cieturque hĩc motus circulis duobus paruis ab Arietis, & Libræ initio in orbe octauo circum principia Arietis, et Libræ orbis noni, perficiturq; circuitus septem millium annorum interuallo. Secundo, qui motus Mundi, & raptus cognominatur, quod eo vniuersa circumagãtur, præter quattuor elementa, cum decimo, & nono communis, quotidie ab exortu per meridiem in occasum decurrit, circulum absoluens horis quattuor, & viginti. Tertio, ab occasu in ortum, spacio annorum quadragintanouem millium perficitur motus, nonum orbem imitatus, quo vertentium annorum numero noni orbis proprius perficitur cursus, ab occasu per meridiem in ortum circum axem Zodiaci deuolutus, qui motus augium, & stellarum fixarum dicitur. quo sane motu stellæ, quæ sunt in Firmamento, variantur de signo in signum respectu Zodiaci primi mobilis. Vnde Pleiades stellę fixæ, quæ iuxta figurationem sunt in capite Tauri, in Firmamento respectu Zodiaci superioris sunt in vigesimo tertio gradu Tauri. Et hic est annus ille mundanus magnus, & Platonicus, quo cuncta astra ad eundem locum, vnde semel sunt profecta, redeunt, eandemque totius cæli descriptionem longis interuallis referunt. De quo istiusmodi versus in volumine quodam inueni.

An nouus Mundi redijt Platonis
Annus; & quidquid fuerat peractis
Omnibus cœli spacijs refertur
Ad rude corpus.

Huius anni hiems est cataclysmus, quem nostri diluuium vocant; æstas autem empyrωsis.i.exustio, quod est Mundi incendium. Christianis quidem omnibus hoc plane persuasum habetur, Mundum hunc duplici exitio obnoxium. semel quidem aquarum cataclysmo, quod iam re ipsa consummatum in ortu Mundi ex mysterijs num. 17. & 27. didicimus. rursus in fine seculi Mundus ignis incendio deflagrabit, qua deflagratione secundo delebitur impietas hominum. Quod præter Christianos, & primi seculi homines, non latuit Ouidium, qui lib. 1. Transformationum hæc canit.

Vide quę de duabus colũnis scribit Iosephus antiquit. li. 1. c. 4.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.

Libro 7. Phar. sal.

Lucanus stomachans in Iulium Cęsarem, quod cęsos a se in Pharsalico prælio cremari noluerit, quod tum honestum sepeliendi genus erat, solatur eos, tandem fore vt omnes vltimo Mundi incendio deflagrentur.

Hos Cæsar populos si nunc non vsserit ignis
Vret cum terris, vret cum gurgite ponti.
Communis Mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus.

Sed ab his accedamus ad Euangelium. nam & nos quinquagesimum diem Hebræorum more colimus, quamuis, vt dictum est, illud intersit, quod illi propter sabbatum, hunc diem habẽt sacrum: nos autem propter aduentum Spiritus sancti. quemadmodum & alia quædam sunt in lege Moysis, quæ apud eos quidem per figuram, & adumbrationem peraguntur, ac celebrantur; a nobis aũt mystice & vere restituuntur ac perficiuntur. quo in genere illorum est Circuncisio, & noster Baptismus; eorum Iubilæus, quo terræ fit remissio & seruorum libertas, & noster Iubilęus; quo

peccata

peccata dimittuntur, & a diabolica seruitute liberamur per Spiritum sanctum. Illorum etiam Pascha, agnus sensibilis: nostrum, Christus. Quemadmodum .n. in veteri Testamento Quinquagesimo die, post immolationẽ paschalis agni, Moyses digito Dei scriptam legem accepit in monte, a qua Pentecostes nomen accepit tantæ rei solennitas; Ita quando Pascha nostrum immolatus est Christus, peractis Quinquaginta diebus, in linguis igneis super Apostolos descendit Spiritus sanctus. Et his multum concordant Cabalistæ, qui numerum Quinquagenarium attribuunt Spiritui sancto, qui apud eos etiam per ignem significatur, tum quia purgandi vim spiritus habet, veluti ignis ille de quo Christus loquebatur: Ignem veni mittere in terram, & quid volo si iam accensus est? hoc est, euangelica prædicatio, quæ ignis more credentium peccata purgat atq; abolet. tum etiam propter essentiam. scriptum.n. habetur in Deuteronomio: Dominus Deus tuus ignis consumens est. præter hæc apud Cabalistas Spiritus sanctus est tertia persona siue proprietas in diuinis, procedens a prima, & a secunda, quæ secunda dicitur sapientia, & procedit a prima, & differt ab vtraq; solum ratione processionis, quemadmodum sed quod procedit differt ab his a quibus procedit, cum sit tamen per substantiam & essentiam idẽ cum illis. Vocant etiam eandem tertiam proprietatem Pœnitentiam, quod concordant modo dictis, vt idem sit numerus Spiritui sancto attributus, qui & pœnitentiæ sacramento. Vnde & illud possumus colligere, Peccatum in Spiritum sanctum proprie peccatum esse impœnitentiæ, quod nec in præsenti, nec in futuro seculo remittetur. Quando enim isthinc excessum fuerit, nullus iam locus est pœnitentiæ, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur, hic æternæ saluti cultu Dei, & fructu fidei prouidetur; Quamobrem ad eum, qui longioris vitæ fiducia, & exspectatione, corruptissimæ vitæ emendationem semper differt, eaque procrastinatione deceptus, inopinatæ tandem mortis superuentu miserrime circumuoluitur, peritque, legitur in litteris

Exho. 31
Act. 2.
Io. Picus.
Luc. 12.
Cap. 4.
Gregor. mor. lib. 16. c. 31.
Cyprianus trac. 1. contra Demetr.

Eccl. 5. *diuinitus inspiratis dictum: Fili ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, quia nescis quid futura pariet dies.*

Horati⁹ lib. 4.
Quis scit an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dij superi?

Eccli. 14. *Qui tardat conuerti, periculum facit animæ suæ, quia mors non tardat. Homerus in Iliade Rhapsodia quarta testatur Deos nonnunquam differre pœnas nocentium; sed tandem persoluere cum magno fœnore, ipsis supplicio affectis cum vxoribus & filijs.*

Haud impune sinunt superi scelera impia, quanquam
Distulerint culpas hominum, grauiora morantur
Supplicia, æterni si qua est sententia cęli.

Libro 1. *Celebratissima illa sententia Valerij Max. & quæ vel mediocriter doctis in ore est: Lento. n. gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.*

DE NVMERO LX.

SExagenarius prima est mensura ijs, qui tractant Astronomiam. Nam erudita & ingeniosa antiquitas ne multas paginas, quod adhuc fieri solet, tacitis numeris impleret, coacta fuit certa numerandi compendia, ac certos quosdam numeros inuenire, quibus vteretur facile in immensa magnitudine vniuersitatis, & cæli in quo versatur. Magni enim circuli sunt diuidendi; varij & multiplices planetarum motus sunt obseruandi: Ephemerides conficiendæ. Quare ex cunctis numeris duo delecti potissime duodenarius, & Sexagenarius, vterque quidem vnica de causa, quod facile in tenuissimas quasque partes rumpi, & distrahi posset. Habet enim Sexagenarius semissem, 30. trientem, 20. quadrantem, 15. sextantem, 10. præterea partem quintam, 12.

tum decimam, 6. duodecimam, 5. decimamquintam, 4. vigesimam, 3. trigesimam, 2. sexagesimam, 1. Et ideo sexagenarius numerus, eorum qui infra centum sunt, aptissimus est diuisionibus conficiendis; quemadmodum, & numerus quinquies mille, & quadraginta, quem Plato commodum duxit in agrorum, tribuum, & domiciliorum diuisione, quod multas habeat partes diuisibiles. Omnia igitur integra, quæ non habent partes vsitatas, Astronomi partiti sunt in Sexaginta partes. Nam gradus, siue partes, & horas secant in Sexaginta scrupula prima; vnum scrupulum primum, in sexaginta secunda; secundum vnum, in sexaginta tertia; similiter tertium, quartum, quintum, in quarta, quinta, sexta. qua ratione licet semper progredi, quoties calculi vsus requirit. Neque motuum numerandorum gratia tantum artifices circulorum gradus in minuta, secunda, & tertia, per Sexagenariam diuisionem continue partiti sunt; sed eodem modo etiam temporis distributio initur; diei quippe in scrupula prima, secunda, & tertia; horæ quoque, in scrupula prima, secunda, & tertia, ob accuratiorem temporis mensurationem. Nec solum partes, seu gradus circulorum velut integra, in minutissimas ac subtilissimas quasque particulas Sexagesimas distribuunt, perpetua diuisione Sexagenaria: verum ipsa quoque integra eodem Sexagenario colligunt, seu coagmentant, vt fiant Sexagenæ partes, idest, sextans circuli, qui duo dodecatemoria, seu sexaginta partes continet, & vnam Sexagenam primam constituit. Et Sexaginta sexagenæ primæ, idest, decem integri circuli, vnam sexagenam secundam efficiunt, & sic vlterius ascendendo. Ad hunc igitur modum in accumulandis, seu coaceruandis integris ascendunt, donec vsus postulet. Nec illud ignorare debemus, quod nos in 360. gradus circulos secamus, Græci vero in Sexaginta tantum partes, quarum singulis, sex Latinorum gradus respondent, quod numerus 360. constet ex Sexaginta senarijs, quos Manilius in circulis parallelis secutus est.

De legibus li. 5. & 6.

Prisca Romanorum theologia inter sacros Sexagenarium numerum collocauit. vt.n. scribit Dionysius lib. 2. præter gentilia sacrificia, Sexaginta Romulo regnante designati sunt publici Sacerdotes, qui publice pro ciuitate sacra tributum & curiatim facerent. Quos cum alij temere plerunque atque inconsiderate eligant, quidam licitatoribus hunc honorem proponentes, quidam committentes sortibus; ipse neque venalia voluit esse sacerdotia, neque sorti subdita; sed lege sanxit vt e singulis Curijs legerentur bini annum ingressi quinquagesimum, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, sensumq; sufficientem haberent, et integro essent corpore. Apud Aegyptios etiã religioni sacer fuit Sexagenarius numerus. Quandoquidẽ quos ipsi pro Dijs habent Crocodili, sexaginta annos (teste Philosopho) viuere dicuntur, & dentes eodem numero habere, totidemq; diebus in secessu quiescere quotannis sine cibo; Sexagenis praterea diebus oua parere Sexaginta, totidemq; dies excludendo fœtui impendere Deniq; in hoc animali inesse vim præsagiendi probant, cum eo loco oua ponat, quo exundationis Nili terminus esse debet. Itaq; cui ea primum obuiam facta fuerint, is reliquis agricolis prædicit, denuntiatque quousque Nilus assurgere debeat. res quidem admiratione digna. Illud addit Plutarchus, quod cicuratus cõdocefactusq. ab homine Crocodilus, non modo humanam vocem audit, vocatusq. respondet; sed & manu tractari se patitur, deductaq; gula, dentes sibi scalpi, & mantili abstergi. Solusque animalium elinguis esse comperitur. quare huiusmodi animal fuit Aegyptijs exemplum Dei, quia voce Numen nihil indiget; sed iter iustitiæ citra vllum conficiens sonitum, res humanas iuste temperat. Aiunt etiam huic soli in humore versanti oculos a membrana tenui ac pellucida contegi, quæ a fronte descendat, ita vt videns nõ videatur ipse; qua in re principi Deo respondet, de quo confidenter hęc cecinit Onomacrites Atheniensis, cuius esse dicũtur Poemata, quæ Orpheo adscribuntur.

Plut. de Iside, & Osiride.

Arist. de natu. an. li. 5. c. 33

Clemẽs Alexan. Strom. 1.

Vnicus ex se natus, sunt atque omnia ab vno.

In

In his ingreditur, nec quisquam respicit illum
Mortalis verum ipse immensus respicit omnes.

In diuinis scriptis magnarum rerum sacramenta continet numerus quem dilucidamus. primo enim viduarum statum, & post mortem coniugis in cœlibatu viuentium, continentiumque conditionem significat. Nec dissentiunt Physici, quibus viduitas hoc numero designata, quod mulier id ætatis nata haudquaquam amplius idonea est ad conceptum, propterea quod ab eo annorum numero claudi vuluam Philosophi naturæ cōtemplatores tradunt: ideoq. vlterius illi nubere non licebat. cui legi plurimum nititur Aemilianus contra Lucium Apuleium; si qua vero, quod aliquando accidisse ferunt, natu tam grandis concepisset, ostenti loco habitum. Quare Helisabetis conceptus grandæua illa ætate pro miraculo adducitur a diuino nuncio, vt Virgini Deiparæ fidem faceret posse Deum quæcumque naturæ vim excedunt, efficere. Sara etiam cum a summo Numine sibi iam nonagenariæ promitti conceptum audisset, risit; vtpote quæ id naturæ lege fieri minime posse cognoscebat. Paulus quoque, qui Sexagenarium numerum viduitati dicatum agnoscebat, illi inquam viduitati, quæ vera viduitas est, castaq. sincera, & non incontaminata in solitudine perseuerat, vbi probatam mulierem eligi mandat, quæ iunioribus præsit: Vidua, inquit, eligatur non minor Sexaginta annorum, ad eum vsque numerum scilicet perfectionem in muliere designans. Et quia est viro infirmior, nonnisi Sexagesimum fructum colligit in diuinis litteris. Ideo si se redẽptura sit mulier in Leuitico, didrachmas triginta offert. i. fructum Sexagenarium. Eruditeq. admodum Hieronymus in Iouin. caussam, cur Sexagenarius numerus ad continentes, & viduas referatur, explicare volens, ad numeri ipsius hieroglyphicum se confert, in quo s. pollex a superiore digito deprimatur, arcteq. ab eo in quantis affligatur angustijs, & tribulationibus ipsa viduitas ostentet, quę ita sit vndecunque cohibita. maiorem enim habent molestiam, atque difficultatem, ob pręteritas nuptias

Luc. 1. Gen. 18. 1. Tim. 5. Matt. 13. Aug. lib. 83. quęs. & in Ciuit. li. 15. c. 26. 27.

conti-

D. Ambros. in pricipio libri de Viduis. Vid. Glo. in cap. 2. in ver. facilius de penit. distin. 3.

continendi, quam quæ nuptijs sunt addictę, legitimum thorum inuiolatum obseruandi, ampliusq; se abdicant a Mundi voluptatibus, soli Deo hærentes. Hinc illud addit idem Hieronymus, ad consolationem: Quanto scilicet maior est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius propositũ est pręmium. Atque his, quæ diximus, veritatis fert testimonium Psalmus Sexagesimus, qui fidelibus Domini Sexagenaria præmia pollicetur. Neque enim Viduarum dumtaxat status; sed & virorum etiam cœlibatus hoc numero demonstrati. Eo siquidem natu homo ad casum fere deducitur. Ad quod respiciens Tiberius Cæsar lege Papia Poppia (sic .n. legendum est, non Pompeia) cauit, ne Sexagenarij viri, & supra eã ætatem vxores ducerent. quod turpe visum esset, & fœdissima res senectuti, vt quibus ad eam ætatem sors liberos minime dedisset, aut cœlibes vixissent, his quasi emeritis, ætate affecta, aliunde liberos quęrere libido foret. Sexagenarius pręter hęc perfectionem obseruationis Diuinorum mandatorũ recte designat, vt qui constet ductu senarij in denarium, quibus numeris asserunt Hebręi infinitam Diuinarum virtutum copiam significari, eo quod denarius, antistite Augustino suffragante, totius scientiæ & sapientiæ plenitudinem; senarius autem vniuersarũ rerum virtutem designare soleant. Nam summam inter homines perfectionem, & puritatem eius, quæ in agendo versatur philosophiæ, cuius finem dicunt esse bonum, quod quidem est ipse Deus, sola perfecte charitas, quæ per senarium suarum partium numerum recte perficitur, constituit. in quibus partibus in seipsum aperte suscipit eam, quæ in egentes exercetur, benignitatem. Misericordibus enim misericordia repensans misericordiam, & vt munificus tribuens dona eius, quæ illic est, beatitudinis, cum iam digni habiti fuerint, vt stent a dextris, dicet: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi. Esuriui .n. & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; eram

Lactan. Fir. lib. 1. capit. 16. Trãquill. i Claudio.

Augus. de quęst. Euãg. li. 1. cap. 9. & ca. 12.

Lib. 83. quæstio. cap. 55.

Matth. 25.

eram in carcere, & venistis ad me. tunc respondebunt ei Iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus; sitientem, & dedimus tibi potum. Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te. aut nudũ, & cooperuimus te. aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te. Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecestis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Hac de caussa vniuersitatem ac perfectionem notare videntur tum 60. tum 600. Apud Troglodytas habetur lapis, quem vocant Hexecontalithon, quod est sexaginta lapidum, quoniam hic lapis in parua magnitutine multicolor inuenitur, nomen ob id Sexaginta adaptans sibi. præterea Sexaginta vrbes quas a populo Dei vastatas legimus in regione Og regis Basan, idest, diaboli, qui est rex turpitudinis, significant omnem vitiorum delectationem esse perfecte destruendam. Si abundantius adhuc Sexagenarij numeri placet colligere sacramenta. Annus Sexagesimus est vita spiritualis. Homo qui votum fecisset, & spopondisset Deo animam suam, a vigesimo anno vsq; ad sexagesimum dare tenebatur Sexaginta siclos. vt apud Leuit. cap. 27. & Plato belli tempus in viro metitur in annis viginti ad Sexaginta. existimans in hoc præcipue tempore homines ad hoc officium corpore vegetos, validosq; existere. Porro Sexasimum humanę ætatis annum esse fatalem censuit Mimermus, quem tamen a Solone redargutum scribit Laertius, monuisseq; vt Octogesimum qui sola monade cadit a nouenarij quadrato, scriberet. Hebręi hunc ætatis annum senectuti adscribunt. vt.n.in Dictionario Hebraico refert Dauid de Pomis consuetudo apud priscos Doctores Hebræorum fuit, in Sexagesimo anno conuiuium agere, presertim dum filios possiderent. dicebant.n. Deum ob grauissimas culpas, aut hoĩem ante sexagessimum annum, aut filios ante mortẽ patris rapere. Sexaginta cori farinę in cibum Salamonis per singulos dies, perfectionem operum designãt. Longitudo templi Salomonis Sexaginta cubitorum, fidem sanctæ Ecclesiæ designat, per quam longaminiter inter opera

Deut. 3.
Glo. ordin.
Diog. in Solone.
3. Reg. 4.
3. Reg. 6
Beda.

Ezech. 40.

sua bona, prauorum aduersa tolerat. Sexaginta cubiti in Templo, notant perfectionem Mundi & operum, quia sex sunt dies in quibus oportet operari, & in sex diebus omnem cursum nostræ bonæ operationis perficimus. hinc in Canticis capte sexto legitur, quia Salomoni Sexaginta sunt Reginæ. quod exponens ille Carpathiorum magnæ grauitatis antistes Philo: Per Sexaginta (inquit) Reginas, eos omnes significari arbitror, qui ante legem, & in lege ipsa sanctissime vixerunt; quod hi naturæ legem iustissime seruantes, senarij numeri, quo quidem omnia a summo ipso Deo rerum omnium conditore patrata constant, mysticam perfectionem acceperunt; illi vero decalogo æquissime parentes, Diuinam gratiam meruere. sex enim decies multiplicata, Sexaginta reddunt. Consentit Theodoretus Cyrenen. Episcopus, qui edisserens illud dictum Canticorum tertio capite: En lectulum Salomonis Sexaginta fortes ambiunt ex fortisisimis Israel, dicit, Sexagenarium numerum hic positum, non vt hanc exprimat quantitatem; sed vt indicet viros in veteri Testamento sanctitate præstantes. Numerum enim denarium (ait ille) perfectum esse contendunt; senarium autem illis congruere qui erant sub lege. Gloßa item ordinaria lectulum Salomonis dicit esse Ecclesiam Christi, vbi ille dicitur quiescere & cubare, quam animorum fortitudine septi, verboq; Dei muniti Pontifices, Doctores, & Declamatores custodiunt, qui Decalogum legis perfectione operum implent, et denarium retributionis pro perfectione operum expectant. Quod posterius ideo dictum intelligatur, quoniam denarius (vt suo expositum est loco) interdum retributionem operum in altero futuram seculo, designat, eo quod pater familias cuique operariorum, qui laborauerunt in vinea, singulum dedit denarium, tanquam diurni operis mercedem. Non tamen omittenda sententia Gregorij Nysseni, & D. Maximi asserentium per numerum, de quo agimus, intelligendos qui sensus optime regunt. Quare Sexaginta fortes symbolice referent cogitatione efficaces, qui Diuina

na virtute vndique tuentur animam ad Dei requiem præparatam, aduersus fallacias spirituum improborum. Ratio enim quæ quinque sensibus corporis præest, simul cum ipsis sensibus accepta, senarium conficit numerum. at cum Diuina præcepta, quę sunt decem numero, is, qui sensibus ratione imperat, perficit, numerum absoluit Sexagenarium, ex virtute viuens, vt dictum est. Vel etiam fortes illi numero notantur Sexagenario, quia quinque corporeos sensus ad regulam Apostolicę doctrinę temperant. Duodenarius enim per quinarium multiplicatus, reddit Sexagenarium. Breuitatis ergo quamplurima alia omisimus, quę in huius numeri laudem produci potuissent testimonia.

DE NVMERO LXX.

SEptuagenarius numerus ex denario Septenarioq. compositus, primo Euangelicā septiformis Spiritus sancti gratiam, & legis, cuius decem præcepta sunt, veram designant scientiam. sic phiala argentea habens in pondere siclos Septuaginta, ostendit obseruationem mandatorum non nisi per gratiam Spiritus sancti, qui in nouo Testamento manifestius datus est, perfici posse. Vnde & apte hęc vasa plena similia conspersa oleo in sacrificium fieri iubentur, quia spiritalis scientia in lege, & in Euangelio inesse omnibus recte credentibus, & rite intelligentibus patet; quæ Spiritus sancti gratia dispensante ad hominum salutem conscripta atque prolata est. Secundò loco presens numerus, propter septimam Sabbati ad eorum legem significandam, qui iuuāte Christi gratia Decalogum impleuerint, aptissime congruit. Nam & apud Euangelium Lucæ generationum ordo, a baptizato

Num. 7

Dei

Gen. 5. *Dei filio vsque ad Deum patrem ascendens, Septuagesimo gradu Enoch habet, qui mortis fato nequaquam perfunctus est; sed in paradisum translatus, ne mortem videret; illos quidẽ præsignans, qui in gratiam adoptionis filiorũ, ex aqua, et Spũsancto regenerantur, interim post absolutionem corporis ęternã suscipiendos in requiem, & in resurrectionis tempore indemutabili Dei sapientiæ cõtemplandæ per sæcula monstret esse iungendos. Huius est doctrinæ regnum,* 2. Reg. 5. 1. Par. 29 *quod Dauid inchoauit trigesimo ætatis anno, Septuagenarius, hoc est, perpetua quiete dignus, compleuit. Septuagenarius etiam vetus instrumentum notat: vnde & Patres nostri Psalmorum numerum in veteri ac nouo Testamento, ita diuidendum esse rati sunt, vt septem decades ponerent in sabbatum; octo autem decades ad nouum Testamentum, vt per vtramque supputationem, vetus & nouum Testamentum continere dignosceretur. quod enim possunt septem & octo decades, hoc valent significare septem & octo monades. Sed de his alias. nunc enim hæc commemorare curauimus, vt quamuis breuiter dicta, non tamen viderentur esse prætermissa.*

Adferri potest ad huius numeri commendationem, quod a Ticlonio Donatiano fuit obseruatum, septenarium. s. per denarium ductũ Regula. 5. *pro vniuerso tpe solitum poni in diuinis Oraculis. namq; & Septuaginta sunt anni vitæ humanæ. quod non tacuit D. Hier. dilucidans locum illum in Ezechiele cap. 27. Non eris vltra vsque in seculum. ait. n. Vnius seculi tempus ostendit, quod iuxta ætatem hominis annorum Septuaginta circulo supputatur. Eodem fere mysterio per Septuaginta annos, quibus in Babylone captiuus fuit populus Israeliticus, intelligunt sacri Auctores totum præsentis vitæ tempus,* Aug. de doctrina Christ. Libro 3. cap. 3. *quo Ecclesia in belli procinctu contra hostes hic stans & dimicans, in confusione Babylonica, pressuris & miserijs huius vitæ versatur.* Ieré. 29. Dan. 9. Zachar. 7. *At sicut expletis ipsis Septuaginta annis populus Domini edicto Cyri Regis Persarum libertate donatus, redijt in Hierusalem, & instaurauit Templum prius dirutum & exustum; ita post breuem mortalis vitæ decursum, & exactas temporariæ durationis reuolutiones,*

nes, quæ septenarij dierum numeri repetitione transcurrunt, Ecclesia Dei ad supernam euecta Hierusalem reędificabitur vt ciuitas Domini electa, triumphaliq; decorata gloria, immortalitate simul & incorruptibilitate dotabitur. necnon erepta de seruitute Babylonis, perpetua in Domino libertate florebit. Hanc sane mysticam Iudęorũ captiuitatem Auctor libri cui titulus Altercatio Synagogæ, & Ecclesiæ his fere verbis dilucidat: Typus humani generis pro excessu protoplasti in exilium missi, hæc captiuitas est, vbi homo cęlestibus, & spiritualibus bonis amissis, captiuitati mortis mancipatus est: & hostibus inuisis, quasi Babylonicis subiectus, frustra respexit ad bona perdita, quem semper represserunt ad ima peiorum incrementa. Nam & Septuaginta annorum tempus, totius vitæ mortalis decursus figura est, quo tempore peracto, tandem per Regem nostrum Christum IESV reuocamur ad patriam, reconsignatis Templo Dei vasis aureis, & argenteis, idest, sanctis animabus per compassibilem nostræ naturæ Diuinitatis gratiam. Mysterium hoc admodum dignum reserat etiam D. Augustinus in expositione Psalmi centesimi vigesimi quinti dicens: Homo ciuis est Hierusalẽ; sed venditus sub peccato, factus est peregrinus. De propagine ipsius natum est genus humanum, & impleuit terras captiuitatis Sion. & ista captiuitas Sion quam acceperunt Iudęi in imagine, in figura fuit in captiuitate in Babylonia, & post Septuaginta annos redijt ille populus ad ciuitatem suam. Septuaginta anni significant omne tempus; quod septem diebus voluitur. Cum autem transierit oẽ tempus, tunc redimus & nos ad patriam nostrã, quemadmodum ille populus post Septuaginta annos redijt a captiuitate Babylonica. Babylonia certe est Mundus iste. Babylonia.n. interpretatur confusio. Idemquoque in explicatione Psalmi 147, eandem exprimit sententiã, dicens: Reparata est Hierusalem post Septuaginta annos captiuitatis. Sic Ieremias propheta Septuaginta annis: Septenario illo numero oẽm volubilitatem huius tẽporis signat. Septenario .n. numero voluuntur dies hi (sicut nostis,) ijdem

Cap. 17.

Cap. 25.

abeunt, iidem redeunt. Post Septuaginta ergo annos cum prophetauit Ieremias reparari ciuitatem Hierusalem, factum idest, vt & ibi significaretur imago futurorum. Significatum est nobis post omnem istam volubilitatem temporis (quæ Septenario numero voluitur) futuram illam ciuitatem nostrã iam in æternitate in vno die. In illa quippe habitatione tempus non voluitur; quia habitator ibi non labitur. Hactenus Augustinus. Septuaginta anni Tyri, post quos restituitur in antiquum statum, significant remissionem post pœnitentiam. D. Hieronymus 23. in Esa. commen. Septenarius (inquit) & Septuagesimus numerus, qui vel de singulis diebus, vel de septem conficitur decadibus, perfectam significat & consummatam pœnitentiam; vt iuste Tyrus expleto pœnitentiæ tempore in antiquum redeat statum. hæc ille. Septuagesimus annus Hierusalem, requiem post labores significat. Multis etiam creaturis aptatus reperitur hic numerus apud sanctum Moysen, vt quod est in monadibus, hoc sit & in decadibus, & maiori mysterio crescant & ipsa quæ perfecta sunt. Septuaginta iuuenci mactantur ad epuleum solenne festi tabernaculorum, vt vocant, idque certo ordine, non simul, sed per dies septem, incipiendo a 13. sic enim quotidie subtrahendo vnum, vsque ad diem septimum Septuagenarius numerus adimpletur. Mactantur igitur prima die iuuenci 13. secunda 12. tertia 11. quarta 10. quinta 9. sexta 8. septima 7. cuncti simul positi numeri, Septenarium proferunt per decadem multiplicatum. Item Septuaginta annis ignis sacrificij in Babylonica captiuitate sub aqua latens vixerat. Septuaginta annis complebatur desolatio Hierusalem. Septuaginta viri de senioribus domus Israel tenebant thuribulum in manu sua, stantes ante picturas, & idola. Septuaginta Reges, amputatis manuum, & pedum summitatibus, colligebant cibum sub mensa Adonibesech. Septuaginta filij egressi sunt de femore Ierobaal. Septuaginta pondera argentei dabantur Abimelech. Qui etiam fratres suos ex ingenuis mulieribus procreatos, viros Septuaginta in vno lapide morti tradidit.

[Margin: Esa. 73. — Zach. 1. — Num. 29 — Ezech. 8 — Iudic. 1. 8. 9.]

Septua-

Septuaginta filios, & nepotes habuit Abdon, qui ascendebant super Septuaginta pullos asinarum. Septuaginta millia virorũ erant Salomoni, qui onera portabant. Septuaginta filij Achab Regis in Samaria decapitati sunt. Septuaginta iuxta Psalmistam sunt anni nostræ ætatis. Moyses a principio egressus elegit Septuaginta seniores, quibus cum familiarius conuersabatur, vt patet Exho. 24. qui etiam postea cum conqueretur se solum non posse ferre onus populi, ex mandato Dei Septuaginta seniores delegit, quibus Deus spiritum Moysis impertiuit, vt scribitur Num. 11. Vnde & postea mansit apud Iudæos consuetudo, vt in Hierusalem essent Septuaginta seniores veluti Senatores, qui cum principe sacerdotum populũ Israeliticum iudicarent, & gubernarent. Decorarunt hunc numerum libri Cabalæ. non eam dico Cabalam, quæ languet circa litterarum apices, numeros, transpositiones, vocum inuersiones, & amphibologias, cuius vanitatis mysteria tribus præcipue constant, Arithmetica. s. quando litteræ expenditur numerus: Notariacon vbi littera pro integra dictione ponitur: Temura, cũ vna littera ꝑ altera substituitur. Illam inquam cum eruditis patribus intelligo Cabalam, quæ legis scriptæ pura est interpres, legalium rerum arcana, spiritalem allegoricamq; intelligentiam, ac simplices synagogæ traditiones continens. Est. n. cõis Rabinorum & constans opinio, a quibus nequaquam dissentiunt nostri Doctores, Moysen duplicem a Deo in monte accepisse legem, litteralem, & spiritalem. illã litteris mandaße, & ex præcepto Dei, populo cõmunicasse: de hac vero mandatum ei a Deo ne ipsam litteris traderet; sed Sapientibus solum, qui erant Septuaginta, cõicaret, atq; eis pariter præciperet ne illam scriberent; sed successoribus suis viua voce reuelarent, tum & illi, alijs. At vero posteaquam a captiuitate Babylonica restituti fuerũt per Cyrum, & sub Zorobabel Templi facta est restauratio, tum Esdras, qui fuit præfectus Synagogæ, vbi reparauit legem scriptam Moysis, statuit etiam vt hęc secreta Dei eloquia scriberentur. neque enim poterant ob gentis captiuatem illum seruare

3. Reg. 5.
4. Reg. 10
Psal. 89.
Hier. ꝓlogo in libros Regum.

ordinem tradendi per manus) & iuxta numerum Septuaginta seniorum iussit illa secreta redigi in Septuaginta volumina, quæ tamen deinde etiam non nisi sapientibus communicarentur. Ad hoc confirmãdum satis erit ex quarto Esdræ libro testimoniũ: Priora (dicit Altissimus) quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni et indigni: nouissimos aũt Septuaginta conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. in his .n. est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen, &c. Neq; mirandum accidat Lectori me vsum auctoritate quarti libri Esdræ, quem non esse canonicum dixi. hic .n. & in Duodenario, vbi duodenis seculis diuisum esse Mundum asserebam, secutus sum auctoritatem Cypriani, qui aduersus Demetrianum ex eo multa sumsit de Mundo senescente. D. etiam Ambrosius hunc, vt sacrum citat 2, in Luc. comment. & c. 10. de bono mortis. Epistola quoq; 21, quam scripsit ad Horontianum suadet librum quartum Esdræ esse legendum, quod in ipso anima cœlestis esse naturæ demonstretur, & Philosophorum nugæ de ipsius substantia confutentur. Etiam ad huius numeri mysteria referuntur interpretes ab Eleazaro summo Iudæorum Sacerdote ad Ptolomeum Regem Aegypti missi, qui legem Mosis & vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transferrent Regi id impensius exposcenti. Licet.n. duo & Septuaginta essent, vtpote ex singulis Tribubus delecti seni; attamen ab omnibus fere Scriptoribus Septuaginta interpretes sunt nominati, tum propter Septenarij dignitatem, a quo pentagonus est Septuagenarius: tum etiam ob integritatem, appellandiq; compendium. Quemadmodum Iudices illi Romani, qui ad hastam de rebus minoribus iudicabant, quo facilius nominarẽtur, Centũ viri appellati sunt, quãuis quinq. amplius, quã cẽtũ fuerint. Nã cũ essent Romæ triginta quinq; Tribus, quæ et Curiæ sunt dictæ, terni ex singulis Tribubus sunt electi. Auctor Festus. Hac loquendi forma de septuaginta duob. Discipulis, quos cũ duodecim Apostolis elegit Dominus, scriptum est; Septuaginta fuisse delectos, atq. ita nõnullos primæ classis Doctores legisse video.

4. Esd. 14

Clemẽs strom. 1. Aristeas ad Philocratẽ de 72, Interpret. Iustin. admonitorio Gentium. Aug. in ciuit. lib. 18. c. 42. Iren. lib. 3. cap. 13 Orig. in Exho. Hom. 7. Eusebius Eccl. hist. li. 1. c. 12. Niceph. li. 1. c. 21.

Pro

Pro numero 70. facit, & typus veteris instrumenti, vbi duodecim fontes, & Septuaginta palmæ in deserto repertæ, præfigurant duodecim Apostolos, & Septuaginta Discipulos. quod diligenter annotauit Theophilactus; & Cyrillus, qui citatur in catena, consentit, præter duodecim fontes & Septuaginta palmas commemorans et illos Septuaginta Iudices, quos iussu Domini delegit Moyses, & impleti sunt Spiritu sancto. Ac ne quis caussetur solos Græcos ita legisse, producetur in mediũ D. Hieronymus, qui ad Fabiolam mansione sexta scribit in hunc modum: Numquam prius occurrerũt fontes purissimi, nisi vbi Magistrorum doctrina prorupit. Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius Mundi rigant siccitatem. Iuxta has aquas Septuaginta creuerunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante duodecim fuisse Apostolos, & Septuaginta Discipulos minoris gradus, quos & binos Dominus ante se præmittebat. Diuus item Ambrosius ita legisse videtur, cum exponens eum locum: Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos: Ad Septuaginta, inquit ille, Discipulos dicit hoc. Ad hunc numerum faciunt Animæ domus Iahacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum. Nam si animabus sexaginta sex, quæ intrauerunt cum Iahacob in Aegyptum, tres adijciantur de semine eius, quæ iam in Aegypto erant, Ioseph nimirum, & duo eius filij Manasses & Ephraim, fient sexaginta nouem, quibus si adnumeretur et pater Iahacob, habebis numerum Septuaginta. Quemadmodum igitur Septuaginta animæ intrarunt in Aegyptum: ita Septuaginta Discipuli ad prædicandum verbum Dei toto mittuntur Mũdo. Aegyptum enim esse hunc Mundum, figuraliter multis Prophetarum vocibus approbatur. Aliter. Septuaginta animę, quæ descenderunt in Aegyptum, mystice in numero remissionis accipiuntur, scilicet vt huic seculo, quod per Aegyptum figurabatur, post tanta peccata, & sacrilegia donaretur remissio delictorum.

Matt. 10

Exho. 1.

Gen. 46.

16. dist. Septuaginta.

DE NVMERO LXXII.

Est numerus secundus post septuagesimum magnopere in Diuinis scripturis celebratus, quod Diuinæ legis Interpretum summam teneat, & exprimat calculum. Licet enim, quod nuper ostendimus, sub numero LXX. citentur, Iosephus attamen lib. 12. antiquit capit. 12. Tertulianus in Apologetico aduersus Gentes. Augustinus de Ciuit. Dei libro 18. Iustinus Martyr. Eusebius Cæsarien. & eiusdem suffragij aliquot clarissimi docent Interpretes illos fuisse Septuagintaduos. Eodem mysterio quos Dominus designauit Discipulos, legimus fuisse Septuagintaduos. Grecum.n.exemplar Euangelij Lucæ, quod antiquitatis & grauitatis gratia in Vaticana seruatur bibliotheca, habet Septuagintaduos. Epiphanius vetustate, & sapientia insignis, in fine primę partis aduersus hæreses disserens de numero Discipulorum, hæc nobis scripta reliquit: Misit autem & alios Septuaginta duos ad pręedicandum. & paullo post: Et reliquos Septuaginta duos. ac non multo post, de D. Paulo verba faciens: Quem (inquit) reperimus D. Lucam de numero Septuaginta duorũ existentẽ sibi socium fecisse. Clemens etiam summus pontifex, huius nominis primus, Discipulus D. Petri Apostoli lib. 2. cap. 59. Apostolicarum constitutionum asserit Discipulos fuisse Septuaginta duos. Hippolytus cuius meminit D. Hieronym. lib. de Viris illustribus, qui floruit anno Domini 220, testatur & ipse totidem fuisse Discipulos, eosq; nominatim appellat in catalogo quem edidit, eorum nomina referens in tabulas, quas apud Georgium Ederum in Oeconomiæ, seu partitionum theologicarum lib. 4. videre licet. Non aberrauerit autem a recta sententia qui Christi Discipulos dixerit fuisse adumbratos in supradictis Septuaginta duobus Interpretibus, cum hi & illi tum numero conueniant, tum officio elucidandæ Diuinæ legis, et vtriq; id Spiritu sancto au-

ctore, mirifice sint assecuti atque expleuerint. Augustinus libro 2. Euang. quæst. edisserens de mystico numero Discipulorum, hæc scribit: Sicut vigintiquattuor horis totus Orbis peragitur, atq; a Sole illustratur: ita mysterium illuminandi Orbis per Euangeliũ Trinitatis in Septuaginta duobus Discipulis intimatur. Vigintiquattuor. n. ter in 72 ponimus. Affert Beda eiusdem numeri Discipulorum Christi alteram rationem, dicens: Certificauerat Deus per Prophetas, quod Euangelij prędicatio salutaris cõprehensura erat non solum Israel, sed etiam Gentium greges; & ideo a Christo post duodecim Apostolos, & alij Septuaginta duo sunt instituti. Et bene Septuaginta duo mittuntur, quia totidem linguarum Gentibus Euangelium prędicandum erat. Vt quo duodecim Apostoli primo propter duodecim Tribus Israel; ita et hi propter exteras gẽtes destinarẽtur imbuendas. Cum. n. filij Nohe ab Oriẽte proficiscerẽtur, atq. in Assyriã uenissent, Babyloniã & turrim ędificare cęperunt Nẽrod impulsore, statimq; in Septuaginta duas linguas de tribus Nohe filijs Orbis terrarum cũ suis cultoribus distinctus est, vt linguæ hominibus pares fuerint. sicut maiorũ nostrorũ sagax prudentia posteritati transmisit. Sem primogenito Nohe pars facta est a Persida, & Bactris vsq; in Indiam longe, & vsq; Rhinocoruras; quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico 27. Filij ergo Sem ab Euphrate fluuio vsq; ad Oceanum terrã incoluerunt. Porro filij Iapheth possederunt terram ab Amana, & Tauro Syriæ Cœles, & Ciliciæ montibus vsq; ad fluuium Tanaim. Habet etiam Tigridem fluuium, qui diuidit Mediam, & Babyloniam, in linguis 23. Cham vero pars facta est a Rhinocoruris vsq; Gadiram, habens linguas sermonepunico: a parte Garamantum, latino sermone: a parte Boreæ, barbarico sermone: meridiana Aethiopum & Aegyptiorum ac barbaris interioribus, vario sermone, 22. linguis. Fuit autem terminus eius a Sydone donec venias in Gerara, vsq; Gazam, pergentibus Sodomam, & Gomorram, a Danaim vsq; Lisen. fiunt ergo linguæ simul Septuagintaduæ. Ipsa vero gen-

Gen. 10.

Arnobi⁹ rhetor in expositione Psal. 104. Beda li. de sex ętatibus Mundi.

tium vocabula, vel patrias, seu linguas, mutatis & deletis alicubi temporum vetustate vocabulis, & scriptorum vitio exemplaribus corruptis diffinire admodum difficile est. Verumtamen adhæc explicanda gressus calami nostri præcedentium imprimamus vestigijs. Sunt igitur hæc: Paronia, Disponia, Abusia, Partauia, Tarsia, Pacreuantia, Samsutia, Mesopotamia, Epiphania, Aranuntia, Pomponia, Macedonia, Aractonia, Cretica, Vrbachia, Cananæa, Sidonia, Sadochia, Vuasconia, Brictia, Pamphilia, Philippia, Carterioni, Ismaelitæ, Parthia, Scuortia, Balathia, Pacationi, Arcinoni, Saxonia, Numidia, India, Ciporia, Vngaria, Ruscia, Polonia, Bulgaria, Becinac, Scotia, Hispania, Aquitannia, Britannia, Fracina, Armenia, Vuirich, Eppeperich, Osch, Trech, Apahamuth, Tepegia, Maschuth, Zelech, Amazonia, Alan, Aethiopia, Saumaria, Gerstenstania, Keuia, Mescpia, Vaspurgania, Caldie, Peræsica, Scythica, Arabica, Ellemazie, Mariz, Persica, Galilæa, Caldæa, Hebræa, Assyria. Habet hic numerus cum duodenario magnam communionem. Hinc D. Hieronymus vbi Dominus dixit ad Petrum: An putas quia non possum rogare Patrem meũ, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Vna (inquit) legio apud Veteres sex millibus complebatur hominum. Pro breuitate temporis, numerorum non occurimus explicare typos, tantum dixisse sufficiat, Septuaginta duo milia Angelorum, in quot Gentes hominum lingua diuisa est, de duodecim legionibus fieri. Hæc D. Hieronymus. Hinc etiam in cęlestibus, quouis signo in sex partes diuiso, resultant Septuagintaduo quinarii, quibus præsident totidem Angeli, & totidem influunt nomina Dei, & quilibet quinarius vni præest idiomati, tanta efficacia, vt inde Astrologi, & Physiognomi cognoscere queant, cuius idiomatis quisque fuerit oriundus. Respondent istis totidem patentes in humano corpore articuli, quorum in quouis digito manuum, & pedum habentur tres, qui cum principalibus duodecim, constituunt Septuaginta duos.

Matt. 26.

Suida.

Quod vero de nominibus Dei dicimus, illud sciendum quod licet Deus sit vnitissimus, nullo indigens nomine; sortitur tamen diuersa nomina, non quæ diuersas eius eßentias, vel deitates exponant, sed quasdam eius proprietates ab eo emanantes, per quæ nomina in nos, & ea quæ creata sunt, multa beneficia velut per canales quosdam distillant. Est quidam textus in Exhodo tribus versiculis contentus, quorum quilibet Septuaginta duobus scribitur Hebraicis litteris, quorum primus incipit Vaysa; secundus, Vaiauo; tertius, Vaiot, qui vnam in lineam extensi, videlicet primus & tertius a sinistra in dexteram, medius vero conuerso ordine a dextra incipiēs terminatus in sinistram, tunc singulæ tres litteræ sibi subalternatæ constituunt vnum nomen, quę sunt Septuaginta duo nomina, quæ Mecubales Schemhamphoras, hoc est, expositorium vocant. quibus si in fine addatur nomē diuinū El, vel Iah, producūt Septuaginta duo Angelorū noīa trisyllaba, quorū quilibet fert magnū nomen Dei, sicut scriptum est; Angelus meus pręcedet te, obserues eum, est .n. nomē meum in illo. Et hi sunt qui pręsident Septuaginta duobus quinarijs cęlestibus, totidemq. nationibus et linguis, et humani corporis artub. et cooperātur Septuaginta duobus seniorib. Synagogæ.

Cap. 14.

Exho. 23

DE NVMERO LXXV.

DIuus Stephanus plenus Spiritusancto in oratione habita ad populum, quā S. Lucas litteris mandauit Act. c. 7. asserit aīas Septuaginta quinq; ex Iahacob progenie descendisse in Aegyptū. qđ ex Septuaginta interpretū tralatione desumsit Euāgelista. Cū .n. Gręce scripserit acta Apostolorū, quę ad Gentes emisit, illā sequutus est scripturā, quę iā fuerat Gręcis diuulgata, grecoq; scripta sermone. Et vtiq; maioris opinionis illo p̄sertim tp̄e Septuaginta interpretū habebatur auctoritas, q̄ Lucas, qui ignotus in nationibus erat. Porro vbi D. Hier. secutus hebraicā ueritatē, trāstulit Septuaginta aīas, tralatio Septuagintorū habet Septuagintaquinq;. Nec in hoc errasse uidentur, qui p̄p̄ aliquam

Aug q̄st. super Genes.

aliquam numeri mysticam significationem, & quadam veluti prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt. Est.n. numerus 75, sensibilis naturæ insensibilisq;, senioris iunioris q;, corruptibilis incorruptibilisq; confinium. Nam intelligibilis, senior, incorruptaq; ratio in septuaginta est: sensibilis, iuniorq; quinq; sensus æquat numero. quo fit vt sensibilem Mundum præsignet, cuius etiã speciem tenet Aegyptus. Symbolice igitur scriptum legitur quod erant Septuagintaquinq; animæ in Iahacob progenie, quæ descenderunt in Aegyptum sensuum regionem. Atq; etiam Abraham amator sapientiæ, futurusq; perspicacior, discussa caligine, sensuum regionem, cui nomen Charra, relinquendam censet natus annos Septuagintaquinq;. Non me fugit ab anno natiuitatis Abrahæ, vsq; ad annum quo egressus est Charra, annos cucurrisse 135. sed ei non computantur anni, qui transacti sunt antequã exiret de igne Chaldeorum, Dei liberatus auxilio.

Gen. 12. Philo Alexan. li. de Migratione Abrahę.

DE NVMERO LXXVII.

PLenam delictorum remissionem post completam pœnitentiam notat numerus 77. Nam de Lamech, qui post legem (idest) post sententiã aduersus Cain a Deo pronunciatã (nam lex scripta nondum data erat) homicidium perpetrauerat, scriptum legitur: quia septies vindicabitur de Cain, de Lamech autem Septuagies septies. Quæ vero fuerint Septuaginta septem vindictæ, auctore D. Hieronymo, quidam Hebræus asserebat in aprocryphis illorũ libris Septuaginta septem animas ex Lamech progenie reperiri, quæ diluuio sint deletæ, atq; in hoc numero de Lamech factam fuisse vindictam, quod genus ipsius vsque ad diluuium perseuerauerit. At vera Patrum expositio fuit simpliciter quidem de Cain vindicatum esse diluuio, verum Lamech non iam cataclysmo ad curationẽ opus habuisse volunt, sed

Ioseph⁹ li. 1. ca. 4. antiquit.

illo ipso qui tollit peccata Mundi, et Patri cōiungit, vt fiat quod ait Apostolus: Qui adhæret Domino vnus spiritus est. Ideo in eo nume- ro, qui est penes Euāgeliū Lucæ, et ipse Christus a quo incipit nume- ratio, et Deus ad quem peruenit, cōnumerantur, et fit numerus 77. Quod si retroacto ordine atq. inuerso modo ab Adā vsq. ad Chri- stū cęperis numerare, Septuagesimū septimū illū inuenies. Sicut er- go septima generatione peccatum Cain dissolutū est (nō. n. vindica- bit Deus bis in id ipsum; et qui semel receperit mala in vita sua, nō eosdē cruciatus patietur in morte, quos passus est in vita) ita, et La- mech. i. totius mundi peccatum, Christi soluitur aduentu. Quod my- sterium Alcuinus non reliquit intactum, hæc scribens: Peccatum Lamech, qui interpretatur Humiliatus, significat deiectionem hu- mani generis, quod præuaricante Adam corruit, nec per legem vel circuncisionem, nec per suam iustitiam surgere potuit, donec post Septuaginta septem generationes secūdum Lucam Christus in Mū- dum veniens, effusione sui sanguinis peccatum deleuit. hæc ille. Non temere autem, nec frustra Septuagesima septima generatione venit Dominus noster aboliturus omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet, quod ad significationem pertinet omniū peccatorum, hoc autem in vndenario & septenario considerandum est. nam 7. in 11. faciunt 77. Vndenarius porro transgressionem denarij no- tat. At si in denario perfectio beatitudinis significatur, (vnde est etiam illud quod omnes conducti ad vineam denario remunerātur, quod fit vbi septenaria creatura Trinitati Creatoris adiungitur,) liquet quod transgressio denarij peccatum notat per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionemq; amitten- tis. hoc aūt septies propterea ducitur, vt motu hominis facta signifi- cetur illa transgressio. Ternario quidem numero incorporea pars ho- minis significatur, vnde est quod ex toto corde, & ex tota anima, totaq; mente Deum diligere iubemur; quatternario vero, corpus. multis etenim modis quadripartita inuenitur corporis natura, quē- admodum & anima tripartita. ex his ergo coniunctis constans ho-

mo,

1. Cor. 6.
Cap. 3.
Aug. de quęst. Euāg. li. 2. cap. 6.
Matt. 20.
Deut. 6.
Matt. 22

mo, non absurde septenario numero significatur. Motus autem in numeris non exprimitur cum dicimus vnum, duo, tria, quattuor & reliqua; sed cum dicimus semel, bis, ter, quater. Quare, vt cum Aug. loquar, non septem & vndecim, sed septies vndecim significant transgressionem, quae motu hominis facta est peccantis, hoc est, perfectionis suae stabilitatem transgredientis cupiditate amplius aliquid habendi. Exstat, & alia de hoc numero sententia. Cum .n. vt nuper diximus, sit resolubilis in 7, & 11, ideo peccatum Lamech ostenditur remissibile; at vero peccatum Cain, de quo dictum est: Septies vltio dabitur de Cain. insolubile demonstratur, cum septenarius sit numerus primus incompositus, nullam habens partem aliquotam, nisi septimam. Cum ergo legimus dicente Domino: Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. insolubilis poena debet intelligi, & subaudiri oportet, nisi praecedens poenitentia solubile, idest remissibile peccatum fecerit. Cum vero dicit Lamech: Septies vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. insolubilis vindicta Cain, & solubilis vindicta Lamech debet intelligi. Cain quippe poenitentiam non egit; sed Deo negare ausus est: Ipse vero Lamech confessus est peccatum suum, & poenitentiã egit. Huiusmodi expositionem approbare videtur D. Athanasius hunc in modum scribens lib. Quaestion. capp. 96. 107. Cain, inquit, negauit, & a Deo peccatum suum abscondit, quapropter illum execratus est Deus, dicens: Maledictus tu super terram. Adam vero, quia confessus fuerat, supplicium illud a se depulit. Qui enim sua peccata confitetur, remisionem consequitur. quare execrationem imposuit terrę, non Adę, dicens: In operibus tuis maledicta sit terra. Eadem reminiscentia Lamech, accusando scilicet peccatum suum, poenam declinauit, & ipse sua lata sententia, sententiam Dei remoratus est. Haec ille. Huius numeri meminisse, & huc respicere dignatus est Dominus, qui fere nihil absq; Scripturarum auctoritate loquebatur. Cum .n. apud Matthęum cap. 18. illum Petrus de dimittendis peccatis interrogasset, dicens: Domine

mine

mine quoties peccauerit in me frater meus & dimittam ei: vsque septies? id responsi dedit Dominus: Non dico, septies; sed, vsque septuagies septies dimittes proximo in te peccanti. Vsq; septies etenim peccare, est incessanter & insolutibiliter, idest, absq; pœnitentia peccare, sicut Cain: At vero septuagies septies peccare, est peccatum quidem admittere; sed per pęnitentiã illud soluere, quemadmodum fecit Lamech. At vero quibus hæ non arrident expositiones, aliam audiant a Beda in supradicti loci Euãgelici dilucidatione desumtam. sentit quidem, & ipse numero 77. omnium peccatorum designari remissionem; sed alia numeri septenarij attenta ratione. hæc sunt illius verba: Septenarius quidẽ numerus est sacratissimus, ex donis septiformis Spiritus; vndenarius vero numerus figuram tenet omnis peccati. In vndenario namq; transgressio est decalogi; & nos cum peccamus, decalogum profecto præceptorum Dei transgredimur. Hinc est, quod in tabernaculo Dei vndecim saga cilicina fuisse memorantur. cilicium namq; habitum pœnitentium, & pro peccatis mœrentiũ designat. In tabernaculo ergo Dei vndecim saga cilicina fieri iussa sunt, quia sancta Ecclesia non solum ex iustis, et immaculatis, verum ẽt ex peccatoribus pœnitentibus, et conuersis existit. Septuagesimus autem septimus numerus constat ex septenario, & vndenario. nam siue septies vndecim, siue vndecies septẽ dicamus, Septuaginta septẽ perficimus. Septuagies septies ergo Dominus dimitti peccata præcepit, vt ostẽdat quia quotiens & quotiens aliquis peccauerit; totiens et totiens ei dimittere, & nunquam a dimittendo cessare debemus. Quod enim per hunc numerum, peccatorum significatur remisio, illudquoq; manifestat, quod beatus Lucas catalogũ Dominicæ generationis septuaginta septem generationibus terminauit, incipiens a Ioseph et vsq; ad ipsum Deum conditorem perueniens. Quia enim Dei filius ad soluenda mundi peccata veniebat; ideo iure eius incarnatio 77. generationibus texitur, & hoc ascendendo. quia videlicet filij Dei incarnatio, nostra fuit exaltatio; et vnde ille descendit, inde nostra

abiectio

abiectio ascendere meruit. Quod vero hic numerus ex septenario et vndenario multiplicatus exsurgit, significat quod omnis peccatorũ remissio per gratiam sancti Spiritus fit. cuius donis priuari merentur, quicunque fratribus in se peccantibus, dimittere nolunt.

DE NVMERO XXC.

Ctonarius in denarium surgens, significat sacramentum legis propter circuncisionem, quæ die octauo a natiuitate infantis fieri demandata est. Quando.n Moyses legislator locutus est ad Pharaonem, ętatis erat Octoginta annorũ; quia lex, quando ad salutem Gentibus per sanctos Doctores oblata est, circuncisionem spiritualem perfecte docuit. Notat idem numerus sanctam Iesu Christi resurrectionem. in cuius figura Ioseph a carcere sublatus in regnum, Octoginta annos a fame defendit Aegyptios, vt colligitur ex Gen. c. 41. 50. De hac etiam vaticinatus fuerat Propheta Regius. Psalmus. n. Octogesimus pro torcularibus habet inscriptionem, sicut & Octauus, & Octogesimus tertius, qui omnes Ogdoadis habẽt mysterium. Euangelij siquidem gloria coruscante Gentium torcularia nouo musto exuberabant, dilatato in diem Octauum Mosaicæ legis sabbato. Huius quidem numeri mysterium dilucidare dignatus est Dominus in parabola de Villico iniquitatis apud Euangeliũ Lucæ quam exponens Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ septimus post Petrum Episcopus, hæc nobis ingenij sui monumenta dimisit: Diues qui habebat villicũ, siue dispensatorem, Deus omnipotens est, quo nihil est ditius. Huius dispensator Paulus erat, qui ad pedes Gamalielis sacras litteras discens, legem Dei susceperat dispensandam, qui cum cępisset credentes in Christũ persequi, ligare, morti tradere, & oẽm Domini sui dissipare substantiã, correptus est a Domino: Saule Saule quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.

Exho. 7.

D. Hier. de Dominico Pasche, & Hilarius in Psalmis.

Allegoriarũ. li. 3 Luc. 16.

Act. 9.

Di-

Dixitq. Saulus in corde suo: Quid faciam? quia magister fui, & villicus, & cogor esse discipulus, & operarius? fodere non valeo. cuncta.n. mandata legis video destructa, et legē, ac Prophetas vsq; ad Iohan. Baptistam esse finitas; mendicare erubesco, vt qui doctor fueram Iudæorum, cogar a Gentibus, & discipulo Anania salutis, & fidei mendicare doctrinam. Faciam igitur quod mihi vtile esse intelligo, vt posteaq̃ proiectus fuero de villicatione mea, recipiant me Christiani in domos suas. Cœpitq. eis, qui prius versabantur in lege, & sic in Christū crediderant, vt arbitrarentur se in lege iustificandos, dicere legē abolitā, Prophetas pterijsse. Vocauit itaq. duos de plurimis debitoribus; primum, qui debebat centū cados olei, eos videlicet, qui fuerant ex Gentibus congregati, & magna indigebant misericordia Dei; & de centenario numero, qui plenus est ac perfectus, fecit eos scribere quinquagenarium, qui proprie pœnitentiū est, iuxta Iubilæum. Secundum aūt vocauit populū Iudæorum, qui tritico mandatorum Dei nutritus erat, & debebat ei centum coros tritici, & coegit, vt de centum faceret Octoginta. i. credere sanctam Domini resurrectionem, quæ Octauę diei numero continetur, & Octo completur decadibus, vt de sabbato transiret ad primam sabbati. Ob hanc caussam a Domino prædicatur quod bene fecerit, & pro salute sua in Euangelij clementia de legis austeritate mutatus sit. Hæc Theophilus. Potest ēt numerus, de quo agimus, significare Euangelij nouiq; Testamēti gratiam per obseruationē mandatorū obtentam. quod his verbis approbat Ven. Beda in expositione eiusdem parabulæ villici iniquitatis. Euangelij (inquit) gratia significatur per Octonarium, sicut austeritas legis per septenarium. sed meretur Octonarij gratiam, qui præcepta custodit, quæ significantur per decem. vt per Octonarium iunctum denario, gratiam intelligamus acquisitā præcepto. vt qui scribit Octoginta per decalogi custodiam perueniat ad Octonarij gratiā. Præterea Octogenarius significat statū gloriæ et salutis, quia in cęlesti gloria inuenitur denarius in Octogenariū ductus, qm̄ ibi acquiritur obseruātiæ decem

mandatorũ retributio, et octo beatitudinum perfecta consummatio. De hoc autem mysterio dicitur Iudic. cap. 3. Humiliatus est Moab sub manu Israel; & quieuit terra annis Octoginta. Illud tandem de Octogenario dici potest. esse illum peccati hieroglyphicum, vt qui producatur ab Octonario, per quem crimina nostra purgamus. 2. Paral. 29. Expiauerunt templum diebus Octo. Per Octonariũ, Deum placare solemus. Iohan. cap. 20. Post dies octo vbi Discipuli erant congregati in vnum, venit IESV clausis ianuis. Per Octonarium defectus nostros ploramus. Apud Moysem Nazareus qui super mortuum peccasset, vel seminifluus die octauo ab emundatione offerebant duos turtures, vel duos pullos columbarum, quæ scilicet sunt aues gemebundę. Per hunc etiã peccator significatur, vt Apoc. cap. 17. Bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est. octo namq; sunt principalia vitia, quę genus humanum infestant, primum gula, secundum fornicatio, tertium auaritia, ira quartum, quintum tristitia, sextum acedia, idest, ocium, vel tędium cordis, septimum vana gloria, octauum superbia. Totidem sunt & modi peccandi. Amentia, vt Dathan: deceptio, vt Eua; repentina obreptio, vt Petrus Apostolus; obliuio, vt Moyses, qui non sanctificauit Deum super petram; tyrannis, vt Darius, qui tradidit Danielem; incredulitas, vt vxor Loth; contemtus, vt Giezi Elisęum. mala affectio, vt Pharisæi, qui celabant resurrectionem Domini. Quare propheta Amos octo vicibus malum Israeli intentat per enuntiatiua verba hęc: Stridebo super vos; peribit fuga; non obtinebit fortis virtutem; non saluabit robustus animã; non stabit tenens arcum; non saluabitur velox; non saluabitur ascensor equi; fugiet robustus corde. Totidem vicibus Esaias, et ipse Dominus apud Matthęum cap. 23. Væ generationi illi &c. inclamat contra Scribas & Pharisæos. Quod ergo audis de Octonario idem prorsus opus est censeas de Octogenario ab eo producto. qui et ipse quandoque notat statum peccati, vt peccator insinuetur in capite asini, de quo 4. Reg. 6. legimus, Samaria obsessa a Benadab rege Syriæ, venundatum fuisse

Num. 6. Leuit. 15

Beda in collectaneis.

Atthanasi° ĩ Quæstionib.

Rupert° ĩ Amos. 1

caput asini Octoginta argenteis. Ierem. cap. 41. Octoginta viri, quos morti tradidit Hismael. 2. Reg. 23. Octingenti interfecti impetu vno. Et 2. Machab. 5. Octoginta milia occisi. Octonarij numeri fatale exitium nouerunt Astronomi, qui Mundum secantes in duodecim æquales partes quas vocant domos, Octauam morti contribuunt. Cumq; ex domibus vna sit alia fortior, Octaua omnium debilissima iudicatur. Prima domus (inquiunt) est fortior decima, hæc fortior septima, septima fortior est quarta, ista fortior vndecima, quinta cedit vndecimæ, quinta est fortior nona, tertia debilior est nona, tertia præualet secundæ, hæc demum præualet Octauæ, in qua magnum est infortunium. Adhuc etiam in ortu infantis ostendit Octonarius perniciem suam, quod magno quidem miraculo adscribendum. septimo enim mense in plerisque, (vt alibi demonstrauimus) origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur, Octauo autem mense, interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora; ac si forte lateralis necessitas partus claustra laxauerit, periculum pariter generantis properatur, & pignoris. Quin si concubuerit mense Octauo parens, fiet infans oppletus lentoris mucosi, & cute fœda, atq; ostreacea valde obscęna. Apud Moysem Octoginta diebus a viri thoro, (&) ab ingressu sanctuarij arcebatur, quæ enixa fuisset feminam, quod duplum est ad formationem masculi, vtpote duplo longiori indigens expurgatione. Obidq; dedit Dominus expurgationi primæ duas hebdomadas; secundæ sexaginta sex dies, vt coniunctis vtrisque fierent Octoginta, qui duobus constant quadragenarijs, qui numerus imperfecto, & femineo sexui maxime congruit, vt vnitas virili. quia vnitas perfectio & forma est, binarius principium diuisionis & materię. Porro mulier serpentis persuasioni consensit, & virum persuasioni suę consentire coegit: vir autem soli mulieri consensum prębuit. Cum ergo mulier et se, & virum deceperit, ideo in ortu suo duplici subiacet maledictioni. Octoginta concubinę in Canticis designant animas terrenorum mercedem accipientes, vel

Octonarius vitæ aiosus.

Ex Petri Pitati Isagog.

Leuit. 12

Cant. 6.

animas minus perfectas. Denario.n. significatur scientia vniuersitatis. quæ si ad terrena & corruptibilia referatur, quæ Octonario significari possunt, fiunt Octoginta. Hieronymus: Multam esse distantiam animarum in Christo credentium demonstrat Canticum canticorum, in quo scriptum est: Sexaginta sunt reginæ, Octoginta concubinæ, & adolescentulæ, quarum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, proxima mea, de qua dicitur. Viderunt eam filiæ & beatificant eam reginę, & concubinę, & laudant eam. quę ergo perfecta est & sancta corpore & spiritu; & columba, & proxima vocari meretur: quę autem supergressæ sunt sex dies Mundi, & futura regna suspirant, reginæ appellantur: si qua vero circumcisionem quidem habet octauæ diei, sed adhuc non venit ad nuptias, hæc concubina vocitatur: Diuersa autem multitudo credentium, quæ necdum potest sponsi copulari amplexibus, nec de eo liberos parere, adolescentula dicitur. Hæc strictim posuimus; vt sciamus in hoc numero & bona, & mala pariter contineri.

Ad Principiã Virginem.

DE NVMERO XXCI.

MAgi inter cetera suæ disciplinæ dogmata, illum asserunt perfectissimum numerum, quem nouies nouem multiplicata componunt. is est 81. Iccirco, vt refert Anneus Seneca, qui forte fortuna tunc Athenis aderant Persarum Magi, inmolarunt Platoni vita functo, quod septimo Nouembris die, quo natus fuerat, in nuptijs discumbens remotis dapibus expirasset, annum alterum & 80. absoluens absque vlla prorsus additione vel deductione, amplioris sortis, quam humanæ rati, quod hunc numerum consummasset. Qua de caussa Labeo Romanus Theologus Platonem inter Semideos, vt Herculem & Romulum, referendum non dubitauit. De annis climacterius differens

Petr. Crinitus lib. de honesta disciplina.

Laer. de vitis Philos. lib. 5

rens Symphorianus Champerius, hęc scribit de Platone, & anno 81. Alij, inquit, non pauci vnum omnium difficillimum climactera prodire; anno scilicet. Vno de quinquagesimo, quem complent anni septies septeni: ad quam opinionem plurimorum consensus inclinant. Nam Quadrati numeri potentissimi dicuntur. Deniq; Plato ille venia cęterorum Philosophiæ Doctissimus, Quadrato numero annorum vitam humanam consummari putauit. s. Nouenario, qui complet annos 81. Fuerunt etiam qui vtrumq; recipiant numerum vnum de quinquaginta, & 81, & minorem, nocturnis genesibus: maiorem diurnis ascriberet. Pleriq; aliter moti, duos istos numeros subtiliter discreuere, dicentes: septenariũ ad corpus, Nouenariũ ad aĩam pertinere. illum medicinæ corporis & Apollini attributũ: hunc Musis, quia morbos animi, quos appellant Pathe, musica lenire ac sanare consueuerit. Itaq; primum climactera annũ 49, esse prodiderunt; vltimum aũt 81; medium vero ex vtroq; permixtũ anno tertio et 60, quẽ hebdomades 9, vel 7 enneades conficiunt. Hũc licet quidam periculosissimum dicãt, quod ad corpus, & aĩam pertineat; ego tamen cęteris nõ duco infirmiorem. nam vtrumq; quidem supradictũ continet numerum; sed neutrũ, quadratum; & vt est ab vtroq; non alienus; ita in neutro potens. Nec multos sane, quos vetustas claro noĩe celebrat, hic annus absumsit. Aristotelem Stagiriten reperit; sed hunc ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebraque morbidi corporis offensiones adeo virtute animi diu sustentasse; vt magis mirum sit ad annos 63, eum vitam pertulisse. Illi autem qui animi potius, quam corporis naturam sciunt dominari, eos viros qui tales fuerunt, non prius vita excessisse, quam ad annum illum 81, peruenerunt; in quo Plato finem vitæ, & legitimum esse existimauit, & habuit legitimum. Hoc anno & Dionysius Heracleotes, vt vita abiret, cibo abstinuit. Contra Diogenes Cynicus cibi cruditate in choleram solutus est. Eratosthenesquoque ille Orbis terrarum mensor, & Xenocrates Platonicus veteris Academiæ princeps. ad eundem annum vixerunt.

Symphoniæ lib. 4 tract. 3. cap. 7.

DE NVMERO XXCVI.

Gen. 16.

Glo. interl.

Ex Ruperto in cap. 27. Gen.

HAbet & numerus Octogenarius senarius sua mysteria in Diuinis scriptis. Neq;.n.absq; mystico sensu sex, & octoginta annorum legitur fuisse Abraham quãdo genuit Hismaelem; sed vt designetur eum generasse tempore vitę spiritualis. Porro Octoginta sex annorum quantitas duobus disponitur terminis. est.n. in decimo limite Octonarius: in singulari, senarius. Senarius perfectus numerus ipse quodammodo est Abraham perfectorum vir operum, sed parui atq; frigidi sanguinis: Octonarius autem, qui a Pythagoricis femina dicitur, ipse in deceno limite quodammodo est Agar, infirmior quidem, quia femina; sed viro fęcundior, quia iuuencula.

DE NVMERO XC.

NVmeri Nonagesimi infelicitas nota Mathematicis Chaldęis, qui Nonagenariam radiationẽ, minacem malignamq; esse dicunt, quod duo signa huiusmodi interuallo disiuncta, sexu natu raq; dissideant. hęc fit a signo vno ad aliud signum quod ab eo ordine sit quartum, vt a Leone ad Scorpium. quare & quadratus, & quadrantalis aspectus appellatur. Plinius lib. 2. Martis (inquit) stella vt propior etiam ex quadrato sentit radios ab Nonaginta partibus. vnde & nomen accepit. Pythagorici Nonagenariũ, tristẽ iudicarunt numerum, vtpote altera parte lõgiorẽ, sicut et 2, quo in Diuinis oraculis notãtur hęretici, et 20, in quo persecutiones paßus est Iahacob, atq; etiam 42,

quo fuit Ecclesiæ persecutio denotata, quam impius agitat Antichristus. Quare huiusmodi numeri semper habentur infausti in Diuinis litteris. Adhæc in Nonagesimo calculo, eadem quam sæpe designauimus, obseruatio custodita, ut eiusdem naturę dicantur 9. 90, & 900, & deinceps in maioribus summis, dum per eundem articulum numerus surgit. Maiores enim numeri suorum minimorum, a quibus primum denominantur, seruant etiã significationem. Sane quemadmodum Nouenario notati sunt Idololatræ, & qui Ecclesię aduersantur Hæretici; eodem mysterio Nonagesimo numero terminantur persecutiones & afflictiones quas ab infidelibus militaris Ecclesia patitur. vt habet liber Danielis. Sic & trecentis nonaginta diebus, quibus Ezechiel dormiuit super latus suum sinistrum, captiuitas domus Israel designatur, quæ cœpit tempore Regis Phaceę, vsq; ad extremum annum Assueri, qui & Arctaxerses. Eiusdem significationis est quod Israeliticus populus legitur traditus in manu Sisaræ principis militiæ Iabin, cui inerant Nongenti currus ferrei, quibus scilicet affligerentur Israelitæ. Porro Sisara interpretatur visio equi. Iste est.n. animalis non spiritalis, qui non videt nisi ea quæ animalis sunt. Et ideo semper animalis homo, & is qui secundum carnem est, persequitur eum qui secundum spiritum est. Præterea Psalmus, de quo Dominum nostrum IESV Christum Satan tentare non dubitauit, Nonagesimum in ordine continet locum. quod ab Athanasio mystice fuit obseruatum libro de mysterijs Psalmorum. Hoc dierum calculo fuit & Pharaonis in Iudæos insinuata sæuicia. Cum enim Rex Aegypti animaduertisset Israeliticum populum, tunc in Aegypto detentum, magis ac magis crescere, veritus ne inquilini, superante numero, cum indigenis de principatu contenderent, vires illorum nefarijs artibus elidere conatus, iussit vt ex recens editis mares tollerentur e medio, ne opidatim inualescerent. Eo tempore natus Moyses, visus præ se ferre non vulgarem indolem, Nonaginta diebus domi lacte nutritus est, nemine conscio; sed timentes parentes, ne dum vni consulunt, ipsi

Cap. 12. Hieron. in cap. 4. Ezech.

Iudic. 4.

Exho. 2.

necis eius fierent accessio, puerum exponunt in ripa fluminis, atq; ita gementes discedunt dicentes: Heu miseri debueramus recens natum exponere, quando priusquam nutricis intercedat officium, vulgus vix habet pro homine. Nos nimia cura per Nonaginta dies aluimus, maiorem nobis parantes tristitiã, maiorem cruciatum puero, vt voluptatum & dolorum per ætatem capacior se perire sentiat. Hæc illi de futuro incerti, præsenti indulgentes luctui. Huius numeri mentionem facit liber Regnorum quando peccauit Dauid iubens dinumerare populum contra præceptum Domini. vsus erat n. vt si quando numeraretur populus, a viginti annis & supra numerarentur hi qui poterant ad bella procedere. At vero quia Dauid, nulla habita ætatis ratione omnes in vniuersum numerari iusserat, ideo indignationem Domini expertus est, dum tria leuat super eum, vt sibi vnum ex his eligat nempe, vel septem annis fames veniat in terra, vel tribus diebus veniat pestilentia, vel Nonaginta dies fugiat aduersarios suos. Notat etiam hic numerus statum imperfectorum, qui cæcantur ignorantia obscuritatis, quare vt legitur Luc. 23. tenebræ factæ sunt vsque ad horam Nonam. Et de Heli cæcutiente dicitur quod mortuus est cũ esset annorum amplius Nonaginta. Neq; te latere velim quod refert Valerius Probus, hunc numerum per N, litteram a Romanis fuisse designatum, quæ auctore Festo, diem nefastum notabat in Fastis, sunt autem fastis diebus contrarij nefasti, quos & nefandos vocatos ait Priscianus, a Grçcis Apophrades eodem auctore dictos, quorum apud veteres crebra mẽtio est. Diesquoq; quibus rei capitis damnabantur, vel insigni aliqua calamitate funesti, eodem nomine dicti. Quibus & festiue Lucianus hominem nullam Numinis rationem habentem, corpore vitiatum, conflatum ex imposturis, & mendacijs, omnibus abominandum dici posse ait similem.

2. Reg. 23. Leuit. 26 Vide Origenem hom. 15. in Num.

1. Reg. 4

Latinis litreris expressi numeri ex Valerio Probo.

A	B	C	D	E	F	G	H
500	300	100	500	250	40	400	200
I	k	L	M	N	O	P	Q
1	51	50	1000	90	11	400	500
R	S	T	V	X	Y	Z	
80	70	160	5	10	150	2000	

DE NVMERO XCIX.

NOnus supra nonagenarium numerus Iustorum nobis insinuat numerum, ob parabolam illam Euangelicã Lucę cap. 15. conscriptã de centum ouibus, quarũ vna perdita, reliquæ Nonaginta nouem relinquuntur in deserto, et vna quę perdita est, solicite a pastore quæritur. Illic. n. in vna oue perdita, peccatorũ intelligitur conditio. vnde Psalmus ait: Psal. 118 *Erraui sicut ouis quæ perierat, require seruum tuũ Domine: In ouibus vero 99. relictis in deserto, Iustorum accipitur numerus. non. n.* Matth. 9. *venit Dominus vocare Iustos; sed peccatores ad pœnitentiã. Quare eo in loco parabolã exponens Dominus: Dico (inquit) vobis quod ita gaudium erit in cęlo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super Nonaginta nouem iustis, qui non indigent pænitentia. Quẽ Euangelij locũ Greg. Rom. explanans ait: Quia Centenarius numerus perfectus est, Deus Centũ oues. i. perfectum numerum habuit, cum Angelorum et Hoĩum substantiã creauit; sed vna perijt, quando Homo pascua uitæ peccãdo, dereliquit. Ergo quia rationalis creaturę numerus pereunte hoĩe erat diminutus, quęrit in terra Hominem, vt summa integretur. Dimisit autem Nonaginta nouem in deserto; quia illos summos Angelorum choros reliquit in Cęlo.*

DE NVMERO C.

Centum apud Poetas haud raro licet inuenire nō pro exacto hoc numero accipi, sed pro multis; & eximia quadam, & summa multiplicatione, quaque etiam rei cui adiecta est, & singularem dignitatem indicet, & præstantiam. Musæus vetustissimus Poeta puellæ Herus pulchritudinem & gratiam sic describit.

Tres gratias mentiti sunt esse, alteruter vero Herus
Oculus ridens Centum gratijs pullulabat.

Vbi centum gratias pro multis intelligit. Homerus vt nobilissimæ insulæ Cretæ potentiam & splendorem significaret, illam appellat ἑκατόμπολιν, *quasi centum vrbes habentem. Interp. glossographus,* ἑκατὸν φησὶν, οὐ τῷ ἀριθμῷ ἀλλ' ἀιτὶ τοῦ πολλὰς, *id est, Centum dixit non ipso numero; sed pro multis. Quod Homerus ipse satis declarat Vlyss. 19. cum Cretam his verbis describit.*

Creta terra quædam est sita in nigricanti Ponto
Fœcunda, & fertilis, circumflua, in qua homines
Multi & infiniti.

Homerum secutus est optimus maximus Poeta Virgilius Aen. lib. 3.

Creta Iouis magni medio iacet insula Ponto
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ
Centum Vrbes habitant magnas, uberrima regna.

Et de Veneris cultu, quem apud Paphum Cypri vrbem habebat, scribens, ait, illum ibi habere Centum aras, vt sciamus illam ibi exquisitissimis, & maximis honoribus affici.

Aen. 1.

vbi templum illi, Centumque Sabæo
Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.

Alibi-

Alibiquoque Centum pro infinito leguntur.

Non mihi si linguæ Centum sint, oraque Centum
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Aen. 6.

Quem imitatus Sedulius.

Nam Centum licet ora mouens, vox ferrea clamet,
Centenosque sonos humanum pectus anhelet.

Lib. 1.

Et Satyricus Poeta,

Vatibus hic mos est Centum sibi poscere noces,
Centum ora, & linguas optare in carmine Centum.

Sat. 5.

In scripturis etiam diuinitus inspiratis, tum temporum, tum rerũ, de quibus agitur, perfectionem Centenarius insinuat. Nam denarius numerus pro perfectione semper accipitur, quia in decem præceptis legis custodia continetur. Actiua enim, & contemplatiua vita, simul in decalogi mandatis coniuncta est. quia in eo, & amor Dei, & amor proximi seruari iubetur. Amor quippe Dei, ad contemplatiuam; amor vero proximi pertinet ad actiuam; Denarius autem numerus per semetipsum multiplicatus, in Centenarium surgit. Designat igitur Centenarius absolutam completamq; perfectionem, vt sui lateris atq; radicis naturam teneat, & conditionem. quinimmo vt id ipsum quod suum latus, sed vberius ac copiosius. Proinde Isaac vnam sementem iaciens fidei, hoc numeri calculo, sui laboris multiplicata suscipit opera, quod non intelligitur de certo ac definito numero supra & infra quem nihil esse possit; sed pro copioso, & amplissimo, vberem significans esse messem, & pleno, vt aiunt, copiæ cornu effusam. Christus etiam in Euangelio fertilissimum agrum Centum asserebat producturum, fertilitatis probatæ animæ plenitudinem subostendens. Et primi Paralipomenon c. 20. Augeat Dominus populum suum, Cẽtuplum, quã sunt. i. ad perfectã usq; multitudinẽ copiamq; prouehat. Eodem modo perfectam eruditionẽ demonstrat Esaias dicens de Beatis, ꝙ Iuuenis Centum erit annorum, nullusq. ibi immaturæ sapientiæ reperietur.

Gen. 26.

Luc. 8.

Cap. 65.

Theophil' Episcopus Alex. pascalium. lib. 3.

Nemo enim in sacris versatus litteris ignorat; iuuenem vocari absolute non ætate vigentem, sed eum qui habet animam temerariam, & nouarum rerum cupidam: sicuti non longitudine temporis, sed ex laudata vita honore præstantes vocantur seniores. Nam chari Deo populi consistorium, quod cogitur ex decies septeno numero, seniores solent nominari. dicitur enim: Conuoca mihi septuaginta viros ex senioribus Israel, quos tu ipse nosti quod seniores sint. Adhuc sapiētissimus Abraham breuioris æui quam vllus pene omnium maiorum suorum inducitur: cum tamen dicat oraculū, quod Abraham erat senior ætatis prouectæ. Illudquoq; quod in Apocalypsi Iohannis legimus; post resurrectionem exhiberi præsentiæ Iudicis paruos, & magnos, non ætatum, sed meritorum significat differentias. Qui.n paruus est, iuxta sententiam Salomonis, dignus est misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Iuuenes igitur Centum annorum dicuntur, non qui iuuenili temerarioq; animo fuerint, sed qui disciplinas canicie dignas optime callēt, iuxta prudentiam facti seniores. In Euangelio quoq; Pastor noster Christus habere se dixit Centum oues, plenitudinem insinuans rationalium creaturarum; quemadmodum qui crediderunt credituriq. sunt Iudæi, numero notantur quinquagenario ad Centenarium sub duplo, longeq; distante a plenitudine. Vnde & Centurio, cuius fidē Dominus Israeli prętulit, electos ex Gentibus ostendit, qui quasi Centeno milite stipati, virtutum spiritualium sunt perfectione sublimes, nihil a Domino terrenum, sed sola salutis æterna gaudia sibi suisq; requirentes. Cētenarius.n.inter tres eorum qui salui fiunt gradus, eos demonstrat qui supremum ac maioris perfectionis hac in vita locum obtinent. Quod aperte liquet auctoritate Sanctorū Patrum explanantium id Euangelicum verbum apud Matth. ca. 13. & Mar. cap. 4. positum, quod semen cecidit in terram bonam, & fecit fructum aliud tricesimum, aliud sexagesimum, & aliud Centesimum. quem quidem locum exponens D. Hieronym. inquit: Fructus terræ bonæ in tricesimo, sexagesimo, & Centesimo continetur.

Num. 11

Gen. 15.

Hiero. in Esa. c. 10 cap. 65.

Sap. 6.

Mart. 18 Luc. 15.

Matt. 8. Luc. 7.

hoc

hoc est, in lege, prophetia, & Euangelio. Vnde constat semper illud quod inter tria bona minimum est, trigesimi fructus nuncupatione censeri: medium, nomine sexagesimi: & supremum atq; prestantissimum, centesimi prouentus fœnore notari. Eundem locum explicans Theophilus ait: Qui in Centum fructificant, sunt qui perfectam & obedientem habent vitam, vt Virgines & Eremitæ. Qui autẽ in sexaginta, qui mediocriter se habent, vt continentes, et qui in cœnobio sunt. Qui autem in triginta, qui parui quidem sunt, secundum propriam virtutem fructum ferentes, vt laici, & qui in coniugio sunt. Deniq; eundem locum edisserens Ven. Beda: Christus (inquit) exijt de sinu patris in Mundum, semen doctrinæ suę spargere per se, & prędicatores suos, vt fructus bonę operationis in cordibus fideliũ cresceret. Bona terra significat corda perfecta, in q̃bus uerbum Dei in alio generat fidẽ Trinitatis, quã significat tricenarius: in alio loco perfectionẽ bonorũ operum, q̃d sexagenarius: in alio perseuerantiam, quæ ad æternã ducit remunerationem, quæ in Centenario numero figuratur. Hactenus Beda. Non est autẽ a mysterio alienum Centenario significari præmium atq; mercedem Sanctorum in cœlesti regione. quoniam ab antiquis (vt in tricenarij numeri tractatu tetigimus) certo digitorum inflexu atq; dispositione & situ numeros omnes designantibus Centenarius figurari solebat vngue indicis dextræ manus fixo in medium articulum pollicis eiusdem manus. Huiusmodi autem infixio vnguis ipsius indicis dextri in medium pollicis locum, speciem quandam circuli, coronæque repræsentat ob inflexionem in girum. Coronæ vero figura manifeste insinuat præmiũ Sanctis, qui legitime certarũt, in regno cœlorum præparatum. Quod si testem huiusce significationis Centenarij quis exposcit, illico offert se Cassiodorus in Psalmi Centesimi expositione dicens: Merito sanctissimus iste qui in medio domus Diuinæ misericordiam & iudicium Domini pura mente cantauit, hunc numerum Centenarium obtinuisse videtur; qui speciem desiderabilis coronæ, digitorum dextræ manus inflexione designat.

Hoc

Aug. in Ciu. Dei Lib. 15. capit. 26. Beda in capit. 13. Matth. 2. Tim. 4.

Hoc donum Martyrum, hoc est Virginum munus. & quidquid est eximium in Ecclesia, tali fructu peruenire demonstratur ad præmium, sicut dicit Apostolus: De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddit mihi Dominus in illa die iustus iudex. Orbis ipse terrarũ hoc schemate fertur ambiri. Cœlum in innumeris Auctoribus legimus esse conuexum. Stellas videmus sphęrica rotunditate fulgentes. Solem ipsum circuli pulchritudine radiare. Lunamquoq; certum est in hanc venire formam, quando noscitur esse perfecta. Et ideo consideremus cuius hæc persona sit meriti, cuius elegantiæ comprobetur; vt in hoc calculo posita esse videatur, qui & præmiorum ingentium continet dignitatem, & creaturarũ cœlestium portat imaginem. Pudet .n. dicere peccatis obnoxium, Centenarij numeri fæcunditate prouectum. & quod Sanctorum diximus meritis applicatum, indigno mihi fuisse collatum. Hactenus Cassiodorus. Ex eo aũt maxime computatur quæ a Cassiodoro adducta est Centenarij significatio, quoniam cum cæteri numeri omnes ante Centenariũ signari apud antiquos Auctores soleant certa quadam lege positionis digitorum sinistræ manus; hũc de quo agimus numerum de sinistra transferunt ad dextram, eodemq; vtuntur modo, quo in læua decem monstrabant. Vulgatum sane illud Iuuen. Sat. 10. de Nestore, qui ad Centum ætatis annos peruenerat.

Atque suos iam dextra computat annos.

Centesimus igitur numerus, licet eodem inflexu digitorum videatur tenere figuram, quam habuerat denarius, cuius æqualia latera continet; de lęua tamen translatus in dexteram, ac nimium quantitatis magnitudine supercrescens, in cœlestis vitę significationem poni consueuit in Oraculis. Nam vbi dextera simul et sinistra in bono accipiuntur, vel futuram & præsentem Ecclesię vitam, vel lętitiam Sanctorum & tristitiam, vel bonos & malos insinuant. Vbi vero absolute dextera ponitur, ęterna gaudia demonstrat. Ad hanc significationem respicit quod Salomon posuit mare ęneum ad dexteram partem Templi, insinuans per lauacrũ Baptismi, ad regnum

3. Reg. 7.

cęleste debere perueniri. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Zacharię quoq; apparuit Angelus, stans a dextris altaris incensi. Apud Marcum Euang. quia Redemtor noster iam præsentis vitę transierat corruptionem, Angelus, qui annunciare perennem illius vitam venerat, in dextra sedebat. Isidorus de summo bono: Sedet, inquit, Christus ad dexteram Patris, non vt dexteram corpoream habeat Pater, sed dextera Patris beatitudo est, sicut sinistra miseria. Hinc apud Euangeliũ secundum Matthæum dicit veritas, bonos a dextris collocandos, malos a sinistris. Origenes: Sancti, qui dextera opera operati sunt, pro mercede dexterorum acceperunt dexteram Regis, in qua requies, & gloria est. Mali vero propter opera sua sinistra, ceciderunt in sinistram, & in tristitiam tormentorum. Eiusdem sententię fuit Pythagoras noster, qui vt habetur Metaph. I. inter decem rerum principia dextrum posuit, & sinistrum. hoc quidem in serie malorum, illud in bonorum ordine locans. His etiam consonat diuinus Plato, qui Herum Pamphilium resurrexisse consingens, eum inducit de inferis ita disserentem, vt post corporis interitum anima cum plerisq; alijs in dęmonicum quēdam peruenerit locum, in quo terrę duos agnouerit hiatus; totidemq; superne in cœlesti regione ex aduersum; inter hiatus vero huiusmodi sedentes Iudices, qui vbi iudicassent animas, Iustos quidem ad dexterã superne per cœlum ascendere iusserint; Iniustos contra, ad sinistram inferius. Adhuc & nobilissimus poeta Maro:

Luc. 1.

Cap. 16.

Matth. 25.

Plato de Repub. lib. 10.

Hic locus est, partes, ubi se uia findit in ambas;
Dextera, quæ ditis magni sub mœnia tendit.
Hac iter Elysium nobis: At læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Ane. li. 6

Ad hoc mysterium referendum est quod nos Christiani Centesimo die ab obitu defuncti parentalia celebrari curamus, nempe vt mortui transeant a lęua in dextram; a malitia in triumphum; a terra in cœlum; a misericordia in glariam; a morte in vitam. In repromissionibus etiam, pro his quę contemsimus, multiplicata nobis

Cen-

Centuplum Dominus pollicetur, dicens apud Marcum cap. 10. Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Euãgelium, qui nõ accipiet Centies tantum nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus: & in seculo futuro vitam æternam. Et apud Matthęũ cap. 19. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomẽ meum, Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Centuplum intelligens amplissimum illud premium, quod pijs, pro relictis caducis, ac vilibus possessionibus, & carnis affinitatibus, confertur; nempe preciosam illam margaritam Euãgelicæ mentis, nullis huius Mũdi mercibus æstimãdam. quod insinuans quodam modo Paulus ad Corinthios scribens, ait: Quasi nihil habentes, et omnia possidentes. quia & ante iam dictum erat: Fidelis hominis totus Mundus diuitiarum est. Quamquam & illud dici potest, quod Centuplum promittatur, ac æternæ vitæ possessio, quia quisquis pro nomine Dei temporalia terrenaq. contemnit, & hic perfectionem recipit mẽtis, vt iam ea non appetat, quæ contemsit, & in futuro seculo ad æternã vitæ gloriam peruenit. Terra bona, inquit Greg. fructu Centuplo fecundatur, quando cor docile virtutũ spiritualium perfectione donatur. Notat ergo Centenarius complementum virtutis & gratiæ, vnde de tentorijs Tabernaculi, idest de viris virtute præditis, qui sunt in Ecclesia, dicitur Exhod. capite vigesimo septimo: Erunt tentoria de bysso retorta, cubitorum Centum. Centum enim cubiti perfectam virtutum dimensionem designant. significant & complementum, ac perfectionem salutis, & gloriæ. hinc de Paradiso potest dici illud, quod de illa ciuitate legitur Iudith. capite primo: Turres posuit in altitudine cubitorum Centum. Huc itidem facit quod homines iubet Christus accumbere in virenti gramine secundum contubernia in partes per Centenos et quinquagenos, vt postquam suam carnem calcauerint, & omnes illius

2.Cor.6.

Gregor. Mor. lib. 15. ca. 7.

Gregor. Mor. lib. 30. c. 33. & in Ezech. homil. 18.

D. Hier. in ca. 14. Matth. Mar. 6. Luc. 9.

flores,

flores, & seculi voluptates, quasi arens fenum sibi subiecerint, tunc per quinquagenarij numeri pœnitentiam, ad perfectum Centesimi numeri culmen ascendant. vnde per quendam dicitur: Quinquageni ad conuiuium Domini discumbunt, qui adhuc in pœnitentia commissorum positi, verbi percipiunt auditum: Centeni autem qui iam præsumta veniæ spe, de solo vitæ æternæ desiderio suspirant. Possunt etiam diuersi conuiuantium discubitus distinctos per Orbem Ecclesiarum conuentus, quæ vnam catholicam faciunt, designare. Quos bene Dominus quinquagenos per turmas, vel Centenos discumbere præcepit, vt videlicet turba fidelium escam suam, & locis distincta, & moribus coniuncta perciperet. Iubilæi quippe requiem quinquagenarij numeri calculo contineri satis superque monstratum. bis autem ducitur quinquagenarius, vt ad Centenarium perueniatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, vt post anima plenius quiescat in cogitatione, alij quinquagenarij, alij Centeni discumbunt, quando sunt nonnulli, qui a prauis actibus habent operis requiem; & sunt nonnulli qui a peruersis cogitationibus iam mentis requiem habent. Centenarius item mystice bis continet quinquagenarium. vt enim quinquagenarius spiritualis vitæ hieroglyphicum est, & animi eius qui diuinis intentus, sublimia quæque mente concipiat, & contempletur: ita duplicatus in Centenarium, negociosam solet insinuare. Quinquagesimo enim post resurrectionem die descendit Spiritus sanctus. Et operum nostrorum fructus vberrimi atque pinguissimi, ad Centenarium vsque numerum cumulantur; eorum inquam qui vitæ integri, scelerumque pueri peregrinationis nostræ cursum pie sancteq. peregerunt. Quod si maiora desideras huius numeri sacramenta, memento decem milia inimicorum fugari a Centũ bonis. quia Centum fideles, nõ tã numero Centum, quam perfectione signati, multa millia cõtrariorum virtutum persequuntur. Fugant. n. fideles doctores innumeros dæmones, ne aïæ credentium antiqua fraude decipiantur. Centum milites sunt qui per-

Beda in Lucã li. 3

Beda in Mar. 6. li. 2. c. 26

Act. 2.

Leuit. 26

2. Paral. 12.

Ezech. 40.

perfectioni student. Centum cubiti a porta interiori ad exteriorẽ, designantes altiorem profectum eorum, qui iam perfectionem attigisse videbantur. Centum bati olei apud Lucam, magnam Dei misericordiam præsignantes. Arca Nohe, quæ specialiter typum gestauit Ecclesię, Centum annis fabricata describitur. Centum cubiti longitudinis atrij tabernaculi, spem cœlestium significant, & Cælestem vitam. Centum quoque cubitorũ erant longitudo, & latitudo Templi, vt ostendatur nos mente, sermone, & operibus Deo seruire debere: vel etiam designari potest perfectio operum. Abraham Centenarius Deo credidit, iustificatus est, & genuit Isaac. Rupertus Tuitiensis: Cum nascitur (inquit) Isaac, cuius generationem vnica Dei gratia operata est, paternæ ætatis numerus plenus & integer, vnus et simplex. i. solo limite Centeno contentus est sub vnitate. Vnitas namq; apud Philosophos, neque mas, neq; fœmina dicitur, & proinde recte sub Centena vnitate paternorum annorum nascitur Isaac, cuius generationem neque viri, neq; feminæ natura, sed sola diuinæ promissionis veritas operatur. Hæc Rupertus. Tu vero illud superaddas, In Isaac Centesimo patris sui anno nascente, Electos omnes, atq. diuinæ promissionis filios intelligi, quos Cẽtesimo anno nasci nihil aliud est, nisi singulari magnoq; Dei beneficio non solum in præsenti hac vita affici, verum etiam post hanc longe felicissima immortalitate frui. His alijsq; secretioribus rationibus, quas illustrium virorum subtiliora ingenia indagarũt, Centenus numerus in scripturis sanctis sępe sacramentales caussas complectitur.

Cap. 16. Cap. 5. 7. Exho. 27 Ezech. 40. & 41. Gen. 7. Gen. 21. Aug. in Ciu. Dei li. 18. c. 3 & Rupertus. s. Genes. 27.

DE NVMERO CXII.

CEntenarium consequens duodenarius, idem fere designat in sacris litteris, quod ante Centenarium duodenarius, sed exuberantius atque augustius, totam scilicet Sanctorum in cœlesti ciuitate multitudinem, atque frequentiam. Vt n. Centenarium antecedens duodenarius, præ-

Iodocus Clict.

præcipuos sanctæ Syon & Ecclesiæ præsentis patres complectitur; sanctos inquam Prophetas & Apostolos: non secus ex adiectione centenarij accrescens duodenarius, sacratissimum supernæ Hierusalem, & ciuium cęlestium comprehendit cœtum, totamque illam felicissimæ regionis curiam. Quod vel ex Cassiodiori Senatoris patet sententia in explanatione Psalmi centesimi duodecimi dicentis: Vehementer admiror, quotiens istum numerum reperio, ingentium sacramentorum honore plenissimum. Ipse.n.calculus Apostolos complectitur, ipse Israeliticum populum diuisit in Tribus, futuram illam (sicut pater Hieronymus ait) significans beatitudinem duodenaria quantitate distingui. Verbi gratia, vt primum locum habeant Apostoli, secundum Prophetæ, tertium Martyres, quartum infantes post baptismum rapti, quintum Virgines, sextum vere pœnitentes. vt sic vsq; ad duodecim partes per diuersas meritorum distantias gaudeatur. Hoc tangere videtur Apostolus cum dicit: Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic erit & resurrectio mortuorum. Quapropter iste Psalmus post centesimum duodenario numero constitutus, futuræ nobis beatitudinis imaginem compromittit; quando ad illam æternæ lętitiæ similitudinem, iugiter Dominum a pueris præcipit esse laudandum.

1. Cor. 15

DE NVMERO CXX.

Admirabilis est numerus Cẽtesimus vicesimus, cum tantis restituatur, & numeretur partibus, quotus ipse trigonus est. Habet enim partem dimidiam, hoc est, sexaginta: habet tertiam, nam quadraginta: nec caret quarta, videlicet triginta: habet quintam nimirum vigintiquattuor: nec illi deest sexta, scilicet viginti: tenet octauam, quindecim; decimam, quæ sunt duodecim: habet & duo-

1	1	1
2	2	2
3	3	3
4	4	4
5	5	5
6	6	6
8	7	8
10	8	1
12	9	3
15	10	6
20	11	2
24	12	6
30	13	3
40	14	4
60	15	6
240.	120.	60.

decimam, nempe decem; quindecimam, octo; rursus vicesimam, nempe sex; vigesimã quartam, quæ sunt quinque; tricesimam, quattuor; quadragesimam, hoc est, tria; sexagesimam, duo; habet deniq; centesimam vicesimam, quod est vnum. Sunt igitur omnes partes quindenæ, quarum partium notas, si ad vnum iunxeris, habebis sexaginta, ad 120. subduplum. & si dictas partes quis copulauerit, eius duplum, idest 240. restituet. si suis quoque partibus ipse adijciatur, triplum ipsius i. trecentorum sexaginta numerus emerget. Est igitur numerus 120. se ipso toto fecundus, & abundans, se ipsum quantus est transcendens, semet cõ geminans, sese integre restituens, seque totum toto seipso compensans ac redimens. Est alias quoque 120. numerus triangulus, & constat ex paritate quidem numeri 64. nempe octo imparibus ab vnitate sumtis. nam vnum, tria, quinque, septem, nouem, vndecim, tredecim, & quindecim, simul iuncta producunt sexaginta quattuor, quadratum numerum, quod eorum quæ fit per impares compositio, quadratos generet. nam dispositis ab vnitate imparibus, eisdemq. in vnam summam coaceruatis collectisq. tetragoni prodeũt.

Hier. ad Paulinũ. Clemẽs Alexan.

Impares	1.	3.	5.	7.	9.	11.	13.	15.
Quadrati	1.	4.	9.	16.	25.	36.	49.	64.

Ex imparitate rursus numeri 56. nempe septem paribus a binario, posteriores coaceruando superioribus, siue etiam in ordine disposito naturali numerorum ordine, secundo per primum ducto, procreabuntur altera parte longiores, quorum septimus erit 56.

Numeri continue pares	2.	4.	6.	8.	10.	12.	14.	
Altera parte longiores	2.	6.	12.	20.	30.	42.	56.	
Numerorum naturalis ordo	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Altera parte longiores	2.	6.	12.	20.	30.	42.	56.	

Simul autem iuncti 64. & 56. procreant numerum 120.
In alio rursus significato constat 120 ex quattuor, triangulo quinto, quadrato quinto, quinto pentagono, & hexagono quinto.

Trigoni	1.	3.	6.	10.	15.
Tetragoni	1.	5.	9.	16.	25.
Pentagoni	1.	5.	12.	22.	35.
Hexagoni	1.	6.	15.	28.	45.

Eadem igitur proportione sumtũ est 5. in vnaquaq; specie. Triangulorum. n. ab vnitate quintus est 15. Quadratorum quintus 25. Pentagonorum 35. Hexagonorum 45. simul autem sumtis, 15, 25, 35, et 45. exsurgit numerus 120. Iam vero, vt de his rursus pauca tangam, Numerus quadragenarius quinarius constat ex descriptione quæ fit ex triplis 6. 9. 12. 18. quarum compositione gignitur numerus 45, qui sexies multiplicatus, parit 270, qui dierũ numerus conficit menses nouẽ, quibus humanus perficitur fœtus. Numerus tricenarius quinarius ipse quoq; habetur ex ea quę fit ex duplis descriptione arithmetica, geometrica, et harmonica nẽpe 6, 8, 9, 12, quorum compositio numerum 35. generat, qui ductus, 6. parit 210. quo dierum calculo diximus formari fœtus septem mensium. Numerus aũt Vicenarius quinarius, qui est ab vnitate quintus tetragonus, pertinet ad Christũ seruatorem nostrũ, qui vt multorum Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum, mortuus est die Vigesimo quinto Martij (hic. n. dies tunc in decimam quintam Lunam primi mensis Hebręorum incidebat.) Hoc quippe pręter cęteros astruunt Cyrillus Epistola ad Synhodum Carthag. Tertull. lib. 1. cont. Iudęos. Athanasius in Quęstionibus. Iohan. Chrysost. serm. de Iohan. Baptista. Augustinus de Trinitat. lib. 4. cap. 5. & in Ciuit. lib. 18. cap. vlt. Et beatus Hieron. in Martyrologio testatur dicens: Octauo Kalendas Aprilis Hierosolyma Dominus crucifixus est, & sexto Kal. April. Hierosolymae resurrectio Domini nostri Iesu Christi celebrata est. Eadẽ fere verba refert Beda lib. de Tẽporũ rõne c. 45. et lib. 1. c. 3. in Lucã. Vt. n.

æquinoctio verno, & Sole in eo exsistente, Luna autem plena ad punctum autumnalis æquinoctij sibi opposita, Mundi creatio, & primi hominis plasmatio, principium habuerunt; ita ipse post sacri Paschatis ad idem tempus institutionem die 25. Martij, Sole, & Luna conformiter æquinoctium tenentibus, pati voluit, maculam illam, quam simili tempore post protoplasti Adæ peccatum & prę- uaricationem genus humanum contraxerat, per suam ipse passionem deleret, atq; omnia parata ac nitida redderet, et humanam naturam pristinæ innocentiæ restitueret: vtque æquinoctio illo totus aquæ atque terræ ambitus pleno ab vtroque luminari vndecunque illuxit; ita fugatis & pessundatis tenebris, æternam nobis lucem cuius tota terra capax esset reduceret. Est enim vernum æquinoctium vertex temporis, & lucis principium, quandoquidem ante primum æquinoctium dies luxque non fuit, & Sole in circulo æquinoctiali exsistente, lumen diei, supra tenebras noctis crescere incipit, vt non semel magni mysterij arcano tempus æquinoctij, quod in 25. mensis incidit, Saluator noster obseruasse videri debeat: quemadmodum in libris, quos de Romani Kalendarij correctione edidit, scriptum reliquit Paulus Germanus Forosemproniensis Episcopus. Numerus denique quindenarius ipse etiam sacer habetur, magnamque cum Centesimo uicesimo coniunctionem habens. Post ethicum illum Psalmum, quindecim carmina, & quindecim Graduum Psalmï sunt, per quos primum ad canendum Deo, & in atrijs consistendum iustus ascendens eruditur in lege; & septenario numero completo, postea per ogdoadem ad Euangelium scandit. Præterea hic idem numerus illud continet Sacramentum, vt cum quinque sensus corporei (per quos fragilis humanitas contrahit omne peccatum) beatæ, & indiuiduæ Trinitatis fuerint virtute superati, ad quintum decimum Gradalium Psalmorum nos culmen educat, eoq; fiat vt corporis imbecillitate submota, victoribus præmia sempiterna donentur. Deniq; quindenarius vtriusque gerit Testamenti significationem, & trigonus in

Ioseph' Moleti' lib. 1. de de correctione Kalendarij c. 15.

Psal. 118 119. Hiero. in Eccl. c. 11

Beda in Psal. gra.

ordine

ordine quintus decimus constituit numerum Centum viginti, vt nuper ostendimus. quo fit vt numerus 120 typum figuramq. veteris & nouæ legis preferat, eorumq. qui in vtroq; Testamento legis, & Euangelij præcepta implere laborant. Quindenarius quidem ex septem & octo confertur. septem, ad sabbatum refertur; octo, ad circuncisionem, quia octaua die circuncidebatur puer. si vero ad nouum Testamentum respicias, habes septem dona Spiritus sancti, & in octauo resurrectionem Christi. Cētum viginti ergo eos significant, qui vel in veteri, vel in nouo Testamento legis & Euangelij præcepta implere student. Simili modo in Actis Apostolorum cap. 1. cum describitur surrogatio et ascriptio S. Matthiæ in numerum Apostolorum loco Iudæ proditoris, ait Lucas: Erat autem turba hoīum simul fere centum viginti. Quod exponens Hieronymus in principio libri 17 in Esaiam: In hoc (inquit) numero virorum, gratiam Spiritus sancti primitiua suscepit Ecclesia, patenter ostēdens, quia qui lege legitime vtuntur. i. qui Christi in ea gratiam cognoscentes amplectuntur, iure spiritus eius gratia replentur, qua in charitate eius amplius ignescant. nam 120 doctrinæ legali cōueniunt, propter annos totidem Legislatoris. Oportebat. n. vt sacramētum, quod Legislator in annis exhibuit, hoc noue gratiæ prædicatores suo numero designarēt. Porro Moyses vita uixit annos Centum supra uiginti. Quadraginta siquidem annis Aegyptum coluit, dux sub Pharaone Aegyptiæ militiæ; quarta uero decade, profugus ex Aegypto, sequentibus quadraginta annis, pascendis ouibus operam dedit gener Sacerdotis Madianitarum; in exitu aūt octauæ decadis Deo, sub inambusti rubi flāma cōspecto, reuersus in Aegyptū octogenarius populi Dei pastor est institutus; demū quadraginta annis, sacro perfunctus populi Dei pastoratu, peracto oī diuinitus instituto magisterio, Cētesimū supra uigesimū attigit uitæ terminū. Rabanus in Gl. ordinaria: Hic, inqt, numerus Cētū uiginti cōgruit ętati Mosi. ut sicut sub hoc num. Mose defuncto, Iesus successit, q populū in terrā pmissionis induxit: sic ueteri legi ī Ecclesia principatus Christi successit,

Glo. ordin. in c. 34. Deu.

verum Israel ducens ad regnum cœli. Denique numerus Centesimus vigesimus æternam Sanctorum beatitudinem in futura vita designat, propter habitudinem eius ad quindenarium iam expressam, vitę venturi seculi designatiuũ. Nempe septenarius & octonarius quindenarij partes, placidã cœlestis patrię quietẽ insinuant, hic quidem corporum requiem in resurrectione vltima (quã signat) venturam; ille vero quietem animarum iam corpore solutarum. Attestatur hoc Glo. ordinaria in explanatione supradicti loci de ætate Mosis, in qua supremum diem clausit, ex Deuter. adducti, dicens: Quod Moses centum & viginti annorum erat quando mortuus est, hoc significat tam eum, quam cæteros patres veteris Testamenti post perfectionem mandatorum Dei, quæ est in duobus præceptis charitatis, per gratiam Christi, & sanguinis redemtionem, æternę quieti & futurę vitæ aptos esse. Scrutemur cætera huius numeri mysteria. Centum viginti cubitorum erat altitudo domus Domini ædificatę a Salomone, vt secundus habet liber paralip. cap. 3. Hyram rex Tyri misit centum viginti auri talenta Regi Salomoni. totidem auri talenta recepit Salomon a Regina Saba. Hic item annorum numerus consecratus est vitæ hominum eorum, qui fuerunt in diebus Nohe, quibus istud conceditur vitæ spacium, quo inuitantur ad pœnitentiam, magis volens Dominus ignoscere, quam punire, vt imminentis diluuij terrore, suspensos ad veniam cogeret postulandam; quo, dum periculum futurę mortis horrescunt, impietati, atq; iniustitiæ renunciarent. Homo .n. inter intellectuales creaturas hoc præcipue sortitus est, quod solus pœnitentiam agendo, venia dignus fit. Ex quo Domini supra modum clementiam colligere licet; quia multorum annorum offensionẽ a Mundi constitutione in finem vsque contractã voluit relaxare, si eos pœnituisset hoc temporis curriculo. At vero Deus cum ad pęnitentiam Centum viginti annos præfinisset, postquam vidit peccatum crescere, & inundare, non exspectauit præscriptum terminum; sed amputatis viginti annis, morte plectendos homines iudicauit; tum

vt

[Marginal notes: Cap. 34. — 3. Reg. 9. — 3. Reg. 10. — Gen. 6. Aug. in Ciu. Dei lib. 15. cap. 24. Hier. hom. 2. in Cant. Io. Franc. picus de rerũ prenotione lib. 3. cap. 4. — Theodoret. Cyrenen in prophetas.]

vt peccati progressionem comprimeret; tum quia non ignorabat satius fore his qui insanabiles sunt mori, quam vitam agere; ac si vita priuentur, dupliciter prodesse cæteris: namq; horum exemplo a peccato cæteros deterreri, et improbis hominibus mundum ipsum emendari. Mystice vero qui pondere & mensura omnia regit, & administrat Dominus, Centum viginti annos deputarat, quod pœnitentiæ sit addictus hic numerus ex conflatione quadragenarij ter repetiti, quem frequenter emundationi & purificationi in diuinis litteris inuenimus aptatum. Inde & quadraginta diebus, fuso Cataclysmo ab hominum iniquitatibus terra diluta est. Reijcit aũt D. Hier. trãslationem illam, quæ habet: Non permanebit spiritus meus in homine &c. dicens in hebræo scriptum esse: Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt; hoc est, quia fragilis est in homine condicio, non eos ad æternos seruabo cruciatus; sed hic illis quod merentur restituam. sic enim legit & Rabi Salamon: Non disceptabit, non iudicio contendet spiritus meus. Iam vero apud Philon. Iud. dicit Dominus: Non dijudicabit spiritus meus in omnibus istis in secula, eo quod carnales sunt. erunt autem anni eorum 120. in quos posui terminos seculi. Nec ab ijs dissentit Glo. de pœniten. dist. 1. predixerat: Spiritus meus, idest indignatio mea non remanebit in homine in ęternum. i. non erit ęterna, quia non reseruabo hominem in ęternis cruciatibus, sed ipsum hic puniam temporaliter. s. diluuio, quasi Dei sonet clementiam, dum peccator hic pro suis sceleribus visitatur. Magna siquidem est ira Dei, quando peccantibus non irascitur, vltionis tempus differt vt maiori supplicio delinquentes afficiat. Vnde iratus Dominus in hunc modum ad quosdam loqui describitur: Non visitabo filias eorum cum fuerint fornicatæ; nec sponsas earum cum adulterauerint. e contrario misericordiam nuncians: visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; verum tamen misericordiam meam non dispergam ab eis, neq; nocebo in veritate mea. Fatidico vati subscripsit Plato, asserens si quem Deus

Plato de legibus lib. 9.

De pœnit. dist. 1. cap. ne forsitan.

Hier. lib de Hebraicis quæst. Ioh. Chrysost. in Gen. hom. 20.

Lib. Biblicarum antiq.

Osc. 4.

Psal. 88. Prouerb. 13

De Rep. li.

punit, punire gratia boni: & si quis Poeta Iambica inducat, in qui bus passiones Niobes referantur, vel Pelopidarum, vel Troianorum, aut aliquid huiusmodi; vel sinendum non esse eum dicere hęc Dei opera esse, vel si Dei sunt, educendum esse in his rationem, dicendũq. Deum quidem bona, iustaq. egisse, atque eos puniendo iuuisse. Quod vero miseri sint, qui pœnas pendent, sitq. Deus, qui sic affligit, Poetam dicere non est permittendum; sed si diceret malos homines, vt pote miseros, pœnis egere, easq. soluentes à Deo iuuari, permittendum. Diodorus Tarsen. Episcopus. Iosephus Heb. Antiq. lib. 1. c. 5. Lact. Firm. Diuin. instit. lib. 2. c. 14. Trebellius Pollio in Claud. Petrus Aponen. lib. qui ab eo Conciliator inscribitur differentia 9. Carolus Bouill. lib. de numeris perfectis, hunc numerum referunt ad terminum vitæ hominum, quam Deus intra Centum viginti annos coarctauerit, ne diu viuendo, & peccata, & damnationem nostram augeremus. Sunt ex Hebręis, qui opinentur Henoch filium Iaret

Gen. 5.

præmatura morte a Deo sublatum, idque sacram scripturam ostendere, quę de eo sic scribit: כִּי לָקַח אותו אֱלֹהִים. i. quoniam tulit eum Deus. vt clarum; sit Deum illi mortem, muneris loco, dedisse. Idem etiam Menander poeta scribit: Deos nonnunquam ijs, quos diligũt, mortem pręmaturam, ceu beneficium aliquod dare, vt vitam eripuisse putandi non sint, sed magis mortem dedisse, ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος. idest. Quem Dij amant, moritur iuuenis. Vt. n. mala vita, quo longius fuerit propagata, eo magis delinquentibus pęnam multiplicat, sic Fidelibus non vita longa prodest; sed bona. Nã si rem penitus introspicias, soli bono viro bonam senectutem cõcedi compertum est, non longæuitatem dico; sed uitam cum prudentia. Felices enim dies multis annis sunt meliores: sicut breuis lux, melior, quam æternę tenebrę. salubriter etenim dixit Propheta, malle se vnam diem cum virtute viuere, quam mille annos in vmbra mortis. per vmbram, vitam subindicans malam, quod re magis, quam verbis diuina docet auctoritas, quando impium Cain, pro eo quod se ipsum fraternę cędis crimine constrinxerat,

Vide Adagiũ Optimum nõ nasci.

Plini⁹ natural. histo. lib. 7. cap. 50.

Psal. 83.

Gen. 4.

rat, Dominus viuere voluit vsque ad septimam generationem. Vnde varia quantitate numerositatis annorum interposita, ab Adam vsq; ad Cataclysmum per Cain septem enumerantur generationes; at per Seth, decem. Abrahã rursus patriarcham cui, bonam senectutem Dominus pollicetur, breuioris æui narrat oraculum, quã vllum ex eius maioribus, philosophice nos erudiens quæ sit bona senectus, ne hoc promissum intelligamus de senectute, quæ apparet in corpore plena probrosis fœditatibus; sed de prudentia, constantiaque animi dictum accipias. Hic suum teneant locum Platonis verba in Timęo: Nostris illis fabricatoribus de nostro genere consultantibus, vtrum diuturnius quidem, sed deterius; an breuioris quidem uitę, sed melioris efficerent, visum fuit uitam breuem melioremq. diuturnę et deteriori esse omnino anteponendam. Itaq; caput osse raro texere; sed carnibus, neruisq; quia flexiones non erat habiturum, non fulciuerunt. His decaussis caput membris omnibus acutius ad sentiendũ, prudentiusq;, sed imbecillius est constitutum.

Gen. 5.

DE NVMERO CL.

Centesimus quinquagesimus numerus in scripturis diuinitus inspiratis admodum sacratus habetur, & mysticus propter certam quantitatem quam summa sua complectitur, nam triplum in se continet quinquagenarium, quasi illum multiplicauerit Trinitas. vnde hac de caussa non inepte conspicimus Psalmorũ coæquationem fieri numero 150. qui si per quinquagenarios articulos interrogetur, magnum aliquid & valde mysticum continere probabitur. Non. n. frustra quinquagesimus Psalmus est de pœnitentia; centesimus, de misericordia, et iudicio; Cẽtesimus quinquagesimus, de laude Dei in sanctis eius, quando completo illorũ numero magnæ festiuitatis completoriũ celebrabitur in æternũ. Sic porro ad beatam, æternamq; tendimus vitam, primitus damnando peccata; deinde bene viuendo, vt post vitæ malę fugam, per bona opera perueniamus ad vitam æternam.

Hugo 2 Sã. Vict. in spec. Eccl. c. 3.

Hi

Hi sane tres sunt dies ante Pascha, quorum primus est pœnitentię, secundus iustitiæ, tertius dies retributionis, in quo fit consummatio. Vnde Dominus in Euangelio: Hodie, & cras eijcio dæmonia, & sanitates perficio, & tertia die consummor. Dies pœnitentiæ significatur, per diem, in quo passus est; dies iustitiæ, per diem in quo iacuit in sepulchro; dies retributionis, per diem in quo surrexit Dominus. Pœnitentia cruciat: iustitia tranquillat: remuneratio, & vita æterna glorificat, & lætificat. Pœnitentiæ vox est: Miserere mei Deus, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Iustitiæ Christi vox est in Electis suis: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine. Vitæ æternæ vox est: Laudate Dominum in sanctis eius; et, Omnis spiritus laudet Deum. Est huius numeri aliud euidens sacramentum. nam quemadmodum Centum quinquaginta diebus, diluuio superducto, criminibus suis terra diluta est; ita Psalmi tali numero producti genus humanum peccatis suis pollutũ conuenienter reddunt absolutum. Cassiodorus: Psalmorum, inquit, spiritualis abyssus peccatis iniquinata corda mortalium, vsq; ad iudicij tempus perpetua emundatione purificat, & fit nobis ex ipso salutare diluuium, quod nostrum sensum delictis sordidum reddit ablutum. Tertio quoq; mysterio decoratur hic numerus. cum.n. quindecim constet decadibus vtriusq; Testamenti cõplectitur sacramenta; septem quippe decades referuntur ad vetus Testamentum, vel propter obseruantiã sabbati, quam septima die fieri præcipiebat; vel quia promittebat terrena, & temporalia bona, quæ septenario dierũ voluuntur; vel quia carnalis ille populus, cui talia promittebat, septuaginta annis in captiuitate detentus est Babylonica. octo vero nostro tempori deputantur, qui resurrectionem Domini, quæ octaua die mane facta est, per quam reparati sumus ad æternitatem, per singulas hebdomadas die octaua cum deuotione veneramur; vel propterea quia sex ætates huius seculi sunt; septima dormientium, idest, illorum qui adhuc exspectant communem resurrectionem;

Luc. 13.
Psal. 50.
Psal. 110.
Psal. 150
Gen. 7.
In Psal. 150.

octaua

octaua vero resurgentium quando nouissima mors destruetur, & quando duplici stola vestiemur s. in anima, & in corpore. Inde patet quod Psalmi, in quibus noui, & veteris Instrumenti mysteria panduntur, Centum et quinquaginta mystice numerantur. quid.n. in illo cęlesti armario scripturarum diuinarum inuenire non possis? Genesim quæras, hic quẽadmodum fabricatus fuerit Mundus exprimitur. Prophetam dicas, quis de incarnatione Domini, tanta locutus est? Euangelium quoq; cupias, passionem & resurrectionem Christi Domini locis innumeris euidenter ostendit. Apostolum velis, audi doctorem, audi miserentem, qui & futura iudicia propter correctiones prædicat, & pro peccatoribus frequenter exorat. quidquid deniq; in cęlo, in mari, in terra, vel apud inferos agitur, omnia suis posita locis competenter agnoscis. Cum igitur idem valeant septem, & octo in ordine singulorum, quod septuaginta, & octoginta in ordine decadum, non immerito septem primæ Psalterij decades, ad vetus; ceterę octo decades ad nouum Testamentum spectabunt. quamuis interdum in prima parte veteris Instrumenti noua misceãtur mysterij sacramenta, vt vtrumq; culturæ nostræ conuenire modis omnibus sentiatur. Huc facit quod Psalmo octogesimo nono scriptum est: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, & plurimum eorum labor, & dolor. Nam si annos illos ad litteram velimus aduertere, multos hominum, & nonagenarios bene vigentes inuenies, vt Saturnios, & Iouiales, vtpote tardiorem vitam sortitos, ob tardiorem stellarum ambitum; quia etiam sic decernit suum Hilech & Alcocoden, vt Astronomi dicunt. Et iterum, necdum septuagenarios debilitate confectos, vt Mercuriales puros. quorum vitę spacium Astronomi decernũt triginta annorum. Asclepiades dicebat Aethiopes celerius senescere, anno. s. trigesimo; idque propterea quod eorum corpora nimio Solis ęstu exurantur. In Britannia contra senium anno 120 inchoari, quod corpora, ob frigiditatem istarum regionum, igneam in sese contineant naturam. Et corpora Aethiopum rariora esse, quod rela=

Ex Plutar. d Placitis Philos. lib. 5. cap. 3.

relaxentur calore Solis. in Septentrionalibus regionib. corpora den siora, ideoq. etiam viuaciora. vt quod ibi dicitur, constare minime posse videatur. Ergo duo testamenta per hos numeros insinuauit. Ipsa sunt.n. præcepta, in quibus animæ fideles saluberrima mentis valetudine reguntur. Vnde numero octogenario addidit: In potentatibus, quia tunc re vera cępimus habere potentiam, quando nobis Saluator noster apparuit. Isti sunt igitur dies annorum nostrorum, qui nobis probabilis vitę conferunt claritatem, vt merito dies dicantur, per quos Dominum in verbis suis illuminata mente conspicimus. Quod si adhuc mystica quędam nosse desideras, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Aliud est in ipsis, aliud in potẽtatibus. nam in ipsis temporalibus rebus septuaginta, quia temporalia promittuntur in veteri Testamento; si vero non in ipsis annis, sed in potentatibus, idest, non in temporalibus, sed æternis, octoginta anni, quod nouum Testamentum in spe est renouationis, & resurrectionis in ęternum, & amplius eorum labor & dolor. qui enim hæc duo Testamenta transcenderit, laboribus maximis & doloribus implicatur. Non enim est illic aliquid, sicut Hæretici faciunt, plus minusue sentire, vbi cælestem regulam seruat moderata distinctio.

DE NVMERO CLIII.

NVmerus aliquis in diuinis oraculis expressus, sępe totam aliquam multitudinem insinuat, numero quidem indeterminatam, & assignato illo numero longe profusiorem; in aliqua tamen certa proprietate, per numerum illum indicata, conuenientem. Huiusmodi est numerus Centesimus quinquagesimus tertius, significans omnem Electorum multitudinem in die iudicij collocandam ad dextram, et in gloriæ sortẽ aßumendam. Non.n. solummodo Centum quinquaginta tres Iusti

in

in dextera Iudicis erunt, cum ex omnibus populis, tribubus, & linguis milia milium in conspectu throni, & agni stantia, Diuo Iohanni in reuelatione ostensa sint; verum numero Centum quinquaginta trium omnes significantur certa quadam ratione, pertinentes ad resurrectionem vitæ æternæ. Hic. n. piscium inuentus est numerus, quando Discipulis piscatui intetis, post resurrectionem suam Dominus, nouam vitam demonstrans, retia leuari præcepit. quæ tamen non rupta sunt, quia tunc hæreticorum inquietudo non erit. mittuntur .n. in dexteram partem, vbi peccatores, qui ad sinistram pertinent, non inueniuntur. tunc quippe homo perfectus, & quietus, purgatus in anima sua & corpore, per eloquia Domini casta argentum igne examinatum, terræ purgatum septuplum accipiet mercedem denariũ, vt sint decẽ et septem. Quare Psalmus decimus septimus in Regnorũ libris solus integer legitur, quia regnũ illud significat, vbi non habebimus aduersarium. Titulus .n. illius est: In finem, puero Domini Dauidi, qui locutus est Domino verba Cantici huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul. Quis .n. figuratur in Dauid, nisi ille, qui venit in carne ex semine Dauid? qui vtiq; in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos. Vnde et illi persecutori, quem voce mactauit, & in suum corpus traijciens quodammodo manducauit, insonuit de cœlo: Saule Saule quid me persequeris? quando autem merebitur arripere hoc corpus de manu omnium inimicorum eius, nisi cum & illa nouissima destruetur mors? Amplius vis scire vniuersam Sanctorum multitudinem numero notari 17? hac ratione cognosces, si numerum cõstituas qui legem significet, quot erunt nisi decem? sed lex quando non adiuuat gratia, præuaricatores facit, & tantummodo in littera est. propter hoc enim maxime dicit Apostolus: Litteram occidere; spiritum viuificare. Accedat ergo ad litteram spiritus; sed vt operemur præcepta legis, non viribus nostris, sed gratia Saluatoris. Cum autem accedit ad legem gratia, idest ad litterã Spiritus, quodammodo denario numero septenarius additur,

Apoc. 5. 7.

Iohan. 21

Vide Hierõ. i Esa. lib. 17. & in Ierem. cap. 32.

Act. 9.

2. Cor. 3.

tur, Spiritui sancto dicatus numerus. Cum itaq; legis denario per septenarium Spiritus sanctus accedit, fiunt decem & septem, quæ in trigonum resurgentia, conficiunt numerum 153. qui potest occurrere ad Ecclesiæ sanctitatem, quæ per Christum facta est, vt, quoniam septenario numero creatura cõstat, cum ternarius animæ, quaternarius attribuitur corpori, susceptio ipsa hominis significetur. ducantur itaq; tria septies, quia Pater misit Filium, & Pater est in Filio, & dono Spiritus sancti de Virgine nasci dignatus est. hæc sunt tria, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; septies autem ipse homo temporali dispensatione susceptus est, vt fieret sempiternus; fit ergo summa numeri 21. vel tria septies. Hæc autem hominis susceptio, ad liberationem valuit Ecclesiæ, cuius Christus caput exsistit. at ipsa Ecclesia propter animam, & corpus, in eodem reperitur numero septenario. ducantur itaque 21. etiam septies, propter eos, qui per hominem dominicum liberantur, & fiunt simul 147. cui additur senarius perfectionis symbolum, quia ad illud etiam sacramentum pertineat quod Deus sexta die perfecit opera sua. ad 147. cum sex addideris, fient omnes Centum, & quinquaginta tria. Aliud huius numeri mysterium. Centenarius Gentium significat multitudinem; quinquagenarius, Iudæos ad fidem sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis conuersos. vnde additur Triadis mysterium, vt fiant Centum quinquaginta tres. tres enim dicti numeri mystice coniunctim descripti sunt; quoniam coniunctim intelligitur, quia vnum sunt omnes pij, & credentes in Deum per IESV Christum Dominum nostrum, cuius mandato ad virtutem, & perfectionem trahuntur. Vel ita cum D. Gregorio consideretur. In Testamento veteri omnis operatio per decalogi mandata præcipitur; in nouo autem eiusdem operationis virtus per septiformem gratiam Spiritus sancti multiplicatis fidelibus datur; sed ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, vt & Patrem et Filium, & eundem Spiritum sanctum vnius virtutis credat, vnius substãtiæ esse fateatur. Oĩs igitur nostra virtus & operatio per 17, potest

Hom. in Iohan. 21

potest plene comprehendi. ducamus ergo per ternarium 17, nascetur 51, qui sane numerus a magno mysterio non vacat, quia in Testamento veteri legimus quod annus quinquagesimus Iubileus vocari iussus est, in quo videlicet vniuersus populus ab omni operatione quiescet; sed vera requies in vnitate est. diuidi quippe non potest vnum. vbi enim diuisionis est scissura, vera requies non est. ducamus ergo per ternarium, quinquaginta vnum, fiunt Centum quinquaginta tres. quia ergo cuncta nostra operatio in fidem Trinitatis exhibita tendit ad requiem, decem & septem ter ducimus, vt ad quinquaginta vnum venire de beamus. Et quia vera nostra requies tunc est, cum ipsam iam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in vnitate diuinitatis esse certū habemus, quinquaginta et vnū ter ducimus; et Electorū summā in superna patria quasi Centum quinquaginta trium piscium numerū tenemus. Post resurrectionem ergo Domini missum rete, dignum fuit vt tot pisces caperet, quot solummodo electos ciues supernæ patriæ designaret.

Leuit. 25

DE NVMERO CC.

DVcentesimi numeri calculum sæpe in malam partem in diuinis oraculis positum reperies. quandoque .n. titubantem fidem significat, vt qui proueniat a dualitate prima ab vnitate dissidente. Cum Dominus noster subiens in montem cū Discipulis suis, numerosam cōspexisset hominū multitudinem ad se venientem, & nosset suorū rudes adhuc, et obliuiosos animos, dixit Philippo, illius tentans animū, & ad futuri miraculi fidem formās: Vnde ememus panes, vt isti manducent? At Philippus, non exspectans miraculū, statim refugit trepidus ad pecuniarum viam, nullo alio modo rem hanc peragi posse putans, nisi cōmuni, tritoq; pecuniariū medio, nihil interim cogitans de virtute & potentia verbi IESV, tam etsi viderat illū in nuptijs aquam vertentem in vinum. ab impossibili igitur argumentatus, iuxta humanā rationem: Quid, inquit, Domine quęris de panibus emendis?

Iohan. 6.

etiam

etiam si Ducentis emamus denarijs panes non sufficiunt eis. Qualitatem nimirum ostendens animi, per hunc numeri calculum. Obseruet autem benignus Lector, quod Ducenti denarij (supputatore magno illo Budæo de partibus assis) valebant 20. aureos coronatos Gallicos. quos numeros inuenies in muneribus Abigail vxoris Nabal. nam primi Regum cap. 25. Abigail placatura Regẽ Dauid ad irã accensum stolido, & superbo responso stulti Nabal, illi obuiam iuisse memoratur, secum afferens munera Ducentos panes, duos vtres vini, Ducentas massas caricarum. Cuius ratio numeri non vacat prorsus mysterio. non .n. sponte hæc offert munera Regi, sed vi timoris, & quasi coacta, nempe quo iustam indignationem hostis temere, contumeliose, & stolide offensi, placaret. Cum hoc facto congruit item quod Gen. cap. 32. de muneribus Iahacob memoratur. dum enim & ipse timeret occursum fratris sui Esau, diuisit de his quæ habebat munera capras Ducentas, hircos Viginti, oues Ducentas, arietes Viginti, tauros Viginti, asinas Viginti. Quæ ratio numeri habet quandam latentem significationem conuenientiæ cum eo, cui munera dantur. Cum enim numerus 200, itemq; 20. originem ducant a Dualitate fonte diuisionis et alteritatis, recte munera in hoc numero ad eum mittuntur, qui ab amore germanitatis erat calumniose diuisus. Cum autem a binario idest 2. cognominentur 20. 200, & 2000. merito cognati sunt omnes eiusdemq; naturæ censentur, quod & sæpe docuimus, & hic vno vel altero exemplo dilucidabimus. Diximus vnitatem esse hierogbyphicum Virginitatis; vt Matrimonij dualitatem. ostendamus iam secunda vel tertia dualitate. idest 20, & 200. significata fœdera nuptiarum. nec non secunda, tertia, et quarta vnitate videlicet. 10. 100. & 10000. notari virginum statum. Apud Oseam capite tertio est sermo de meretrice, quam sibi Dominus cõduxit pretio quindecim argenteorum, & coro hordei, & dimidio coro hordei. Vides neq; in argenteis, neq; in hordeo quantitatẽ non peruenire ad dualitatem. Esset quidem vnitas si dixisset, decem argenteis. quia denarius numerus

est

est secunda vnitas. itemque si dixisset: coro hordei, neque addidisset, & dimidio coro hordei. Excessit secundam vnitatem, nec ad secundam dualitatem peruenit, quia neque viginti sunt argentei, neque duo sunt cori hordei. Quid igitur hoc sibi vult? nisi quia mulier ista, cuius de carne Christus Deus homo fieri dignatus est, & tamquam sponsus processit de thalamo suo, ad coniugium eiusdem Christi non peruenit? sequitur enim: Et dixit ad eam, dies multos exspectabis me, non fornicaberis, & non eris cum viro. Itaq; coniugij defectum notat huiusmodi numerorum defectus; quia neque vnitas sola, neque dualitas tota. Gens enim illa de qua Christus Ecclesię sponsus natus est, neque virgo est, quippe quæ iam adultera nominatur; neque vxor esse meretur, quia sine viro. patrem quippe non habet, qui filium non fatetur. At contra quæ virum hunc habet, quæ sponsa dici meretur, & est, & virgo est & coniux. atque idcirco quantitas argentorum eius, vnitate & dualitate taxatur. Sic enim habes in Canticis: Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. statimque vir ipse, scilicet Christus, dicit: Vinea mea coram me est, Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius. Igitur sicut illa neque virgo, neque viro iuncta est, & ideo argentei eius neque decem, neque viginti, neque corus vnus, neque cori hordei; e contra quia hæc virgo est, & coniux, idcirco argentei eius mille sunt, quia virgo; & ducenti, quia coniux. Habet Ducentenus in diuinis oraculis alia suæ tristitæ documenta, ex quibus huiusmodi numerum dolos, fallacias, & proditionem sapere perspicuum est. Ut enim habet liber secundus Regum cap. 15. Absalon dolos molitus, & oppressionem impiam, delegit, ad peragẽdum praua consilia, viros Ducentos. Præterea Taxatus etiamnum legitur præsens numerus in præputijs Philistinorum, quando Rex Saul duobus periculis arbitrabatur interimi posse Dauidem, nempe vel insidijs filiæ suæ, a qua se multum amari videbat, aut caussa Ducentorum præputiorum Philistinorum.

Cap. 8.

Pp propter

1. Reg. 18. Hieron. in trad. Hebr.

propter quæ adipiscenda Philistæos bello aggressurus erat. Dixit ergo Saul: Dabo filiam meam Michol illi, vt fiat ei in scandalũ; & sit super eum manus Philistinorũ. Deinde dicit ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie. quia iam illi tulerat præputia Philistinorum, pro Merob, quam Saul dedit Adrieli; et postea pro Michol Ducenta. Præterea Ducẽtos siclos argenti furatus est Acham. Ios. cap. 7. Deniq; præsens numerus ostendit mysteriũ suum in cæsarie Absalonis, quæ põderabat Ducẽtis siclis, vt legitur 2. Reg. 14. quem locum exponens Drogon, atq; ab historia ad mysticum sensum ascendens, hæc nobis consideranda proponit libro primo de Sacramento Dominicæ passionis. Animæ caluities quanto dilatatur, tanto se purius in eam vera lux infundit. Qui autem sibi comam nutriunt, cęcitatis & grauitatis sibi damnationem acquirunt. propterea lucis huius beatæ visionem perdidit Absalon, quia grauabat eum cęsaries, & non nisi semel in anno tondebatur, & crines suos ponderabat Ducentis siclis pondere publico. Vnde in eodem crine suspensus ad arborem interijt. Absalon, qui interpretatur patris pax, ipse est & Iudas, & quicumque in pace Christo est amaritudo amarissima. Sed quomodo comam nutriebat? fur erat, & loculos habebat. ista enim cęsaries grauabat, & semel in anno tonsus est, quando semel retulit triginta argenteos, quos ponderauit Ducentis siclis, qui numerus immundorum est. Pendet Iudas & Absalon per comam capitis sui. Crinis Absalon quo suspenditur, radix omnium malorum auaritia est; vbi hæc radicauerit omnium malorum cęsaries abundabit. &c. In hac capillorum tonsura ne illud quidem quod Pythagoram sæpius dicere solitum accepimus, silentio prætereundum est, quippe qui Diuinis addictos mysterijs monebat capillis positis sacrificare. purum enim a non puro tangi nefas esse dicebat Plato. liquet profecto nullum excrementum alimenti purum esse vel castum. Atqui ab excrementis nascuntur crines. Hominem sane constat inter cętera animantia capite esse piloso tum ad necessitatem. propter cerebri

Eadẽ fere Hugo de Foilleto. & Hugo a S. Vict. li. 2. c. 32 Mescell.

bri

bri humiditatem & commissuras caluæ. (vbi enim plurimum humoris calorisque est, ibidem ortum pilorum esse copiosum necesse est) tum ad ornatum, qui sit velut in culmine ædificij, nec in orbem coactus, ne quibusdam partibus nudis, esset informis. Cuius rei non ignarus Licurgus memoriæ traditur ciues suos insuefecisse comam nutrire, quod ea pulchros redderet decentiores, deformes vero terribiliores. Charilaus item sciscitatus cur comam nutriret? respondisse fertur, ex omni ornatu hunc esse pulchriorem ac venustiorem. Ceterum pessum euntibus vitæ precijs, ac re tota in turpem effeminatamque molliciem abeunte, adeo vt nullum esse comatum videas, qui vt est in prouerbio, non simul sit cinędus, testante Cicerone in Catilinam li. 2. vbi capillo pexo nitidos censorie subnotauit. Hinc Antonini præclara sententia cum Philiscum sophistam incesseret: Coma (inquit) virum, rhetorem indicat vox. Hinc & Pherecydes iuuene comato sibi obuio, oculos tunica operuit, digito ostendens ex corpore eius manifestum fieri, illum esse de pathicorum grege, vt scribit Synesius Cyrenensis in Oratione de Caluitij laudibus. Qui & ipse paullo ante hæc scripserat: Qui comam curant, effeminati sunt, & meretricij omnes. Prostant enim tantoq; maiorem palmam se consequi putant, quanto magis feminei ordinis imitatores fiant. Hęc igitur prospiciens Pythagoras optime iudicauit, Dei ministros detonso esse capillo. Huiusmodi autem præceptum, per manus traditum, ad nostra vtique tempora peruenisse videtur, cum Sacerdotes sacris legum decretis comam nutrire prohibeantur, sed illis tonsura, rasuraque competere probetur. Admonet aũt vertex rasus, oĩbus huius Mundi cupiditatib. liberũ esse oportere Christo dicatũ, cũ sacræ litteræ nihil aliud doceant, quã terrena contemnere, & vendere omnia quę possidentur in hac vita. Quare tolluntur capilli ex parte superiori, ne mens per occupationes temporales retardetur a contẽplatione diuinorũ mysteriorũ. summitas. n. capitis est eminentia mentis. Adde per capillorum detonsionẽ fieri eleuationem sensuum nẽpe visus & auditus, ne oculi vel aures

23. dist. fiq̃s ext. de vit. & hon. cle. c. si quis.

impediantur ab officio suo. Quare Euãgeliũ audituri in sacro Missæ aperiunt caput, quo sensus ad audiendum magis fiant idonei. Vnde dicit Canon, quod incedere debent Clerici detonso capite, & patentibus auribus. Ceterum, si alterum desideres sensum, paulisper attende. In sacris scripturis capillorum nomine, hominum petulantes motus, inordinatiq. affectus, & quæuis naturæ superflua designantur incommoda. In cuius typum veteris Testamenti Leuitæ, ac Sacerdotes, carnis suæ capillos crebro radebant. Porro hominum peccata ante Christi aduentum, mortemq. mirum in modum augebantur, in diesq. multiplicabantur: ita vt Moyse teste, Deum fecisse ac creasse hominem propemodum tęderet & pœniteret. Vnde in huius signum Nazareorum, hoc est, Domino sanctificatorũ, ac voto consecratorum Cęsariem ample, diffuseq. luxuriari non tantum permissam, sed & Dei mandato tunc distincte præceptam autumant Doctorum plerique. Verum Christo iam spinis coronato, passo, atque in montis cacumine decaluato, omnium nostrum maledicta, atque in vnum congesta peccata, acutiori passionis nouacula rasa fuere, & preciosi sanguinis eiusdem effusione deleta. In cuius figuram peracta agni immaculati oblatione, Nazareorum cæsaries Dominico præcepto radebatur, quo post Christi (qui vere agnus est immaculatus) passionem, tum Sacerdotum capita radenda, tum vniuersa vitiorum portenta ab omnibus resecanda, & diuino amoris ardore concremanda esse intelligantur. Nunc igitur refulgente Christo, Sacerdotum cesaries nouacula tondetur, quod Dominus noster IESV Christus Nazareorum, & omnium Deo consecratorum princeps spinea corona insignitus, atque in summo Caluariæ montis vertice pro omnium peccatis cruci appensus sit, ac decaluatus. Qui hoc insigni facto, omnibus passim caluiciem sequendam, capitisq. rasuram amplexandam esse denunciat. Nec suo mysterio caret, quod cæsaries in modum coronæ nouacula tondetur. hoc. n. fit ratione figuræ, quod corona perfectionis symbolũ teneat, vtpote circularis, angulo carens, in signũ carentiæ sordium; quia vbi angulus, ibi sordes.

24. dist. c. pen.

Num. 8.

Gen. 16.

Nume. 6.

DE

DE NVMERO CCXV.

NVmerus Quindenarius supra ducentesimum nihil eorum habet, quæ in numeris illustria ac p̃clara hñtur. In Vet. Test. tẽpus indicat quo Patriarchæ peregrinati sunt in terra Chanaan. Ab eo siquidem tẽpore, quo dictũ est Abrahæ, peregrinum fore semen eius in terra non sua, vsq; ad illud tempus, quo Iahacob descendit in Aegyptum, completi sunt anni 215. quia Abraham anno septuagesimo quinto vitæ suæ egressus est Mesopotamia in terram Chananeam, et genuit Isaac, cum esset annorum centum, vt dicitur Genes. 21. Aguntur itaque anni viginti quinque a promissione, vsque ad diem Isaac natalem. His adduntur anni, quos vixit Isaac, idest, centum octoginta, & fiunt 205. Tunc erat Iahacob annorum centum supra viginti. nati sunt enim sexagenario patre gemini, ipse & Esau, vt aperte colligitur Genes. cap. vigesimo quinto. Post decem autem annos intrauit Iahacob in Aegyptum, cum esset annorum centum triginta, Ioseph autem cum ageret ætatis suæ annum trigesimum nonum; ad triginta scilicet quos agebat, quando a Rege honoratus est, additis septem vbertatis, & duobus famis, fiunt peregrinationis anni 205. Postremo notat hic annorum numerus duram seruitutem filiorum Israel in Aegypto, & hominum sub peccati iugo oppressionem. Ioseph enim ab illo trigesimo nono ętatis suę anno, quo eum pater reperijt in Aegypto, quam Dominus vocat domum seruitutis, vixit septuaginta & vnum annos, quandoquidem ex hac vita migrauit annos natus centum & decem. vt patet Genes. capite vltimo. post cuius obitum filij Iahacob seruierunt in Aegypto annos centum quadraginta quattuor. Ex annis igitur Ioseph centum & decem, detractis triginta nouem, supersunt 71, quibus iuncti centum quadraginta quattuor, exsurgent Ducenti & quindecim. Quoniam igitur in fornace ferrea,

Athanasius in Exhod. Raban⁹. Gen. 15.

Aug. in ci uit. Dei li. 16. 43.

Ex translatione lxx. Interpretũ vt patet Exho. c. 12.

Aegypti, populus Israeliticus igne tribulationis fuit exeoctus, ac graui pressus seruitute: Aegyptus autem, quæ interprete Hieronymo, tenebras & tribulationem significat, statum qualitatemq; peccati insinuat, quod hominem interioribus inuoluit tenebris. non absurde numero 215, oppressio hominis sub onere et sarcina vitiorum exprimitur, ipsum in captiuitatem redigentium.

Lib. De nominibus Hebraicis i Acta A-post.

DE NVMERO CCC.

T*Recenta pro magno admodum numero ponũtur. Virgilius. Georg. 1.*

Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci.

Et Aeneid. lib. 4.

Tercentum tonat ore Deos.

Item apud Catullum.

Quos simul complexa tenet Trecentos.

Et iterum.

-------Hendecasyllabos Trecentos
Expecta.

Est numerus 300. trigonus 24. sumti siquidem ab vnitate numeri continui ad vsq; 24. tercentesimi summam parturiunt, cuius trigonum latus est aggregatorum supremus 24. si n. medietatem, nempe 12. in numerum qui 24. vnitate transiliat, videlicet 25, ductitaueris, trecentesimus, per trigonorum normam, consurget. Quemadmodum autem 24. legis plenitudinem notat, ac perfectam diuinæ paginæ cognitionem; pari mensura numerus, quem dico, plenitudinem perfectionis insinuat. In arca n. Nohe, vbi mensuræ cælitus dantur, Trecentorum cubitorum ponitur longitudo. porro Trecenti, ter centeni sunt. Centenarius autem numerus plenus in omnibus, ac perfectus ostenditur, totiusq; rationabilis creaturæ continens sacramentum, sicut in Euangelio Lucæ legitur, vbi dicit, quod habens quis centum oues, cum vna periisset, relictis nonaginta nouem in montibus, descendit quærere eam, quæ perierat; quamque

Gen. 6.

Origen. in Gen. hom. 4.

Cap. 15.

repertam, humeris suis reportauit, et posuit cum illis nonaginta nouem, quæ non perierant. Centenarius ergo totius creaturæ rationabilis numerus, quoniam non ex semetipso subsistit, sed ex Trinitate descendit, & longitudinem vitæ, hoc est, immortalitatis gratiam ex Patre per Filium, ac Spiritum sanctum suscepit, idcirco triplicatus ponitur, vt pote qui ad perfectionem per gratiam Trinitatis augeatur, & ex centenario per ignorantiam lapsum, per agnitionem Trinitatis restituat in tercentos. Trecentesimum igitur Trinitatis ferre mysterium manifestum est, quo sub numero oīs Electorum censetur exercitus, in quo obtinemus, vt nos etiam mereamur adscribi. Et, si in Veterum gestis ingentia designari mysteria non inficiabimur, poterunt fortasse (si tamen coniectare licet, non affirmare) per Trecentas vulpes a Samsone captas, quibus, igne caudis alligato, Philistinorum segetes incendit, sapientes Ecclesiæ Doctores, ac Verbi Dei concionatores designari, qui in fide diuinæ Trinitatis dolosam huius Mūdi sapientiam in melius mutauerunt, & feruentissimo zelo contra messem hæreticorum exarserunt, dolo dolum opponentes, iuxta illud: Cum essem astutus dolo vos cœpi: & illud: Astutus considerat vias suas. Neque n. ignoramus astutias eius, idest, diaboli latentis in corde errantium. Quid est autem ignis in cauda, nisi in amore Christi Doctorū perseuerantia? Caudę siquidem nomine, operis consummatio designatur, quia in lege cauda offerri præcipitur. Itaq; sancti Doctores terga Mundo vertentes, in sui abiectione magis hostium mentes inflammarunt, cum Mūdi contemtu ea quę retro sunt obliuiscentes, & mentes in anteriora, idest, ad brauium supernæ vocationis extendentes, in via Dei profecerunt. Nec est quod quispiam caussetur, quoniam vulpem astutum ex ipsa natura animal, in laude posuerimus. Plurima enim eademque in sacris scripturis enuntiata crebro pro rebus eisdem; interdum pro diuersis, immo nōnunquam sibi inuicem pugnantibus accipiuntur. Nam & in vituperatione posuit fermentum Dominus, dicens: Cauete a fermento Phariseorum; & in laude cum

Iudic. 15
2. Cor. 12
Proue. 14
Mar. 8.
Luc. 12.
13.

diceret: Simile est regnum cœlorum mulieri, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec totum fermentaretur. Tale est etiam quod Leo significat Christum, vbi dicitur: Vicit Leo de tribu Iuda. quandoq; vero pro Dęmone, Christi implacabili aduersario sumitur. quomodo B. Petrus sic vtitur dicens: Vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiēs, circuit quærens quem deuoret. cui concinit Psalmographus dicens: Salua me ex ore Leonis. Eodem tropo serpentis vocabulum Christus & Diabolus, bonus & malus, licet effectu dissimili, sortiuntur. Et sapientibus animis adscribitur astutia in diuinis oraculis. vt detur, inqt, paruulis astutia, & adolescenti scientia, & intellectus. & apud Matthæum nos admonet Dominus esse prudentes, sicut serpentes. Nos quidem minime fugit vulpem speluncæ suæ duos parare exitus, vt dum vrgeri cœperit per venatorem ex ista parte, euadendi locum habeat, ex altera. Hac præditus astutia Paulus Apostolus, dum positus in Damasco ab hostibus ex parte vna vrgeretur; ex altera parte euasit in sporta. Sic Dauid quæsitus vt occideretur astu, & auxilio vxoris Michol filię Saulis, per fenestram noctu in sporta dimissus, euasit: & trunco in lecto posito, persequentes illusit. Neq; igitur est quod miremur si dux iste hostes oppugnauit cum Trecentis Vulpibus, & facibus. Gedeon cum Trecentis viris deuincens Madian, nostræ spiritualis militiæ expressam gerit imaginem. Madian. n. iniquitas Hebraica tralatione interpretatur seu contradictio, quæ vniuersam dęmonum designat phalangem. Gedeon autem, qui circumiens in vtero dicitur, typus primum est Christi in vtero Matris humanitatem assumentis, dein cuiusuis strenui militis in Ecclesiæ gremio circumeuntis ac strenue decertantis. Ipsi namque Gedeoni, dum excuteret atque in torculari frumenta expurgaret, apparuit Angelus Domini qui eidem spectandam pollicitus est victoriam, illud proferens signum de quo Psaltes: Descendit (inquit) sicut pluuia in vellus; & sicut stillicidia stillantia super terram. hoc est, si victoriam exspectes, crede Chri-

sti

Apoc. 5. | 1. Pet. 5. | Psal. 21. | Prouer. 1 | Cap. 10. | 2. Cor. 11 | 1. Reg. 19 | Iudic. 7. | Iudic. 6. | Psal. 71.

sti primum admirandam in Virginis vtero incarnationem, deinde eiusdem per vniuersum Orbem longe lateque diffusam gratiam. Nec hoc satis est, sed & Gedeonis exemplo pariter tibi cum viris Trecentis fortiter certandum, hoc est, in Trinitatis Diuinæ cognitione, & Decalogi legis obseruatione assidue laborandum. nemo enim sine fide pugnabit, & sine operibus mortua est fides. Quare canino more aquam lambentes, eliguntur; flectentes genua, sequestrantur. illi nempe qui verbo, & opere in prælio Domini proficiunt, victores erunt hostium: qui vero in actu remissi sunt, & curui, Christi bello iudicantur indigni. Addit Gregorius eo virorum numero crucis mysterium fuisse figuratum, hæc proferens Moralium libro trigesimo capit. trigesimo tertio: Tricentenarius numerus in Tau littera continetur, quæ Crucis speciem tenet, cui si supertransuersam lineam, id quod in Cruce eminet, adderetur, non iam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste Trecentorum numerus in Tau littera continetur, & per Tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his Trecentis Gedeonem sequentibus, illi designati sunt, quibus dictum est: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & me sequatur. Qui sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius et se edomãt, & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. D. Gregorio subscribit Auctor libri cui titulum fecit Altercatio synagogę & ecclesię. cuius hæc sunt verba. Quid in Trecentis cubitis, quibus longitudo Arcæ constabat, accipimus, nisi fidem passionis Christi, sicut habes in pugna Gedeonis, vel in signo Tau, quod habes in lib. Ezechielis? Eiusdem sententiæ fuere Aur. Augustinus q. 37. in Iudic. Beda. Glo. interlin. Gen. cap. 45. Isidorus & Strabus adducti a Glos. ordin. in Gen. cap. decimo quarto; asserentes littera Tau apud Hebræos notari numerum Trecentesimum. Quod si quis a nobis sciscitetur, an mutata fuerit litterarum forma, cum postrema littera alphabeti Hebraici non habeat formam crucis,

Iac. 2.

Matt. 10.
Mar. 8.

Gen. 6.

neque

neque τ Grecorum. hanc ei dabimus responsionem. Elementa quidem, quibus tam olim, hodieq. Iudæi utuntur, fuisse Assyriorum, non ueterum Hebræorum, auctore Esdra, qui ideo litteras (idque opinantur eruditi consilio quintæ Synhodi, in qua editus Canon Hebreorum de sacris scripturis, cuius scriba asseritur idem Esdras) mutauit, quod has Samaritani post exilium callerent. Non tamen mutauit antiquam figuram littere Tau, ut quæ gereret formam crucis. sed hæc post captiuitatem Romanam, vel a Masoretis vel a Rabbinis, odio crucis, immutata est. ut ex Origene, & Hieronymo colligi vel facile potest, qui suo tempore crucem expressisse narrant. quorum hec sunt verba, Origenis quidem homilia in Epiphania, Hieron. vero tractat. de Natiuitate Domini: In Ezechiele propheta, cum omnes qui missus fuerat Angelus occidisset, & interfectio cepisset a Sanctis; illi tantummodo sospites reseruantur, ques Tau litteræ, idest Crucis pictura seruauerat. Exultemus itaque ad Crucis similitudinem; sanctas in celo leuemus manus; cum sic nos armatos demones viderint, opprimentur. Quando Moyses erectas habebat manus, vincebatur Amalech; si paululum illæ conciderant, inualescebat; Antennæ nauium, & velorum cornua sub figura nostræ Crucis volitant. Aues quoque ipsæ, quando in sublimiora tolluntur, & pendent per aerem, extensis alis imitantur Crucem. sed & trophæa ipsa, & victoriæ triumphorum, ornamenta Crucis sunt, quam non solum in frontibus, sed in manibus quoque nostris habere debemus. Hec illi. Qui maiora littere Tau mysteria velit agnoscere, is consulat Io. Goropium Becanum lib. 16. Hieroglyphicorum, vbi post longam disputationem hec subdit: Dico figuram Tau, & figuram Crucis antiquam, quam in D. Antonij & manu & penula cernimus, eandem prorsus esse; atq; id Ezechielis testimonio, vna cum Diui Hieronymi explicatu non obscure indicari: quinetiam hieroglyphicis Aegyptiorum notis tam aperte doceri, vt si quis vlterius dissentiat, cum eo non magis velim altercari, quam cum eo, qui effronte impudentia iis, que oculis omniũ

Vide Hier. in prol. Galeato. & comm. in c. 9. Eze.

Idem in Mar. c. 15

cer-

cernuntur, velit aduersari. Accedere deinde ipsius Crucis etymologiam; quæ tametsi nihil esset cæterorum, luculenta tamen veritate demonstraret, quæ ipsius Tau fuerit figura. Si enim Crux Tau Gallicum est Virgilio, si Crux ad formam litterę Tau Gręcorum facta sit de Luciani testificatione, qui alterutrius figuram norit, vtriusque norit. At littera Tau Gręcorum notissima est, notissima etiam forma scipionis cum ligno transuerso, quem vel claudicantes, vel vtero qui non satis firmi axillis subijciunt. Quid igitur reliquum est dubitationis, quin dicamus antiquissimam Tau figuram eam ipsam esse, quam Græci, & Latini seruarunt. Goropij verbis suum calculum adhibent Attici priscæ militiæ notarij, quibus T signum vitale fuit, & salutiferum. dum enim in breuiculis, quibus militum nomina continebantur, vellent demonstrare, quot ex militibus superessent, quotve in bello cecidissent, T nota in capite posita versiculi, superstitem designabant: significat autem hoc elementum apud eos Tercentum in numeris: sicut etiam Θ, quod nouem insinuat, eorum nominibus præponebāt, quos dura mortis oppressisset iniuria. Hugo a S. Victore in Miscellaneis vult Trecentenario numero figuratas fuisse gentes credituras in Crucifixum, quod T sit Gręcum elementum: cui suffragatus fuerat Apostolus Græcorum nomine cunctas gentes his verbis significans: Iudæo primum, & Græco. quod in linguis Gentium ita excellat Græca, vt per hanc omnes significentur. Solet præter hæc Trecentenus numerus significare sensus nostros corporeos, tum exteriores, tum interiores; sensus item spirituales animæ (qui cognatione quadam & germanitate ad corpus sumuntur) perfecte repressos, atque ad virtutis vsum accommodatos. Vtraque sane harum significationum manifeste colligitur ex Hieronymo exponente locum illum Euangelicum apud Marcum cap. 14. Poterat enim vnguentum istud venundari plusquam Trecentis denarijs. Ait enim: Sub prætextu auaritiæ, Iudas mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides Trecentis emitur denarijs, idest, decem sensibus, per corpus, animam,

Alexan. ab Alex. li. 3. c. 5.

Isidorus Etym. 1. cap. 13.

Libro 1. cap. 181.

Rom. 1.

&

& spiritum triplicatis. Vt & nos sicut Gedeon Trecentorum virorum numerum assumentes, Allophilorum castra pauperes spiritu fractis laguncul is nostris cum tubis et lucernis destruamus. In tanta mysteriorum occurrentium copia, illud pene exciderat, eum, de quo loquimur, numerum in bello ad assequendam victoriam esse validissimum, quod & Gedeonis exemplo (quem supra diximus eo virorum numero potentissimum quondam exercitum profudisse) & Abrahæ comprobatur, qui Trecentis vernaculis ingentem hostium multitudinem in fugam conuertit. Leonidæ etiã Lacedęmoniorum regis præclarum facinus, & proxime vel ad Gedeonis, vel Abrahę accedens, tacitus nullo modo præterire possum: Qui per vniuersam Græciam tot hominum milibus, quibus Xerses Persarum rex in Græciam irruperat, imparem viribus esse iudicaret, collectis tantum Trecentis e suis ciuibus Xerxem audacia viribusque exultantem, aggressus, castra eius inuadit, factoq; repente in barbaros impetu, multis confixus telis, in Xerxem contendit, eiusque caput diademate vi spoliauit. Quid dicam de Trecentis Fabijs? qui in ipso Vrbis exordio totius belli contra Veientes onus subiere. cumq; sæpe victores exstitissent, paullatim recedente Veientum exercitu, ad Cremeram fluuium castra posuere: Veientes vero cum viribus se esse Fabijs inferiores sæpe experti essent, conuersi ad dolos iuxta prouerbium, Si Leonina pellis non sufficit, addenda est vulpina, tentarunt dolis vincere, quos viribus superare nequiuerant: Quare pecora ex diuerso in conspectu propulerunt, ad quæ progressi Trecenti Fabij, et in insidias lapsi, conserta pugna omnes contrucidati. Ex tanta tamen Fabiorum familia vnicus per ætatem ad bellum nondum idoneus, & ob id domi relictus, superfuit, ex cuius sanguine per nepotum seriem natus est Fabius ille maximus dictator, qui Reip. ad extremas angustias ab Annibale redactæ amissum pene decus, & potestatem restituit. qui maiorum suorum ductus exemplo, Trecentis manibus armatis cum eodem Annibale conseruit, eiq; diadema regium a capite auulsit. Accedit

Gen. 14.

cedit etiã illud dictu mirabile, quod passim apud Historiographos legitur, a Gallis scilicet Trecẽtis bello Cæsaris Africano duo millia equitum loco expulsos ac fugatos fuisse: Nec a recta via aberrabimus, si peccatorum omnium principem ad huius Numeri potestatem respexisse asseuerabimus, quando Vlyß. lib. 13. Vlyssem sic cum Minerua loquentem inducit.

Si mihi sic animosa astabis Minerua,
Et cum Trecentis ego viris pugnarem
Tecum, venerabilis dea, quando mihi prompta adiuuares.

DE NVMERO CCCXIIX.

TRecentesimi decimi octaui sacratam haud potui reperire calculi rationem, qualis scilicet creatura hoc numero sit aptata. Verũ cum in scripturis canonicis nihil frustra, nihil superflue sine caussa scriptum sit; sed omnia mysticũ aliquid resonent, secundum exempla quę adducta sunt, quando non inuenimus rationem in numero singulari, operæ pretiũ erit aliquas similitudines indagare in partito calculo. Trecentos quidem, & octodecim fuisse grauissimos Patres qui in Concilio Nicæno vnanimi sententia, & vno ore determinarunt Filium Dei esse consubstantialem Patri, & de Patris substantia æterne genitũ contra blasphemiam Arij, cum ex alijs passim habetur, tum ex histor. Ecclesiastica Tripartita lib. 2. cap 9. Pręterea totidem numero fuisse expeditos vernaculos Abrahę, quibus hostes profligauit, et excussit prędam de manibus eorum, liquet ex cap. 14. Gen. quod explanans Isidorus adductus in Glo. ordinaria: Abraham, inquit, in Trecentis decem & octo aduersarios debellauit; quia nos in sacramento Crucis (quam littera Thau repræsentat, quæ Trecenta significat) quinq; sensus carnales, nos antea varijs captiuantes, superamus; Decem vero & octo ex ternario et senario multiplicatus, fidem Trinitatis, & perfectionem significat operis, quibus virtu-

Hier. ad Damas.

tum

tum contra vitia plena victoria perficitur. Gregorius Papa hunc modum scribit de hoc mystico numero: Hic numerus Trecentenarius, sanctæ crucis, etiam in vernaculis Abrahæ aduertendus est, per quos fratrem ab hostibus liberauit, quando eum Melchisedech magno mysterio benedixit. Quod .n. exuberant decem & octo, videtur significare, quo tempore fieret victoria per crucem atq; benedictio, idest tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Singula vero tempora senario significata sunt numero propter perfectionem; ter enim seni, decem & octo sunt. vnde et mulier decem & octo annos habebat in infirmitate, quam curuã Saluator erexit. Hæc Gregorius. Illud vero minime prætermittere debemus non casu, sed ita disponente Domino, & in Abrahę vernaculis, et in contionis Nicenę patribus eundem omnino reperiri numerum; vt hic per illum præsignificatus non immerito credi possit. Respondet n. & consimile in vtrisq; opus, atq; officium. Quandoquidem sicut serui illi Abrahæ ad bellum promti, hostilem fuderunt insigni victoria exercitum; ita & sacrosanctæ Synhodi Nicenæ Patres, eodem prorsus, vt dixi, numero comprehensi, vesanam hæreticorum cohortem, & turbam demonicam sibila dira mouentem cõtra Christi Diuinitatem, grauiq; turbine infestantem Dei Ecclesiã, debellarunt, egerunt in fugam, atq; subneruarunt; præstiteruntq; vt victrix veritas celebrem egerit de hostibus suis triumphum. Occurrit adhuc aliud de hoc numero considerandum. Quemadmodũ apud Græcos T littera est typus Crucis, significans in numeris 300, eadem mysterij ratione Ιοτα & Ητα significant nomen salutare. Vt .n. alibi diximus, I & H IESV significant, & octodecim. insinuari ergo videtur eos esse Abrahę domesticos, Deoq; coniunctos, quod ad salutem spectat, qui ad signum et nomen Domini confugerunt; c superasse eos, qui ipsos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes infideles, quæ eos sequebantur. Est .n. numerus 18 hieroglyphicum victoriæ, quoniam Antiquiores tribus tesseris vti cõsueuerant, non quemadmodũ nunc

Luc. 13.

Hylarius d Synhodis circa finem. Ruffinus Ecclesi. hist. li. 10 Clemẽs stro. 1.

duabus;

duabus; atq; in trium cubitorum iactu, seniones iecisse, fortunatissimum erat, et primæ palmæ victoria. Vnde Ter sex iacere, prouerbio dictum, cui ex animi sententia, ac pro votis omnia prosperrime succedunt. Exstat & aliud prouerbium, quod ancipiti voto, vel infimam vel supremam sortem deposcit. Aut tres vniones, aut ter sex. vt.n. tres cladem, sic 18. victoriam significant. Ad hoc fortasse referri potest quod Rupertus Abbas in volumine quattuor Euang. cap. 27. colligit octodecim virtutes, seu miracula, quæ fecit IESV, quę quidem talia sunt, vt ex illis manifestetur potestas Regis Dei. Ex his partibus (non quidem aliquotis) constans numerus 318, necessarios ad intelligentiam Scripturarum parturit intellectus.

DE NVMERO CCCL.

SAcratus est numerus 350; sed in partito calculo sunt vestiganda mysteria. Cum .n. post diluuiũ dicitur Nohe vixisse annis tercentis quinquaginta. in tercentis, Crucem significari nuper ostendimus, cuius typo Iustus a cataclysmo liberatus est. in quinquaginta, qui septies ducti constituunt 350, Iubilæus est remissionis numerus, quo Spiritus sanctus missus est de cœlo, gratiã humanis peccatoribus infundens. Quare perfecto numero remissionis et gratiæ Iustus impleuit huius vitæ curriculum. Tichonius lib. de septem regulis, vbi de temporibus disserit, quodam tropo ex minori temporis quantitate maiorem colligit, & dies sæpe transmutat in annos, ex quodam dierum numero computãs annos 350. per quos notari posse dicit persecutiones, quibus adhuc militans Ecclesia subiecta est. Si.n. in diuinis oraculis aliquando dies vnus, sunt centum dies, poterunt dies 1260, de quibus legitur in Apoc. c. 12, ad hunc numeri calculũ reduci, si per centenariũ fuerint multiplicati. nam milies ducẽties sexagies, centeni, sunt dies 126000, qui conficiunt annos 350. mensibus tricenorum dierũ. Quod si diem vnũ pro centũ annis quandoq; positũ dixeris,

Gen. 9.

Amb. de Nohe & Arca capit. 33.

prout sentit & Primasius comm: in Apoc. poterunt dies tres cum dimidio significare annos Trecentum quinquaginta, vt in eadem Apoc. de Ecclesia scriptum legitur cap. 11. Iacere in ciuitate, vbi Dominus eius crucifixus est, tres dies & dimidium. Adhuc etiam tempus, & tempora, & dimidium temporis, significant annos 350. si tempus pro centum annis, tempora pro ducentis, & dimidium temporis pro quinquaginta intelligantur. Eadem prorsus figura, menses per centenarium multiplicare contingit, vt in Apoc. ca. 11. Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus 42. nam quadragies bis centeni, quattuor millia & ducenti menses sunt, qui constituunt annos Tercentum quinquaginta.

Dan. 7. Apoc. 12

DE NVMERO CCCLX.

Plato de legib' li br. 6.

NVmerus Trecentum sexaginta in legibus a Platone magnopere commendatur, quod Ciuitatibus sit accomodatus. Consilium, inquit, triginta constet duodenarijs, nā distributio huic per Sexaginta trecentosq; viros conuenit. Cœlestis quoq; Ciuitas in tot partes ab Astronomis fuit distributa. licet enim Sol in 365. diebus, & sex horis fere totum peragret signiferum; quia tamen supputationibus hic numerus incommodus reperiebatur, Zodiacum diuiserunt in numerum proximiorem partibus plurimis constantem, qui est 360. Vt sic vnum quodq; signum triginta partibus constet. ductus autem 12. in 30. numerum, quem dico, constituet. Neq; dumtaxat Heliophorum, sed & in vniuersum omnes cœlestes circulos, cum postulat vsus, cogitatione in 360. partes diuidunt Astronomi. quod ab arte quidem, non natura, constitutum est. Porro intra spacium, quo Sol signiferum perlustrat, Luna ad Solem duodecies reuertitur, totiesq; diametrum ei locum transit. Ac quia interea dum Luna a Sole digressa eundem rursus consequitur, triginta fere dies elabuntur, ideo

cœli

cęli ſpatium, quod Sol medio tempore emenſus eſt, in totidem partes ſecari intelligitur, quas a greſſu Solis diurno videntur Neoterici dixiſſe gradus. Ex his fontibus, quos ipſa monſtrat natura, oritur hypotheſis aſtronomica circulos diuidendi in duodecim partes, & earum quamlibet in gradus 30, quorum ſumma conficitur numerus 360. Primi igitur Mathematici omnem cęli peripheriam in 360. gradus partiti ſunt, ad locorum diſtantias, regionum differentias, poli multiplices eleuationes diſtinguendas. quod nullus fuerit ab vnitate ad infinitum numerus conuenientior huic negocio tribuendus, qui in tot æquales partes diuidi poſſet, ſine aliqua minutione phyſica. Primo enim in duas æquales partes diuidi poteſt, vtpote in bis, 180 gradus; ſecundo, in tres æquales, & cuilibet portioni reſpōdebunt 120; tertio, in quattuor, ſcilicet in quattuor quadrantes 90 grad. quarto, in ſex, & quælibet pars obtinebit grad. 60, portionem inquam duorum ſignorum; quinto, in duodecim, & cuilibet parti conuenient grad. 30. Sunt adhuc aliæ diuiſionis partes, vtpote quinta 72. octaua 45. nona 40. decima 36. quindecima 24. et decima octaua ſcilicet 20. Habet rurſus alias diuiſiones quibus partes ſunt denominatæ. nimirum vigeſimam, 18. vigeſimam quartam, 15. trigeſimam, 12. trigeſimamſextam, 10. quadrageſimam, 9. quadrageſimamquintam, 8. ſexageſimam, 6. ſeptuageſimamſecundam, 5. nonageſimam, 4. centeſimamuigeſimam, 3. centeſimamoctogeſimam, 2. triceſimamſexageſimam 1.

DE NVMERO CCCLXV.

CVm vrbis conditor Romulus digereret tempora, annum in decem menſes partitus eſt: at Numa Pompilius, cum ineruditiorem hanc menſium numerationem eſſe animaduerteret, vt quæ neq; ad Solem, neque ad Lunam fuiſſet accomodata, ad anni magnitudinem, quo lunari vſus eſt, imitatione Græcorum, complendam, menſibus anti-

quis duos insuper adiecit, Ianuarium scilicet, & Februarium. eosq. vniuersos dispares habuit, vt huic 29, alij 30 dies alternatim attribuerit. vnde facile a quouis colligi potest, annum Pompilianum ex 354 diebus tantum constitisse, (mitto quæ de Pontificum intercalatione disputat Macrobius lib. 1. Saturnal.) Sed Aegyptij & C. Iulius Cęsar, neglecto menstruo Lunæ cursu, periodico motu Solis anni metas concluserunt. Verum nec hi per omnia inter se consentiunt. Nam Aegyptij, Chaldęi, & Persę annum solarem finierunt diebus 465 tantum. Cuius rei testis est Q. Curtius, qui li. 1. describens agmen Darij Persarum regis cum Alexandro magno congressuri: Erant (inquit) in eo Trecenti sexaginta quinque iuuenes, punicis amiculis velati, qui magos sequebantur; totidem anni diebus numero pares, quippe Persis annus in totidem dies descriptus est. Ceterum Iulius Cęsar, cum Rempublicam in suam redegisset potestatem, adiutore Sosigene, alijsq; artificibus, nouam emendationem instituens, vt iustus & vertens annus conficeretur, diebus 365 addidit quadrantem, hoc est sex horas, ex quadrante quater replicato. faciens quouis anno quarto diem intercalarem, hoc est, annum habentem 366. dies, vt signorum quodlibet Heliophori tricenis diebus denisq; horis ac semisse, idest dimidia hora transcurrens Sol incremẽto dimidiarũ horarum quarto anno unum diem cõpleat. Intercalationi autẽ illi deputatus fuit Februarius, quod tunc vltimus esset anni mensis, quemadmodum cecinit Ouidius.

Iohau. Rosinus Rom. antiqui. li. 4 Affricanus apud D. Hier. in Dan. cap. 9.

Fast. li. 2.

Sed tamen antiqui, ne nescius ordinis erres,
Primus vt est, Iani mensis & ante fuit,
Qui sequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni.
Tu quoque sacrorum termine finis eras.
Primus enim Iani mensis, quia Ianua prima est.
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.

Nec tamen intercalatio illa fiebat vltim. Februarij die, sed sexto Kalendas Martij, Terminalibus scilicet iam peractis, Vnde & bissextilis est appellatus. Ceterum quia astrorum calculatoribus perspicuum est quam ineptum locum habeat dies intercalandus in

nostro

nostro Kalendario, et quantum illis faciat negocium; optime actum foret, si diei intercalando alius assignaretur dies, puta vel finis Decembris, cum publico fere consensu annum auspicemur a Ianuario: vel (quod alijs magis quadrat) finis Februarij. anni principium statuentes in Aequinoctio verno, vt die prima primi mensis Sol primum Arietis gradum ingrediatur, sicq; vna incedant menses & signa Zodiaci. Nam & Sole primum Arietis gradum tenente legimus creatum fuisse Mundum. Neq; tamen ad amussim solarem motum assecutus fuerat Iulius; sed hęc anni Iuliani quantitas adhuc alia indigebat correctione. succedente enim tempore superesse ex illis sex horis scrupula quędam compertum est, adeo vt quarto quolibet anno, post diem intercalatum, Sol præcise non sit in illo cęli loco et puncto, in quo fuerat quarto ab hinc retroacto anno. Atq; hunc errorem nonnulli pro viribus elidere conati sunt. primus Cl. Ptol. ante annos 1444, hoc est post tempus natiuitatis Saluatoris nostri Christi 138. diligentissimis obseruationibus tempus reuolutionis Solis 365. dierum, horarum 5. min. 55. secund. 12. inuenit; ita, vt in annis 300. vnus bissextus prætermitteretur. Nam si exacte residuum tempus a diebus esset sex horarum, inter annos 300. eßent bissextiles 75. at hic desunt minuta 4. secund. 48. Quare si multiplices 4. minut. & 48. secun. in 300. producetur integer dies. Minuta enim 1200, horas 20. & secunda 14400, horas 4 constituunt. Sed & hæc anni quantitas nostro tempore ab experimentis aberrat. Ptolemæus enim nec motum absidis excentrici Solis, ob inopiam obseruationum, deprehendere potuit: nec initium anni, vt par erat, ab aliquo eclipticæ fixæ loco, sed ab Aequinoctij puncto sumsit: illud inquam temporis spacium complexus quo Sol ad verum, vel Aequinoctium, vel Solstitium reuertitur, cuius anni spacia inæqualia sunt. ætate .n. Albategni non horarum 5. m. 55. sec. 12. vt tempore Ptolemæi, sed fuit dierum 365. hor. 5. m. 47. fere. Quare Asrael, qui tabulas motuū Alphōso regi composuit, Georg. Peurbachius,

Iohannes a Monte regio, atq; omnium postremus Aloysius Lilius multo verius ac certius tempus restitutionis Solis ad idem ecliptica fixæ punctum tam in longitudine, quam in latitudine, per circumferentiã maximi circuli a polis eclipticæ fixæ in Solis centrum ductam, atq; ibidem fixam, donec Sol in idem punctum reuertatur, nullam ex hoc differentiam statuentes, quod Sol sub mobili ecliptica a fixa dimotus, nunc in Septentrionalem, nunc in Merid. partem deflectat, ad definiendam anni quantitatem assumserunt, veram nostri temporis annorum quantitatem facientes dierũ 365. hor. 5. cum minut. horæ 49. secundis vero 16. fere. Ex qua anni quantitate sequitur vt quibuslibet 134. annis, per integrum diem æquinoctium versus mensis initium retrocedat. Huic autem retrocessioni illud potest adhiberi remedium nempe vt quolibet 134. annorũ circuitu vnus eximatur ex anno dies, & ex bissextili communis fiat. Verũ vt annis notabilioribus id contingat, quales sunt centesimi, Aloysius Lil. aliam a Io. Lucido relatam rationem affert, vt. s. non in ipsomet 134. annorum completo spacio, demtio illa per annum bißext. cõem factum efficiatur; sed vt per 300. annos centesimus quilibet annus ex bissextili cõis fiat, quadringentesimus dehinc uero bissextilis relinquatur, atq; eodem ordine deinceps propemodum procedatur. Non commemorabo hic numerũ illum 365. cælorum, cuius principem Abraxan Basilidis deliramenta constituerunt, ne rem seriam inanibus & ridiculis fabulis infarciam.

Hieron. in Amos cap. 3.

DE NVMERO CD. ET CDXXX.

SI quis diligentius Diuina scripta perscrutetur, numquam laudabiliter positum reperiet numerum Quadringentesimũ, quem dilucidandum assuminus. Eorum .n. est expreßiuus qui cum sequerẽtur magiã Theode, dißipati et vsq; ad vnũ ad nihilum redacti sunt. Eosquoq; cõplectitur qui erat ĩangustia cõstitui, et amaro aĩo, atq; oppreßi ære alieno,

Act. 5.

1. Reg. 22.

quorum

quorum princeps factus est David dum fugeret a facie Saulis. Notat & Prophetas lucorum, quos Helias interfecit in torrente Cysson. Prophetas Baal nobis aperit, quos consuluit rex Israel, & deceptus est. Rursum præsens numerus insinuat destructionem muri Hierusalem, attestante Scriptura Quadringentis cubitis interruptos muros a porta Effraim, usq; ad portam Anguli. Viros etiam taxat hic numerus quibus Esau persequutus est fratrem Iahacob. Præterea quemadmodum in Vicenario Esau munera quædam accepit a fratre. pro Rachel seruitute pressus est Iahacob. in seruū venundatus est Ioseph. & his plura. sic Quadringentesimo, vicenarij numeri quadrato, peregrinationem, & seruitutem significari testantur quæ ad Abraham per Angelum dicta referuntur Genesi c. 15, his verbis: Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligēt annis Quadringentis. generatione autem quarta reuertentur huc. Idem commemorat D. Stephanus in Actis Apost. cap. 7. dicens de Abraham: Locutus est ei Deus quia erit semen tuum accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient, & male tractabunt annis Quadringentis. Perplexa autem & implicita prorsus est hæc structura verborum. non .n. ita intelligendum quasi peregrinaturum et male tractandum, & seruituti apud exteros subijciendum, vel in Aegypto detinendum dixerit hoc semen annis Quadringentis. sed per hyperbaton sic legendum, quia peregrinum erit semen annis Quadringentis, in cuius parte temporis etiam accidet seruitus in Aegypto. Quod plane attestatur Augustinus hæc scribens lib. 16. c. 24. Ciuitatis diuinę. Quemadmodum scriptū est de Thare patre Abrahæ: Et fuerunt dies Thare in Charra quinq; & ducēti anni, non quia ibi omnes acti sunt; sed quia ibi completi sunt: Ita & hic propterea interpositū est: Et in seruitutē redigent eos, et affligēt eos Quadringentis annis. quoniā iste numerus in eadē afflictione cōpletus est; nō quia ibi vniuersus perfectus est. Hactenus Aug. Quia .n. scriptū est: In Isaac vocabitur tibi semē. et ab anno natiuitatis Isaac

3. Reg. 18
3. Reg. 22.
4. Reg. 14.
Gen 32.
31. 37.
Beda li. de Tépo rib. c. 19.
Gen. 11.
Gen. 21.

vsq; ad annũ egressionis ex Aegypto, cõputãtur anni quinq. et quadringenti. & a quinto anno Isaac, quo per filium ancillæ cępit affligi, labor Quadringentorum computatur annorum, quibus siue in terra Chanaan, siue in Aegypto peregrinum fuit illud semen. Nec obstat quod Paulus vas electum supradictis Quadringẽtis annis adijcit triginta annos, quoniam non idem sumitur exordium supputationis annorum hic, & illic. Apostolus .n. dicit legem datam post annos Quadringentos triginta a Testamento seu fœdere Dei facto cum Abraham, numerans annos Quadringentos triginta a tempore primæ promissionis factæ ad Abraham agentem tunc ætatis annum septuagesimum quintum, ad illud vsq; tempus quo lex data est Hebræis in monte Syna tertio mense, quam egressi fuerant ex Aegypto. sic. n. ait ad Galatas scribens tertio suæ Epistolæ capite. Abrahæ dictæ sunt promisiones, et semini eius. Hoc autem dico Testamentum confirmatum a Deo; lex, quæ post annos Quadringentos & triginta facta est, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Eandem supputationem requirit quod scriptum est Exhodi ca. 12. Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Aegypto Quadringenti triginta anni. Non quod ex eo tempore quo illa promittebantur Abrahæ, in ea seruitute, affligentibus Aegyptijs, fuerit semen Israel Quadringentis triginta annis; sed quia bonus et amator hominum Deus a sua sententia, non a rerum euentu disciplinæ tempus numerare consueuit. quod & hic erga Patriarcham Abraham fecit, non permittens semen eius hoc omne tempus affligi in Aegypto, verum a sententia sua Quadringentos triginta annos enumerat. tunc. n. Abraham egresus Mesopotamia terrã promissionis ingressus est, quod aperte docet editio Septuaginta interpretum, quæ dicit: Habitatio filiorum Israel, qua habitauerunt in Aegypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum anni 430. Quam necessario sequendam, & ipsa hebraica veritas ostendit, quæ narrat Chaath filium Leui, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixise annos 133, & filium eius Amram Patrem Mosis annos

137.

137. & ipsum Moysen 80 fuisse annorum, tempore egreßionis de Aegypto. quorum annorum summa non perficit 430. sed 350.

DE NVMERO CDXC.

AD numerũ Quadringẽtorum nonaginta referri debere remißionẽ atq; relaxationẽ peccatorũ, sunt qui referant Theologi, quod percunctanti Petro Apost. quoties condonaret fratri in eum peccanti, num vsq; septies? Dñus responderit: Non solum vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. Aiunt ergo in numero 490. terminum constituiße remißionis, quod hanc numeri summam conficiant septuagies septies, seu septuagies septem. non vt terminũ remißioni cõstituat, sed vt totiens ille peccanti dimitteret in die, quotiens ille peccare minime posset. (impoßibile est enim quadringetis nonaginta vicibus in fratrem posse delinquere) siue quia hic numerus ita veniæ conuenit, vt pœnę. Quidam enim hac ratione explicarunt locum illum Geneseos: De Cain vltio dabitur septies; de Lamech vero septuagies septies. Cain ob id quod fratri manus inferre ausus est, septem supplicia sibi accerset. At Lamech post Caini condemnationem duplici cæde constrictus merito dicit: Si de Cain septies vindicatum est, de me Lamech septuagies septies vindicabitur. hoc est, si iusta aduersus Cain Dei sententia exstitit, vt septem supplicijs afficeretur, ipse equidem dignus sum, qui Quadringentis nonaginta pœnis excrucier. Quoniam ille, quemadmodum ab alio, quid, quamque graue crimen esset, cædem committere, minime didicerat; sic nec homicidam vllum viderat meritas pęnas exsoluentem. Ego autem gementem, ac trementem cernens, iræq; diuinę magnitudinem ob oculos habens, huiusmodi exemplo nec melior factus, nec a facinore deterritus sum. proinde iure optimo multo maiora mihi tormenta inferentur. Hic igitur numerus honori habitus est non modo in remittenda

Theophil act. Iohann. Chrysosto. Beda D. Hier. Matt.18.

Theophilus Antioch. Al leg. lib.1. D. Hier.

Gen.4.

offensas verum etiam in animaduertẽdis, atq; vlciscendis flagitijs. Scio in his cõmentarijs nonnulla bis a me fuisse cõscripta. quod non tam ex obliuione, quã ex animi sentẽtia factitaui.s.vt satisfacerem veteri prouerbio, Non nocet bis dicere quod bene dicitur. Et vt cecinit Horatius, Quæ per se pulchra sunt.ea vel decies repetita placebunt. sic D. Paulus ad Philipp. 3. veluti se excusans, quod eandem rem iterum scriberet: Eadem (inquit) vobis scribere me quidem nõ piget, vobis aũt tutum. Nõ erubescam igitur hic repetere expositionem alteram ex numerorum partibus aliquotis desumtam. quoniã vti septenarius nullas habet partes in quas resolui possit; numerus vero 490 multas continet partes in quas resoluatur; ita per septenarium, in quo signatum est peccatum Cain, insolubilis intelligitur vltio, quæ de ipso data est, eo quod impœnitens fuerit. per 490, in quo numero positum est vulnus seu liuor Lamech, dicendo: De Lamech septuagies septies, solubilis intelligitur vltio, idest, quam aliquando terminet, vel finiat remissio. Et hoc est quod Dominus Petro dixit: Non dico tibi, septies, sed septuagies septies. idest, non omni impœnitenti, sed cuique pœnitentiam agenti dimittes. Ad hunc numeri calculum referendæ videntur septuaginta hebdomadæ Danieli ab Angelo vsque ad peccatorum remissionem, & iniquitatis expiationem determinatæ, quæ in Tricesimum tertium IESV Christi annum desinunt. quia si, pro singulis hebdomadæ diebus singuli Solales anni, vti consueuit Scriptura, numerentur, ex septuaginta assumtis septies, Quadringenti & nonaginta Solares anni propagantur, qui, si a septimo Darij Lõgimanni anno, quo Esdras Hierosolymam constituendæ denuo Reipublicæ caussa missus est: siue ab Olympiadis octogesimæ anno tertio, vsque ad Christum pro nobis voluntaria nece peremtum Olympiadis ducentesimæ secundæ anno quarto colligantur, erunt exacte intermedij anni Solares Quadringenti nonaginta, vti Angelus Danieli præscripserat.

Plato de legib. 6.

Dan. 9.

Vide Hierony. in Dan. t. 3. Leuit. 25 Petr⁹ Galatin⁹ de Arcanis cath. ve. li. 4. c. 14

DE

DE NVMERO IƆ.

QVingentesimus numerus significat quietis perfectionem, quoniam fit ex quinquagenario decies multiplicato. Quinquagenarius autē, requiem; denarius perfectionem designat. vt superius demonstratum. Greg. Mor. lib. 1. cap. 15. exponens illud Iob c. primo positum: Fuerunt Iob Quingenta iuga boum, & Quingentæ asinæ: In Quinquagenario (inquit) numero, qui septem hebdomadibus ac monade addita impletur, requies designatur. denario autem numero summa perfectio exprimitur. Quia ergo fidelibus perfectio quietis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto, ad Quingentesimum peruenitur. Porro quod Quingentesimus remissionis, et indulgētiæ teneat sacramentum, non solum vetus scriptura, sed Saluatoris in Euangelio verba demonstrant, qui dum parabolā remissionis edocet, & indulgentiæ debitores, quos introducit, vnum in Quinquaginta, & alterum in Quingentis fuisse denarijs, dicit obnoxios. Quinquaginta autē, & Quingenti, licet cognatus sit numerus, quod ibi septem septimanis, addita vnius numeri perfectione, cōsurgat quinquagenarius; et hic, septuaginta septimanis, addita vnius decadis perfectione, Quingentorū numerus cumuletur: quo tn̄ plures sūt septuaginta septimanę, quam septem, eo perfectior ac præstantior (ex sententia doctissimi Origenis) numerus Quingentorū, quā quinquaginta. Vnde Saluator noster pronunciat, quod plus diligat ille, cui Quingenti, quos debebat, denarij donati sunt, q̃ ille, cui quinquaginta. Hæc historica expositione dicta sint, nunc mystici intellectus secreta videamus. Duo quidē debitores vtrunq; populum Iudæorū .s. et Gentiū designant, qui vni fœneratori .i. suo Creatori non materialem pecuniā, sed propriæ salutis nummum debebant. Conditor .n. noster, quos ad imaginem suam creauit, quasi cōmodato ad seruandum sublimauit denario. Nam denarius solet Regis imagine, ac nomine formari.

Hiero. in Ezechielem. 42.
Luc. 7.
Ibidem.

Omni

Luc. 12. *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Et cui multum cõmendauerunt, plus petunt ab eo. Et quidem vtriusque populi debitum per quinarium numerum multiplicatur. Quia videlicet quinq; sunt sensus, quibus in hac vita vtẽtes, imaginem, quam accepimus nostri Conditoris excolere debemus. Sed minus debet populus, cui legis decalogus per seruum data est; amplius autem, cui gratia vitæ æternæ, per filium commissa: ideoq; huius per denarium, illius per cẽtenarium numerum fœnus accumulatur, quẽ ad regni cęlestis, quod his, qui sunt a dextris dabitur, significationem pertinere sæpe docuimus. Neq; frustra eodem flexu digitorũ, quo denarius in læua, ipse figuratur in dextra, nisi quia & nunc opera decalogi quæ littera non poterat, fides perficit, & in futuro reddet vnicuique secundum opera eius. Verum quia neutri nostris viribus, sed illius gratia salui facti sumus per fidem, recte dicitur: Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Et vtique plus diligit, cui plus donatur. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. quia siue bona perficiendæ, quam accepimus, scientiæ; siue vitandæ, quam incurrimus, insipientiæ velis intelligere, multo vtique plus Ecclesiæ, quam synagogæ donatur, quæ & fœdiori quondam, vtpote quam nullus doctor prohibuit, idololatriæ sorde corrupta est. sed vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia: & maiori nunc est perfectionis Euangelicæ sublimata præconio. Cui dicitur, quia multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Conuenit huic loco quod Numerorũ historia refert, diuisis æqualiter cæsorum Madianitarum spolijs, eos quidem, qui de pugna venerunt, Quingentesimum de sua portione caput, ceteros vero Quinquagesimum Domino dedisse. Quia & magna offert, qui se in castris virtutum exercendo, tutum ab incursione conseruat hostili; sed maiora vtique, qui gladium verbi vibrando, innumeras aduersarij exercitus copias sternit. Designabant hunc numerum Romani, quemadmodum scribit Valerius Probus, littera, A, quam Gul.*

Rom. 5.

Matt. 13.

Cap. 31.

Ioannes Rosinus Roman. antiquit.

Budæus

Budæus refert salutarem dici litteram, camq; in iudicijs absolutionis fuisse notam; vt tristem. C. quæ Condemnationis. Asconius Pedianus Comm. in primam & tertiam Orationem con. Verrem. In diuinatione (inquit) & in alijs causis maioribus vniuersi Iudices in cistam tabulas simul conijciebant suas, easque insculptas literas habentes, A absolutionis, C condemnationis; cum de alicuius capite agebatur, N L, ampliationis. his.n. litteris significabant non liquere.

li.9.c.24 Alex. ab Alex. libro 3.c.5

DE NVMERO DC.

COmpletam operum seriem atq; supremam perfectionẽ demonstrat numerus sexcẽtenus. Quod vel ex D. Gregorij patet sententia in explanatione illius loci cap. 13. libro 1. Reg. Recensuit Saul populum, qui inuẽtus fuerat cum eo quasi Sexcentos viros. vbi dicit: Septẽ diebus hebdomada impletur; sed vnus eorum ad operandum prohibitus est; sex vero in boni operis studio conceduntur. Centenarius autem numerus summam continet numerorũ. In Sexcentis ergo viris designantur qui opere & cordis deliberatione robusti sunt. Nam quidam fortia proponunt; sed quia quod proponunt, non faciunt, ad Sexcentorũ virorum numerum non pertingunt. In Sexcentis ergo viris, fortes operarij sanctæ Ecclesiæ designantur, quia magna proponunt, & rigorem propositi fortitudine complent bonæ operationis. Hæc Greg. Sexcentesimi numeri perfectionem comprobat et Origines lib. 4. in Iudic. his verbis: Hoc ipsum quod Scriptura dixit in Sexcentis viris Semegad percussisse Allophilos, non mihi videtur ociose dictum. quid. n. opus erat designare etiam numerum; nisi forte euidentius in ipso numero ea (de quibus superius diximus) indicauit? Namque senarius numerus qui multiplicatus venit in Sexcentos, Mundi huius figurã tenet, qui in sex diebus dicitur consummatus Sexcentos

Iudic. 5.

Amb. de Nohe & arca li.1 Gen. 7.

cētos ergo in aratro dicitur percussisse ille qui per crucē Domini crucifixus est Mundo. tantum ille. Est ēt illa perfunctoria consideratio quod Sexcētesimo anno Nohe factū fuit Diluuiū illud vniuersale. videtur. n. ostendere, quia sexta die Adam creatus est. Idem numerus est par, et in auctore, et in reparatore seruatur. quia senarius, qui singularis dicitur, & huius mundanæ fabricæ figuram tenet, transpositus vltra in secundum, tertium, quartum, quintum, & sextum limitem, 60. 600. 6000. 60000. & 600000. designat. Vnde et secundus mensis anni Sexcentesimi, quo intrauit Nohe in arcam, eandam senariam diem significat, quia duo menses sexaginta diebus concluduntur. Sic Sanctus Iob sex milia camelorum possidet; quia plenitudinem operis in Ecclesia accipint, qui ab illa dudum vitiorum suorum fœditate perierunt. Quod vero in Exho. de Israelitis egressis ex Aegypto scriptum est numerū peditum virorum fuisse Sexcenta fere millia. Per hunc numerum designantur perfecti in operibus bonis. at vero per hoc quod dicit, fere, intelligi datur, quod in præsenti vita quantumcunq; sit homo perfectus, semper tamen deest ei plenitudo in hac vita meriti, iuxta illud cuiusdā sapientis: Gloria perfectorum principium, non perfectio. Illud igitur dici potest, quod anno Sexcentesimo inundauerunt aquæ cataclysmi, quia sexta Mundi ætate commendatum est Sacramentum Baptismi. Diluuium enim præsignabat sanctum Christi Baptismum. De quo Psalmographus dicebat: Dominus Diluuium inhabitare facit. quia inundat super vniuersa peccata. Et hoc septima decima die mensis, quia denarius, decalogum; Septenarius, propter sabbatum, septimam requiem designat. Et quia in decalogo, renunciatio vitiorum videtur, quicunq; in Baptismo initiatur; propter æternam requiem omnibus intus se abrenunciare profitetur. Illud etiā apertum est mysterium, quod anno 600. vitæ Nohe completa est arca, quia sexta etate, veniente Christo, instituta est Ecclesia, quam ingrediantur seruandi; vt iam in egressione ab arca finis Mundi designetur, quando iam non erit opus arca, quod fiet post Sexcentesimum

Amb. de Nohe & arca lib. 14.
Gen. 7.
Gen. 7.
Cap. 42.
Gregor. mor. 35. cap. 20.
Exho. 12
Gen. 7.
Athanas. Quest. 110
Amb. de sacramē. lib. 2.
Psal. 28.
Gen. 7.

mum annum. Sexcentesimo autem & vno anno vitæ Nohe, idest, peractis Sexcentis annis, aperitur arcæ tectum, quia finita sexta seculi ætate, quæ etiã sex milleno anno dicitur posse concludi secundum prophetiam Heliæ, reuelabitur absconditum sacramentũ atq; promissum. Habet aũt Sexcentesimus numerus quoddã perfectionis symbolũ. cum. n. procedat a senario primo perfecto, cũ Greci, tum Latini eo vtuntur, vbi rem, cui nihil addi potest, amplificare contendunt. Gregorius Naz. in funere patris: Ne a Sexcentis quidem, vt dici solet, emotus fuisset. Item Lib. in plagam grandinis: vtinam mihi potius quinq; verba eloqui prudenter contingat, quam Sexcenta in lingua, & voce tubæ obscura & incerta. Plutar. lib. de His qui sero a Numine puniun. Medicinam animę, quę Iustitia cognominatur, omnium esse artium maximam, præter Sexcentos alios, etiã Pindarus testatur. Cicero ad Attic: Venio ad Epistolas tuas, quas ego Sexcentas vno tempore accepi. item: Sexcenta incommoda sum perpessus in tuenda Republica: &. Sexcenta poßum decreta proferre. De nat. Deorũ lib. 1. Cur non Sexcenta mihi esse Mundorum, sed innumerabilia ausus es dicere? De Diuinatione lib. 2. Sexcenta licet eiusmodi proferri. Martialis epigrammat. lib. 6.

Gen. 8. Aug. cõ. Faustum Manich. lib. 8. Lactãti⁹ Firm. diuin. inst. lib. 7. capit. 14. Aug. in Ciu. Dei lib. 20. capit. 7.

Et dolet, & queritur sibi non contingere frigus.
Propter Sexcentas Baccara gausapinas.

Lepideq. Plautus in Captiuis: Sexcentoplago nomine fecit illi, cui plagæ innumeræ nunciabantur. Sed ne Sexcenta eiusmodi proferam, ad reliqua progrediar.

DE NVMERO DCLXVI.

NVmerus bestiæ dici potest Sexcentesimus sexagesimus sextus, quod viri quidam illustres scripserint ex litteris componi nomen Antichristi comprehendentibus 666. dicente Spiritu sancto: Hic est sapientia. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. numerus. n. hominis

Apoc. 13

est: & numerus eius Sexcenti sexaginta sex. Itali quidam ausi sunt affirmare hanc prophetiam adimpletam in impio illo Martino Lutero, quod huius numeri, in vnum collati, conficiant 666. Diuidunt.n. totum alphabetum tres in classes, quarum prima tenet vnitates; secunda, decadas; tertia, centurias. Cumque in nostro alphabeto, ad complementum viginti septem characterum, quattuor desint, illarum locum supplent I, & V, consonantes simplices, vt in Iacobus & Vincentius nominibus; deinde HI. & HV, aspiratæ, vt in Hieronymus, & Huielmus: licet Germani pro HV aspirato, vtantur duplici VV, vt Vuielmus. Galli autem, & Itali in suo alphabeto vulgari G, cum V coniunctum loco eius ponunt, dicentes Gulielmo, Eundem ordinem seruant Græci, omnibus suis litteris exprimentes numeros. verum toto alphabeti sui charactere in numerorum figuras extenso, tres, qui plus sunt, numeros notis proprijs, quæ ex alphabeto non sunt, depingunt. prima est S, significans 6. secunda ϟ, notas 90. postrema ϡ, vel πι, signans 900. Hebręi vero, quibus quinque sunt finales litterę, illas ceteris viginti duabus superaddunt.

Ex-

Expreßi Numeri Hebraicis, Græcis, Latinis litteris.

1	א	Α	*A*
2	ב	Β	*B*
3	ג	Γ	*C*
4	ד	Δ	*D*
5	ה	Ε	*E*
6	ו	Ϛ	*F*
7	ז	Ζ	*G*
8	ח	Η	*H*
9	ט	Θ	*I*
10	י	Ι	*K*
20	כ	Κ	*L*
30	ל	Λ	*M*
40	מ	Μ	*N*
50	נ	Ν	*O*
60	ס	Ξ	*P*
70	ע	Ο	*Q*
80	פ	Π	*R*
90	צ	Ϙ	*S*
100	ק	Ρ	*T*
200	ר	Ϲ	*V*
300	ש	Τ	*X*
400	ת	Υ	*Y*
500	ך	Φ	*Z*
600	ם	Χ	*I*
700	ן	Ψ	*V*
800	ף	Ω	*H*
900	ץ	Ϡ	*HV*

Hæc igitur apud Italos erit summa numerorum perfidi Heresiarchę.

M 30. A 1. R 80. T 100. I 9. N 40.
L 20. V 200. T 100. E 5. R 80. A 1.

qui simul iuncti faciunt 666. Fuit hic caput & patriarcha Hæreticorum, qui se toti armarunt contra Christi doctrinam, & beneficiorum eius. Adde ad illorum coniecturas characteribus Hebraicis reddere numerum 666. לולתר. Lulter.

Græci, quorum idiomate scripta est hæc visio, nomē bestiæ reperiunt in dictione τειταvος, *idest, gigantis, hoc inquam modo:*

Irenæus li. 5. c. 30

Τ 300. Ε 5. Ι 10. Τ 300. Α 1. Ν 50.

hoc sibi nomen Antichristus, quasi omnibus potentia antecellat, vsurpatum reputans, ipsum se esse iactans; de quo scriptum est:

Psal. 18.

Exultauit vt Gigas ad currendum viā a summo cęlo egressio eius. Accedit huic sententiæ Hesichius Grammaticus, conferunt quæ Suidas tradit, Titanes nempe esse Dęmones infernales, qui vt Hyginus fab. 150. enarrat bellum, Ioui inferre ausi sunt. Ioue tamē eos apud Inferos vinctos, relegante, & ideo dici ἀπὸ τῆς τίσεως, *idest ab vltione. Id quod Antichristo eiusq; Titanibus & sectatoribus euenturum certissime credimus, X̄po in tartareū ignem eos per Angelos & ministros suos fideles, detrudi faciente. Ceterum ex nomine illo non satis colligitur numerus 666. cum Titan per ι & non per ει apud Græcos scribatur. sed alius quinq; vnitatibus minor. Quare Tychonius ponit aliud nomen, quod Illustris dicitur interpretatum.*

Λ 30. Α 1. Μ 40. Π 80. Ε 5. Τ 300. Ι 10. Σ 200.

Aliud affert Arethas, quod Latinus dicitur:

Λ 30. Α 1. Τ 300. Ε 5. Ι 10. Ν 50. Ο 70. Σ 200.

Rupertus Tuitiensis, & ante eum Haymo adducunt quoddam nomen Gothicum, quod interpretatum sonat Gentium seductor.

Γ3. E5. N50. Σ200. H8. P100. I10. K20. O70. Σ200.

Quocirca per numerum, nomen; & ex nomine supputatus numerus inuenitur; atque ipsius interpretatione nominis, qualitas meritorum agnoscitur. Cur vero hoc numero voluerit insigniri, facile dictu. Senarius, quo factus est Mundus, operis perfectionem significat, qui siue simplex, siue per decem, centumue multiplicatus, eiusdem perfectionis sexagesimũ, sexcentesimumq; fructum demonstrat. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos Sexcentorum sexaginta sex talentorum vt habetur 3. Regum cap. 10. & 2. Paral. cap. 9. Quod ergo vero Regi iure munus & debetur & soluitur, hoc etiam sibi seductor ille tyrannus exigere præsumet. Duoquoq; nomina ponunt Primasius, Anselmus, Richardus dictam numerorum summam comprehendentia. primum est:

A1. N50. T300. E5. M40. O70. Σ200.

Anselm⁹ Richardus.

quod significat honori contrarium (neque enim honor ei, sed anathema conuenit) Alterum istud:

A1. P100. N50. O70. Y400. M40. E5.

interpretari potest. Nego. Nec mirum quod hoc vocabulo dignus dicatur Antichristus, idest, negationis; cum Christo nomen congruat credulitatis, ipso testante, cum dicit: Hoc est opus Dei *vt credatis in eum quem misit ille. Itemque creditis in Deum? & in me credite. Ac per hoc siue honori contrarium dixeris, quod est Antemos; siue, nego, quod est Arnoyme, iure ad Antichristum potest vtrumque referri; vt per duas partes orationis, nominis scilicet, & verbi, tum personæ qualitas, tum operis asperitas insinuetur. Beatus* Hippolytus Oratione de Mundi *cõsummatione, eiusdẽ est sententiæ, scripturã. s. sigilli esse Arnoyme, verba eius ita se habent: Ante quoq; hostis ille nobis aduersarius, opera Ministrorum suorũ, hoc est, idololatrarũ, Christi Martyres hortãtium:* Negato, *aiebat,*

Iohan. 6. 14.

Deum tuũ crucifixum. Tale erit tẽpore illius tẽpestatis, oĩs osoris sigillum dicẽs: Nego creatorẽ cęli et terræ, nego baptisma, nego adora tionẽ a me Deo præstari solitam; tibi adhæresco, in te credo. Hoc.n. Enoch et Helias denunciabunt: Ne credatis hosti, qui venturus est & apparebit. Hic tamen lectorem monitum volumus, ne in errorem Hippolyti a Patribus damnatum, impingat, Existimabat ille Antichristum non alium fore, quam ipsummet diabolum, sub specie simulata humani corporis & naturæ. Ne putemus (inquit D. Hieronymus) Antichristum, iuxta quorundam opinionem, diabolum esse futurum, sed unũ de hominibus, in quo totus satanas habitaturus sit corporaliter. Hęc ille. Nõnulli quidẽ uiri eruditissimi sentiunt Maometem illum spurcissimum, et abominabilis execrandæq; legis auctorem, esse verũ in persona Antichristũ a sacris litteris pręnunciatũ, quia vident fere oĩa, quæ Scripturæ de Antichristo prædicant, in eo esse cõpleta, ipsiq. potissimum rõnem noĩs Antichristi cõpetere. Hic quippe fuit primus dux Arabum seu Ismaelitarũ, edoctus a Sergio et Ioanne hereticis Arrianis monachis, Alcoranũ suum ex Iudęis, Gẽtibus, et Christianis cõposuit, quem partim verbis et prodigijs mẽdacibus columbæ, tauri, comitialis morbi, et Lunæ, partim ui, et armis infinitę multitudini persuasit, quo maior Mundi pars nunc corrupta deploratur. Quis aũt magis unquã Christo cõtrarius in lege et moribus? Christi siquidem lex repugnat carni et sanguini, monetq. aĩam nostrã odio habendã, ut in uitã æternã custodiamus eã; Moametes vero vt propensum ad libidinẽ genus humanũ his illecebris inescaret, atq; inuitaret ad suæ legis susceptionẽ, laxauit habenas voluptatibus et spurcitijs, vxorum pluralitatẽ admisit, earũ repudium, et pro arbitrio reconciliationem, et demũ paradisum uoluptatibus et delitijs Mundi refertissimum, suis cultoribus repromisit cum Cherinto hæretico et sectatoribus eius. Christus itẽ aliena detineri et cõcupisci uetuit, quinimmo auferentibus tunicã, dãdũ insuper palliũ cõsuluit; Maometes uero rapinã, pręedas, populationemq. suis permisit, assuctus ex rapto viuere, legem suã non rõnibus, sed armis defen-

Cedren' in Chonogr.

defensandã dictitans, et alterius sectæ uiros armis adigẽdos ad suæ legis obseruationem decernens. Deniq. Christus totius ueritatis magister, nil nisi uerum, pium, sincerum, rõnabile credendũ agendumq; proponit; Maometes vero in suo Alcorano, futilia multa, deliramenta, nenias, fabulas, et mendacia confingit, neq; rõni quoquo pacto consona. Ob eius igitur bestialem et fędissimam vitã, legemq; turpissimam, dicere vel facile possumus: Hic est sapientia, qui habet intellectum computet numerum bestiæ, numerus.n. hominis est, & numerus eius 666. Hic sane numerus est annorum ab incarnatione Domini vsq; ad subdolã et bestialem legislationem pseudoprophetę Maometis, quæ quidem pullulare cępit circa annum Domini sexcentesimum sexagesimum sextũ, circa finem imperij Heraclij Rom. Hic idem numerus reperitur in nomine Maometis, per litteras Græcas hunc numerum referens.

M 40. A 1. O 70. M 40. E 5. T 300. I 10. Σ 200.

Hinc colligunt huius sententiæ assertores Maometem esse in persona Antichristum aut saltem regni Antichristi conditorem. Ceterũ quia multa in Daniele, Euangelijs, Apostolo ad Theß. & Apocalypsi dicuntur de Antichristo, quæ non facile possunt accõmodari Maometi, nec in eo cõpleta, neq; complenda videntur, illud ad quærẽdum superest, quid ad illum hoĩem spectet hic numeri calculus, quando & numerus taxatur, & tamen ad eiusdem computationem quæritur Sapientia & Intellectus. Sapientiam igitur quæramus, diuinam paginam consulamus de Antichristo dicentem: Et faciet ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestię, aut numerum nominis eius. Diligenter igitur considerandum quia prius cum dixisset: Vt ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum, non sine certi promissione sacramenti addidit: Nominis eius. post vero cum dicit: Siquis habet sapientiam, computet numerum nullam de nomine fecit mentionem, sed tantummodo: Computet numerum bestiæ: ac deinde: Et numerus

Apoc. 13.

eius (et absq; vlla nominis interpositione,) est Sexcenti sexaginta sex. Cur hoc quæso? nisi quia aliud nomen bestiæ significat, et aliud ipsa est? ipsa namq; bestia homo est, & in ea Diabolus inhabitat. At vero nomen eius, quod sibi vsurpat, quod nisi quis confessus fuerit, vendere, aut emere non poterit, Deus est. Aduersatur namq;, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, adeo vt in Tēplo Dei sedeat, ostēdens se tamquam sit Deus, et nō sit alius præter eum. Duos ergo numeros hic intelligi oportet, alterum nois eius, quod illa bestia sibi vsurpat. s. Dei, alterum bestiæ. i. hois eius, quod ipsa erit. Alius namq; est numerus Dei, & alius hominis; immo ois creaturæ rōnalis, quæ ad Creatoris gratiam non pertingit, siue hominis, siue Angeli. Debuerat quidem vnus esse numerus Creatoris, et creaturæ; sed creatura numerum sibi alium elegit, dissentiendo a Creatore. Creatoris siquidem numerus est septenarius, quia cōpleuit Deus opus suū die septimo, & benedixit diei septimo, et sanctificauit illum, de quo hæc scribit Philo Iud. lib. de vita Moysis: Moyses diem sacratum septimum veneratus est, cuius eximiā pulchritudinem cernebat acutioribus oculis, expressam cęlo, Mundoq. vniuerso, ipsa natura præferēte eius simulacrum. Inueniebat. n. ante oīa matre carere hunc numerū, expertem feminini generis e solo patre satum absq; semine, et absq; partu genitum. Aīaduertit præterea septimam semper virginē, nec e matre natā, nec matrem ipsam, nec e corruptione oriundā, nec ipsam corruptibilem. deniq; intellexit hanc esse Mundi natalem, cęlo, terræq. festam, et oībus terrestribus exhilarantem cuncta cōcinnissimo septenario. Hactenus Philo. Quis est aūt numerus creaturæ? senarius. Senario nāq; dierum numero vniuersa creauit summus artifex Deus, et in sexta die. immo et sextus dies creatura est hoīs, & ille quidem ad hoc fuit conditus, vt post obedientiæ opus consummatum cum Deo in septimo sabbatizaret. i. requiesceret, eoq. compleretur bono, quod significat dicēdo: Compleuitq; Deus die septimo opus suū, quod fecerat. Significat namque dies septimus, siue sabbatum æternam requiem. Apostolo teste, qui dicit: Ingrediemur. n. in requiem

Gen. 2.

Gen. 1.

Hebr. 4.

qui

qui credimus, quemadmodum dixit: Sicut iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam. Nam secundum legem cum non plus quam mille passus in sabbato extra portam progredi liceret, Dominus, apud quem tota lex spiritalis est, statum, vel seculum illud, quod præsenti vitæ succedit, sabbati nomine voluit intelligi, dum apud Matthæum inquit: Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato. Est enim sensus, Orate ne finis omnium mors vos cõprehendat in infidelitatis hyeme; vel ne tunc primum conuerti, & per pœnitentiam velitis effugere iram Dei quando iam non licet operari. Quoniam ergo homo, vt in illam Dei requiem introiret, vt in illius numeri septenarij sabbatismo cum Deo sabbatizaret, conditus est; sed neque homo tunc introiuit, neque diabolus, qui illum decepit, vnquam introibit (namque vterq; sine Deo, immo contra Deum, in creatura Mundi, & in semetipso voluit gloriari) ideo, nos admonet veritas dicens: Si quis habet sapientiam, cum viderit illum hominem peccati, filium perditionis magnifice gloriantem, cogitet, quia quicquid loquitur vel agit, non pertinet ad illam requiem, non est de illa septima Creatoris, sed totum de creatura Mundi, de concupiscentia oculorum, ac proinde quasi certo confirmatus argumento, sciat, & dicat, quia ille homo non est ipse, quem se esse dicit: non est Deus; sed fallaciter se ostendit tãquam sit Deus. numerus enim hominis est: & homo ille, homo quidem natura, sed diabolus in illo totus erit cum omni sua astutia, & tota plenitudine: & eiusdem hominis aduentus erit, secundum operationem Satanæ. quare, nõ senarius simplex, siue singularis, numerus illius erit. sed numerus eius Sexcenti sexaginta sex. Nam senarius, qui numerus hominis est, ad septimum, ad sabbatum, ad requiem Dei, propter suam præuaricationem, non pertingentis, secundi & tertij limitis transgressione multiplicatus est; & de primo, idest, singulari limite, in secundum, id est, decimum transgressus, sexaginta facit; idemque in tertium, idest, centenum traductus, sexcentos efficit; qui simul positi conficiunt 666.

Psal. 94.
Act. 1.
Cap. 24.
1. Ioã. 2.

Quod est hoc, nisi quia diabolus Satanas, qui in illo homine totus habitabit, postquam semel a requie Dei, a cœlesti sabbatismo sese excussit, secundo & tertio laborem suum multiplicauit? Vis scire quomodo, quando, vel vbi transgressor antiquus numerum suum multiplicauerit? Dicam. Primo, vbi perfectis cœlo, & terra, & omni ornatu eorum, die septimo compleuit Deus opus suum, quod fecerat, & requieuit ab omni opere quod patrarat; ille cum requiescente Creatore in septimo eius die non requiescebat: quin etiã iam dudum propter inquietudinem superbię suæ de cœlo in istum caliginosum aerem proiectus, in circuitu ambulabat & laborabat. Erat ergo in numero senario singulari, in ista sex dierum creatura, in quo quippe senario se detineri dolens homo pœnitens, septimumq; diem suspirans dicit in Psalmo: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, vt sciam quid desit mihi. Ille autem impius, & præuaricator angelus non sic, sed cum esset foris a requie siue septima die, & senarius ei adhuc simplex siue singularis esset, non contentus fuit labore suo, sed adiecit per inuidiam vt genus humanum in eundem laborem traheret secum decipiendo protoplastum. Hoc agendo vtiq; trãsgressionem auxit, & recte sicut proprius, ita & hominis labor imputatur illi. Multiplicatus est ergo primus eius senarius, et factus est iam numerus eius sexaginta sex. At nec isto cõtentus, adijciet adhuc tertia transgres gressione senarium eius multiplicare, quando qui hominem deceperat, rursus dolo, & in prodigijs mendacibus manifestus hostis apparebit. Apposite igitur numerus eius Sexcenti sexaginta sex, quia videlicet labor peccati, qui in homine cum Deo non sabbatizante simplex est, in illa bestia notis incrementis secundo, ac tertio multiplicatus est. Auctoritate fulcitur nostra sententia, quando plagam mortis Antichristi ter commemorat, primo quidem cum dicitur: vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est; secundo cum dicitur: & fecit terram, & inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis;

Psal. 11. Psal. 38. Apoc. 13 Ibidem.

tertio

tertio cum dicitur: vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Ter namque malignus ille plagatus est. primo quando iudicatus in cęlo, sententiam damnationis accepit; secundo, quando in serpente, per quem deceperat hominem, maledictione mulctatus est. tertio quando Dominus IESV interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Hic est verus bestiæ numerus Sexcenti sexaginta sex. Si quis huic expositioni contrarius est, quærat aliam solutionem, & tunc recte ea, quę a nobis dicta sunt, improbabit.

Ibidem.

Gen. 3.

2. Theß. 2.

DE NVMERO DCC.

A Numero Septingentesimo Diuina panditur sapientia, quæ vsq; adeo vniuersa nemeris dispo- suit, vt Monarchias ac Ciuitates ipsas post Septingentos annos ab earum primo ortu, aut magna detrimenta pati, aut penitus fatali quodam ordine cadere videamus. Cum enim quattuor fuerint Regnorum principatus ineffabili ordinatione per quattuor Mundi cardines distinctis gradibus eminentes, horum quemlibet terminat Septenarius per centenarium multiplicatus. Quandoquidem Macedonicum regnum, quod sub Septemtrione fuisse cũ ipsa cœli plaga docent Alexandri Magni aræ sub Ryphæi montibus collocatæ, a Carano conditore vsq; ad Persen annos numerat Septingentos. Africanum vero siue Carthaginense vniuersę præcelluisse Africæ, & non solum in Siciliam, Sardiniam, cæterasq; adiacentes insulas, verum etiam in Hispaniam regni terminos extendiße, historiarum monumenta declarant. Hoc aũt Meridianum regnum annos stetit Septingentos. Diruta siquidem Carthago a Scipione & a Romanis post annos Septingentos, quã fuerat extructa. Orientisquoq; & Occidentis regnum æque Babylonicum, & Romanum vocitari neminem vnquam dubitasse scio.

Paul⁹ Orosi⁹ li. 7.

Eutropi⁹ hist. li. 4. de punico bello. Raph. volater. libro 13.


Orosius Præf. li. 7 Nicola⁹ Cuſ. excitat. li. 8. Alleluia dies.

Ceterum constat Babyloniam caput regni Assyriorum, postquam incommoda multa perpessa fuisset, post annum Septingentesimum, quam fuerat a Semiramide instaurata, tandem altero Septingentesimo anno scilicet 1400, a Cyro primo Persarum rege subuersam. Ipsa deniq; Roma, in qua per Septem Reges primo regnatum est, licet ad IESV Christi aduentum perfecto proueheretur imperio, dictu tamen lachrimabile quanta fuerit passa anno sui natalis Septingentesimo. Namq; contra Parthos missus M. Licinius Crassus, consulatu secundo occiditur, exercitusq; deletur, & inter hæc Roma repentino correpta incendio concrematur. incertum autẽ vnde concretus ignis plurimam Vrbis partem inuaserit, neq; vnquam antea tanto correptam, ac vastatam Ciuitatem ferunt. Nam quattuordecim vicos cum vico Iugario consumtos memoriæ traditum est, adeo vt post aliquot annos Cæsar Augustus ad eorum reparationem, quæ tunc exusta fuerant, magnam pecuniæ quantitatem ex ærario publico largitus sit. Hic iam Pompei & Cæsaris bellum ciuile successit execrandum, quo præter calamitates, quæ prę lijs acciderant, ẽt Romani nominis fortuna mutata est. Nam Cæsare aduersus patriam cum exercitu veniente, Consules Pompeo duce, Senatusque omnis, atque vniuersa nobilitas ex Vrbe fugit in Græciam. Ipsequoque Iulius Cæsar oppressa Repub. primus singulare imperium obtinuit. Præterea (sicuti Byzantijs annalibus scriptum legimus) Constans XXIV. Constantinopolitanus Imperator cum Romam se e Thracia contulisset, licet benigne, honorificeque a S. P. Q. R. exceptus, quinta post die tanta Vrbem ipsam impietate diripuit ac deuastauit, quãta nusquam Barbari vsi sunt. Hoc autem accidit annis A. V. C. 1400. & a Iulij Cæsaris Imperio Septingentis. Illud etiam ex Historicis colligimus a Punico incendio a Romanis facto anno Vrbis conditæ 602, quousq; Totila Gothorum rex immanissimus Romam igne consumsit, annos intercessisse Septingentos. Totidem Xenophon lib. de Aequiuocis supputat annos ab vniuersali diluuio sub Nohe, ad ortum Deucalionis

Diodorus lib. 2. cap. 7.

Eutrop. li. 6. c. 6. Paul. Oras. lib. 6. ca. 12. & li. 7. c. 1. Henric⁹ Glar. in chronologia Cõsulum.

nis secundo anno Spheri, quo tempore Thessalicum diluuium factũ est. Et si tempora singularum rerum publicarũ recte supputarentur, neq; Historici in temporũ supputatione inter se dissentirẽt, innumeris pene exemplis, modo a nobis vsitato, carũ durationes, detrimẽta,



& casus certa ratione per annos 700 colligi, nedũ conijci possent. Verum cum Scriptorum discordia veritati sæpe tenebras offundat, id negotij alijs relinquemus, minime tamen silentio pretermittentes Astrologorum dogma, oĩs inquam Ciuitates & Resp. proprias habere rerum vicissitudines, statutumq; ac definitũ illis esse durationis tempus. Quod ex constitutione stellarum, tẽpore illarum inchoationis, cognosci putant. Quocirca Constantinus cognomento Magnus cum animo statuisset vrbem sui nominis ædificare, primum in Asia in Sardico agro, post ad Sigeum Troadis fundamẽta iecit, tertio transtulit opus Chalcedonem. sed vbi iam muri erecti erant, aquilæ funiculos regulares ter quaterq; rapientes, transmisso mari abiecerunt Byzantiũ, quod a Seuero Pertinace fere totum euersum fuerat triennali obsidione. Itaq; translati Byzantium Architecti, ductis rite fossis, vrbem in medio spacio cõdidere. Cumq; Imperator desiderio teneretur scire vrbis etatem. hanc prouinciã Valenti Mathematico dedit. qui inspecto vrbis horoscopo, nunciauit opus dura-

turum

turum annos ſexcentos nonaginta ſex. (numerus vel minimũ diſtãs a ſeptingentis) intelligens quod tandiu futuri Principes rebus impe rij nihil eſſent detracturi, & tandiu conſilio Senatus Reſp. eſſet gubernanda, poſt quod tempus Tyranni eſſent imperaturi, qui Remp. diſſiparent, atque ad priuatos vſus transferrent.

DE NVMERO DCCC.

Octingentenus numerus, futuræ reſurrectionis gerit indicium, quod octaua die a mortuis reſurrexit Chriſtus, & placidæ itidem quietis in ſuperna ciuitate Hieruſalem perpetuo habendæ, poſt peractum iudicium in anima et corpore glorificato. Siquidem hæc intermina quies & finem nunquam habitura, dicta eſt iam ſuperius per 8 & 80 deſignari. Quinimmo quoties maioris numeri, & in amplam creſcentis ſummam, ſignificationem quærimus, minorem illi reſpondentem, & a quo denominationem ſortitur, attendamus oportet, quoniam conſimilis & pene eadem in minori, & ſuo maiori, comperietur deſignatio. Inde aliquando præſens numerus ſignificat ſtatum perfectorum, ſicut dicitur Geneſi cap. 5. Vixit Iareth Octingentis annis. Item ſignat ſtatum beatorum 2. Reg. ca. 24. Inuenti ſunt de Iſrael Octoginta millia virorum fortium. Nonnunquam etiam ſtatum notat impiorum, qui. ſ. æternaliter morti dantur, 2. Reg. c. 23. Octingentos interfecit impetu vno. quem locum myſtice exponens Galfridus: Ego (inquit) hos Octingentos vniuerſitatem intelligo vitiorum, quorum octo ſunt principalia, ſed ad perniciem hominum numeroſus quidem exercitus ſub ſignis militat ſingulorum. Longũ opus eſset ſingulos ſtatim duces verborum iaculis perſequi, ſed etiã eorum diſtinguere acies et impugnare quam longius. Illud commemoraſſe ſufficiat, non incongrue ſub eiuſmodi numero vitia vniuerſa concludi. Quia. n. quinq; ſunt corporis ſenſus, & vis animæ tripartita, corporalia perinde vitia ad eorumdem ſenſuũ corruptelam

' Petrus Berchorius.

in

in quinquepertito distribuuntur exercitu, & aduersus animam rationalem, irascibilem, concupiscibilem insidiantes Chaldæi tres turmas faciunt spiritalium vitiorum.

DE NVMERO CIↃ.

Millenarius numerus, vltra quem nulla nostra succrescit computatio, plenitudinem rerum, de quibus agitur, indicare consueuit. est enim denarij cubus, nam denarius in se ductus producit centum, quę iam figura quadrata profunditate carens, vt autem in altitudinem surgat, & solida sit, rursum centum decies multiplicantur, et Mille fiunt, vltra quem numerus nequit extendi, cum sit extensus in longum, latum, et profundum. Homerus inter Græcos poetas facile princes, Achillis iram scribit Mille dolorum caussam fuisse Græcis, Millenario pro perfecto, & absoluto numero posito, quem imitatus est Virgilius dum Iunonem describit irim e cęlo dimisisse ad Didonem moribundam:

Beda in Iohann. cap. 6.

Aug. in Ciui. lib. 2. cap. 7.

Iliad. Rhaps. 1

> Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis,
> Mille trahens varios aduerso Sole colores
> Deuolat.

Aeneid. lib. 4.

Huiusmodi mille alia inuenies apud Poetas, Ceterum in Diuinis litteris licet infinitæ rei per finitam designatio ipsius Millenarij nuncupatione frequens occurrat, vt Psal. 89. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterijt. & Psal. 90. Cadent a latere tuo Mille. hic enim copiosa, sed numero indeterminata cadentium esse multitudo significatur: illic vero indefinita multorum annorum duratio, quæ apud Deum tranquam dies vnius reputatur. non tamen quælibet est notata perfectio, sed cœlestium præcipue, idest, incorporeorum, quæ est illorũ, qui habitationem super nos sortiti sunt, quæ est excedentium corruptionem, & consequentiũ incorruptionem. propter quod Dei spiritus dicit in Cãticis:

Isychius Hieros: 1 capit. 27. Leuit.

Vinea

Cant. Cant. 8. *Vinea fuit pacifico, in ea quæ populos habet: tradidit eam custodibus: vir affert fructum eius Mille argenteos. Quis vir? neq; n. possunt omnes hunc offerre fructũ. Ex sequentibus disce: Mille tui* Ibidem. *pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructũ eius. Mille tui pacifici, idest, Salomon, qui pax sibi ipsi interpretatur, & est ille verus Rex pacis IESV Christus, qui habet pacem a semetipso, idest, a Diuinitate in seipso existente. nam aliunde, quã a vero Deo vera pax haberi nequit, iuxta illud ab Ecclesia celebratum: Da nobis illam, quam mundus dare non potest pacem. Huic itaq;, qui est pax sibi* Coloss. 1 *ipsi, & omnia (teste Paulo) pacificauit in cœlo, & in terra, & cuius prouincia fuit perducere nos ad hunc finem, perfectissimus deputatur Millenarius. hic enim iure optimo, in eo quod finis, & vltimus numeri vltimi, et consummati vere Christo conuenit soli, qui primus est secundum Diuinitatem, ante quem nullus; nouissimus* 1. Cor. 15 *autem, quia vt dicit Apostolus: Factus est primus homo Adam in animam viuentem; nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Esa. 41. 44. *Vide clementiam Christi. ipse est primus, et nouissimus. Qui primus erat, propter nos se nouissimum fecit; primus, quia per ipsum resurrectio. descendit enim & proiecit se, vt caderet, infra omnes se faciens, vt omnes iacentes leuaret. Docuerunt hoc et Hebræorum sapientes, asserentes Aleph א primam Hebraici alphabeti litteram, sigillum esse Dei patris, quæ vnitatem significet, & si apex ei supponatur, Millenarium omnium numerorum periodum, hoc est principium, & finem numerorum. quemadmodum apud Græcos α est prima littera, significans vnitatem, cui subiecta virgula toni acuti, vt hic ͵α, significat Mille. sic & Deus æternus fons, origo, et principium primum est, & finis vltimus omnium bonorum. quod de seipso testatus est in Apocalypsi, dicens: Ego sum* ἄλφα & ὠμέγα, Apoc. 21 22. *primus, & nouissimus. Immensam igitur misericordiam Dei* Exho. 20 & 34. Deut. 5. & 7. Ierem. 32. *ostendens Diuini verbi Scriba dicit de Deo: Ego Dominus faciens misericordiam in Millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Tempus est etiam Euangelicæ gratiæ a Christi resurre-*

ctine

ctione vsq; ad diem vltimum, quo militaris regnat Ecclesia. Nam postquam consummati fuerint Mille anni, soluetur Satanas, vt habetur in Apoc. quod exponens August. Millenario, inquit, vniuersum pro perfectione sua, hoc quantumlibet sit Ecclesiæ sanctæ tempus exprimitur. Ad eandem Millenarij numeri significationem refert Primasius locũ illum Apocalypseos cap. 20. Tenuit draconem illum serpentem antiquum, qui cognominatus est diabolus & satanas, & alligauit eum Mille annis: Mille (inquit) anni duobus modis intelligi possunt, aut quia in vltimis annis Mille ista res agitur, idest sexto annorum Millenario, quantumcunq; vsq; ad finem seculi proteletur, cuius nunc spacia posteriora voluuntur, secuturo deinde sabbato quod non habet vesperam, requie scilicet Sanctorũ, quæ non habet finem. vt huius millenarij, tanquam diei nouißimam partem, quæ remanebit vsq; ad terminum seculi, Mille annos appellet, eo loquendi modo quo pars pro toto significatur. Aut certe Mille annos pro annis omnibus huius seculi posuit, vt perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Vnde nec illud melius intelligitur quod Dauid dicit de Deo: Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod mandauit in Mille generationes, idest, omnes. Cum enim nequaquam credendum sit quod ad centum generationes Mundus extenditur, quid aliud Mille generationibus, nisi vniuersitas generationum figuratur? Accedit eidem sententiæ Augustinus dum ait: Mille generationes, propter numeri perfectionem, pro omnibus intelligendæ sunt, idest, quandiu generatio generationes sequendo succedit; tandiu mandatum est, viuendum esse ex fide. quod obseruat populus Dei, filij promißionis; nascendo venienentes, & moriendo abeuntes; donec omnis generatio finiatur, quod Millenario numero significatum est. Alia huius loci expositio in medium adducitur a Greg. Pontifice dilucidante verbum illud Iob cap. 9. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnũ pro Mille: In scriptura, inquit, sancta Millenarius numerus pro vniuersitate solet intelligi: Hinc etenim Psalmista ait, Verbi

quod

Apoc. 20 Victorin. Pictauié.

Lib. 1. in Apoc.

Aug. in ciuit. Dei libr. 20. cap. 7.

Gregor. Mor. lib. 18. capit. 27. & lib. 32. c. 12. Psal. 104.

Aug. in Psal. 104.

Mor. lib. 9. cap. 1

quod mandauit in Mille generationes. perfectionem diuinæ legis, & eorum qui legem percipiebant, per Mille generationes ostendens. cum profecto constet quod ab ipso Mundi exordio vsq; ad Redemtoris aduentum per Euangelium Lucæ non amplius, quam septuaginta septem propagines numerentur. Quid ergo in Millenario numero nisi ad proferendam nouam sobolem, perfecta vniuersitas præscitæ generationis exprimitur? Quia vero monas decies multiplicata in denarium ducitur, denarius per semetipsum ductus, in centenarium dilatatur, qui rursus per denarium ductus in Millenarium tenditur, cum ab vno incipimus, vt ad Millenariũ veniamus, quid hoc loco vnius appellatione, nisi bene viuendi initium? Quid Millenarij numeri amplitudine, nisi eiusdem bonæ vitæ perfectio designatur? Vnde & per Iohannem dicitur: Et regnabunt cum eo Mille annis. quia videlicet regnum Sanctæ Ecclesiæ vniuersitatis perfectione solidatur. Aliter, ex commentarijs Aretæ: Mille anni, non hi dicuntur, qui decies centum multiplicati, id numeri prestant: sed quia denarius numerus, primus; numerus perfectus est, ex vnitatibus constans; itemq; rursus idẽ decies multiplicatus, centũ constituit; & iterũ hic per decem multiplicatus, aceruum conficit Millenarium, de perfecto ad perfectius ascendens, merito ipsi Deo, qui omniũ perfectionem longe superat, perfectionem conuersationis cum hominibus seposuit; non quod omnino tantus sit annorum numerus; sed hoc est quod per perfectum numerum indicat, quod vniuersum, quidquid illud fuerit temporis spacium, quo Christus cum hominibus conuersatus est, neutiquã imperfectioni sit adscribendum. Hæc ibi. Alibi rursus cum vellet Psalmographus infinitatem ostendere precij dixit: Bonum mihi lex oris tui, super Millia auri & argenti, hoc est, super omnes diuitias Mundi, quæ huic veræ sapientiæ non valent æquiparari. sic Mille cubiti muri Hierusalem perfectam operationem designant. Quod vero Salomon obtulit Domino Mille hostias, & circa Ciuitates Leuitarum debebat esse spatium Mille passuum pro pecoribus pascendis: per

Cap. 3.

Psal. 118

2. Esd. 3.

2. Par. 1.

Mille

Mille hostias, & Mille passus intelligere debemus plenitudinem virtutum, quæ scilicet Deo a fidelibus offerri debent; & in quibus pecora, idest Christi fideles, impinguari continue debent, vt sic cuilibet dicatur, quod dictum est Rebeccæ: Soror mea paruula es. crescas in Mille millia. Præsignat adhuc Millenarius vniuersitatem Beatorum. Quare Balthasar Rex, vt habet prophetia Danielis, fecit grande conuiuium optimatibus suis Mille: & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem. Balthasar enim qui interpretatur absorbens diuitias, Deum signat, qui diuitias æternæ beatitudinis in seipso continet, & absorbet, qui pro certo in patria Paradisi Mille optimatibus, idest, Electis omnibus facit magnum conuiuium & immensum, ita quod vinum æternæ felicitatis secundum ætatem propriorum meritorum bibunt, & recipiunt vniuersi. Millenarius etiamnum collati muneris plenitudinem notat. nam Mille, quibus præest vir fortis, æternam requiem signant.

Gen. 24.

Dan. 5.

1. Paral. 12.

DE NVMERO CIↃXCV.

Taciturnitatem significabant Aegyptij numero 1095. hanc afferentes caussam, quod compertum sit eo dierum numero, qui annos tres complectitur constituto anno ex diebus tercentis sexaginta quinq; more Aegyptiorum, nisi cœperit puer affari linguã eius præpeditam esse, nec vllam superesse spem, vt amplius loquatur. Exstat adagium apud Suidã in plane tacentes Σιωπηλώτερος ἔσομαι καὶ τῶν Πυθαγόρᾳ τελεσθέντων, *idest: Taciturnior ero his etiam, qui Pythagorę sunt initiati. Nam Pythagoræ discipuli præceptum habebant exercendi silentij per annos tres. quod quidem triennale silentium (vt est apud Origenem) hinc institutionem habuisse dicunt, vt naturæ species exprimeretur in discipulis, quos vt tunc primum natos alendos, educandosq. animi cibo suscepisset.*

Pieri[9] in Hierogl.

DE

DE NVMERO CIↃCC.

Iust⁹ Ep. Orgelita n⁹ i Cāt.

NVmerus 1200, qui ascendente duodenario per centenarium adimpletur, Apostolis, vel apostolicis viris, qui ex eis spiritualiter per Euangelium in Christo sunt geniti, conuenit. qui in summa perfectione constituti, tāquam illa terra optima centesimum fructum auctori suo respondet. De quibus in Cāticis scriptum est: Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius. Merito aūt pacifici, idest, Christi Discipuli describuntur, quia ipsi Ecclesiæ fructus custodiūt, cum vel malos foris doctrinæ suæ voce deterrent, vel suis orationibus, de improbis canibus & bestiarū morsibus Ecclesiam, quam Christus plantauit, defensare non cessant. Ad quam sub nomine Hierusalem dicit Dominus per Prophetā, Super te, & super muros tuos posui custodes tuos, tota die & nocte, vsque in finem non tacebunt.

Cant. 8.

Esa. 62.

DE NVM. CIↃCCLX. ET CIↃCCXC.

OMnium Philosophorum eadem est sententia, similitudinem in numeris superfluis, non virtutis esse, sed vitij. quod tamen rata ferie, præcipue in sacris Oraculis, intelligendum videtur. Qui.n. magis partibus suis excrescit, is maxime vitiorum est æmulator. huiusmodi est numerus 1260, quem non sine mysterio D. Iohannes taxauit in sua Apocalypsi dicens de Ecclesia: Mulier fugit in solitudinem, vbi locum habebat paratum a Deo, vt ibi pascant illam diebus Mille ducentis sexaginta. Quod perinde est ac si dixisset: Spiritalia semi nantes pascunt Ecclesiam quandiu peregrinando in hoc sæculo persecutiones tolerat. Porro quia tanto tempore agitanda est summa perse-

Cap. 12.

persecutionis in illo filio perditionis Antichristo notas effundente inimicitias, apposite tot dierum numero vniuersa persecutionū tempora intelliguntur. De persecutione Ecclesię verba faciens Daniel, vsurpauit numerū 1290, qui licet quidem paullo maior, quā 1260, et vterq; superabundet partibus: de partibus tamen minoris huius, quam de partibus maioris illius excrescit multo numerosior quantitas. numerus .n. 1290 his partibus continetur. 1.2.3.5.6.10. 15.30.43.86.129.215.258.420.& 645. quibus in vnum redactis conficitur numerus 1878. At vero numerus 1260. habet partē dimidiam 630. tertiā 420. quartā 315. quintā 242. sextā 210. septimam 180. nonam 140. decimam 126. duodecimā 105. decimam quartam 90. quindecimam 84. decimam octauā 70. nec caret vigesima 63. vigesima prima 60. vigesima octaua 45. trigesima 42. habet trigesimam quintam 36. & ab his denominatas vide licet trigesimā sextā 35. &c. fiunt omnes in vnum collectæ 3108. Ita numerus 1260, superfluit, & vltra mensuram suæ originis crescit partibus, tanquam si quis multis super naturam manibus natus sit, vt centimanus Gigas, vel quicquid vnquam monstruosum naturæ in partium multiplicatione surripuit. Illud ēt de hoc mysterio dici pōt numerum 1260, ob sexagesimum, vniuersam persecutionem insinuare. Non.n. dumtaxat nouissima est Ecclesiæ persecutio intimata; sed & omne tempus quo Gentes & Hæretici illam odio prosequuntur. Quemadmodum prophetia Danielis numerum 90 accepit aptiorē ad insinuandam magnitudem persecutionis Antichristi, quæ tanta erit, vt pene sola debeat agnosci, ac præ vniuersis persecutionibus sola computari, quasi cæteræ persecutiones illi comparatæ, persecutiones non sint, aut fuerint. Atq; hic licet scrutari immensam Dei misericordiam, qui vires inimicorum in oppugnanda Ecclesia, mirabiliter temperet, ad vtilitatem Sanctorum suorum. Siquidem oī hoc tempore præsentis seculi, vsq; ad finem Mundi longissimum illis concessit spatium oppugnandi, sed exiguam dedit lędendi potestatem. At vero prope finem amplissimam accipiet per Anti-

Cap. 12.

Augst. in ciui. Dei libr. 20. cap. 8.

Mar. 13.

Augst. in Ciuit. li. 20. capit. 8. Gregor. mor. lib. 33. cap. 12.

christum potestatem; sed ad id tamen breuissimum ei tempus erit præfinitum. nisi enim illa sæuissima persecutio esset breuissima, multi perirent, qui non sunt perituri, Vnde & Dominus ait: Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.

Matt. 24.

DE NVMERO CIↃIↃC.

Millesimus sexcentesimus a quadragenario tetragonus est. nam quadragies quadraginta totidem faciunt. Hunc etiam componunt quater quadringenti. In diuinis scriptis totum insinuat Mundum, cuius partes quattuor esse constat. Apoc. capite decimoquarto scriptum legitur, quod manauit sanguis vsque ad fræna equorum per stadia Mille sexcenta, quasi dixeris, per quattuor Mundi partes, Ortum & Occasum, Septentionem & Meridiem. Vnde & Lamentationes Ieremiæ carminibus Hebraicis cōpositæ, quattuor sunt, & quadruplici alphabeto distinctæ, quia in illis Ieremias non solum Iudæorum, sed etiam totius Mundi scelera deplorat, & omnes ad deplorandum inuitat.

F. Hector Pint° mom. in Ier. c. 1

DE NVM. CIↃ IↃCC CC XXIIX.

Dicturi de numero 1728, referemus mirū quoddam commentum de numero, ordineq; intelligentiarum animarum, quod veteribus Theologi tribui potest. Est.n. hic numerus duodenarij cubus. porro exploratum apud nos est, numerum cubum plenitudinem, firmitatemq; significare, vnde etiam numerus in cubum procedens, vniuersam expli-

cat perfectionem. Cum.n.vltra tres terminos non sit procedendum ex Pythagoræorum sententia, quasi tribus terminis longo, lato, profundo sit quiescendum, cubus numeri vltimus processus est, ac perfectio. Hanc processionem Pythagoræi tam rebus seiunctis & æternis, quam corporeis, caducisq. diuine accommodabant. Ergo duodenarius primus numerus fecundus; (cuius plenam consummatamque virtutem proprio tractatu prosecuti sumus) in superficiem, cubumque procedens, numerum 1728 constituit, qui vniuersam plenitudinem firmitatemque procedentem ex duodenario numero continet. Hac itaque ducti ratione, cum duodecim sint principes animæ in vniuerso, nonnulli existimarunt, harum singulas duodenis alijs præesse, quarum singulis duodenæ pareant animarum legiones, vt in numerum 1728 excrescant. quarum singulæ totidem habeant numero animas, quot habet stellas postremus Orbis. Hunc, de quo agimus, numerum Vniuerso potissime conuenire sentiunt Pythagoræi, quod millenarius, in ipso numero latenter inclusus, significet Firmamentum in stellis quodammodo latens; numerus vero septies centum, planetis sepuem sequentibus Firmamentum congruat; additus autem est 28 ad Lunarem circumitum exprimendum. reditus siquidem Lunæ ad idem Heliophori punctum, 28 numero designatur. Competit numerus 28 Lunæ alia quoque de caussa, quoniam Luna viginti octo mansiones habet insignes. Mystica autem ratione millenarius quadratus, ex centenario pariter æquilatero procreatus, Firmamento præcipue competit propter motum eius æqualem, simplicem, simpliciter circularem. Planetis, propter inæqualem ac multiplicem motum, iure optimo congruit numerus 728, qui inæquilaterus est, nec solum propterea longus, sed insuper est oblongus. nam numerus septies centum extra controuersiam est oblongus, quippe cum latitudo eius sit septem, longitudo vero centũ. si huic oblongo addideris 28, nihilominus oblongus erit. Hęc ex doctrina Pythagoręorũ. Ceterũ diuinus Plato li. de Rep. 8. duode-

Francisc. Diacet. Floré. de amore libr. 2. c. 1.

narium tanquam diuinum celebrans, illum asserit magnam Ciuitatibus portendere mutationem, si quando multiplicari contigerit, atq; ad 144, suum quadratum peruenire. Poterunt autem in melius demutari, si prudenti disciplina regantur: nec fato tunc; sed imprudentia collabi poterunt. At cum peruenerit ad solidum numerum 1728, tanquam finem suum contigerit, declinabit postea, tuncq; fatali numero, non imprudentia, collabetur. tanta est huius numeri uis. Hoc autem breuitati consulens, quattuor duntaxat exemplis comprobabo: A Nino primo Assyriorum rege, vsq; ad Darium postremum regem Persarum, qui scilicet post Arbelæ conflictum ab Alexandro illo magno profectum, fugiens occisus fuit, 1728 anni interfuerunt: at quoniam Herodotus, Diodorus, Trogus Pompeus, & Iustinus suam a Nino historiam contexuunt, hinc ego Philonis Hebrei subductam sum rationem secutus. Præterea historici hunc ipsum numerum cucurisse a diluuio, vsque ad regni Iudæ destructionem, & Hierusalem vastatam, ac Templi incendium absolutum testantur. Eodem temporis spacio Aegyptij ab Assyrijs regibus desciuerunt. Athenienses a Pisistratorum se tyrannide vindicarunt. Qui plura desiderauerit, legat scriptores historiarum, quorum intentio fuit scriptis suis mandare primos ortus, incrementa, declinationes, deinde interitus Regnorum & Rerumpublicarum.

Io. Bodinus libr. de Rep.

DE NVMERO CIↃ CIↃ.

Cap. 5.

NVmerus Duo millia a diuina scriptura celebratur, eo potissimum in loco Euangelij apud Marcum, vbi refert Duo millia spirituum immundorum, qui introierant in porcos, fuisse in mari præcipitatos, & suffocatos ob vnius hominis salutem. Symbolice enim vt Glossa adducit ordinaria, porci significant homines immundos, qui vocis

& ar-

& rationis expertes in monte superbiæ pascuntur, & lutulentis a-ctibus oblectãtur; quibus per cultum idolorum possunt dęmones do minari. Nam nisi quis porci more vixerit, in eum diabolus potesta-tem nõ accipit, nisi forte ad probandum, non autem ad perdendum. Beda com. in Mar. eundem Euangelij locum explanans: Significat (inquit) quia iam clarificata Ecclesia, & liberato populo gentium a dominatione dęmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerunt, cęca & profunda curiositate submer si. Valerius Probus notat hunc numerum littera Z, quam semper in sortibus inauspicatam, & mali euentus fuisse refert Alexander ab Alex. Genialium dierum lib. 3. ca. 5. ἴσσα idest Issa (inquit Suidas) vox est de his quibus littera Z, obuenit, & oĩa male cadunt. Martianus Capella in nuptijs Philologiæ & Mercurij testatur hoc elementum inuisum fuisse Appio Claudio, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitetur.

Li. 1. c. 21

DE NVMERO CIƆCIƆCIƆ.

Millenario ter repetito variæ Beatorum perfectiones designantur. Saul Tria millia virorum de Israelitico populo elegisse dicitur, quia prædicator veritatis ad defensionẽ sanctæ Ecclesiæ non infimos ac debiles, sed robustos & validos bellatores inducit, vt Virgines, Continentes, & Defensores veritatis. Dum. n. exẽplo Virginum ad summam incorruptionis alios accendunt: dum Cõtinẽtium vita alios a seculi corru ptionibus auferunt: dum humilium debilitatem per auxilia potentium defendunt, contra hostes sanctæ Ecclesiæ boni Doctores, quasi cũ Tribus electorum virorum millibus veniunt. Viri aũt dicuntur pro fortitudine. De Israel quoq. esse referuntur pro diuina contẽpla tione. In summo. n. perfectionis numero cõtineri non põt, qui aut uirtute caret magni operis, aut notitia internę uisionis. Est itẽ sacratus

1. Reg. 13. & 24.

hic numerus quod in illo aĩa, et corpus, & spiritus, vel triformis doctrinæ scientia in scripturis diuinis, siue sacramentũ sanctissimę Trinitatis intelligi potest, pro eo quod oĩs credentium multitudo trium dierum viam ambulans, ad perfectionem æternitatis peruenire desiderat. hinc vbi primum Ecclesiæ celebratum est Baptisma, dispensatorie pietas diuina, ab beatissimæ Trinitatis confessionem, parem numerum collegit animarum, attestante Spiritu sancto, & dicente Vna die, prædicante Petro, apposita animarum circiter Tria millia. Quid porro in Tribus millibus camelorum Iob, nisi ad plenitudinẽ fidei veniens torta Gentilium vitiositas designatur? In scriptura.n. sacra cameli nomine est Gentilitas figurata. Vnde & Rebecca ad Isaac veniens, dorso cameli deducitur, quia ad Christum ex Gentilitate Ecclesia properans, in tortis vitiosisq; vitæ veteris conuersationibus inuenitur. quę viso Isaac descendit, quia Domino cognito, vitia sua Gentilitas abiecit. Iam vero quod legimus apud Mathęum dicente Domino: Quicumq; te angariauerit mille passus, vade cum eo adhuc & alia duo. hunc sensum quidam spiritualiter intelligendum crediderunt, vt qui angariatus fuerit mille passus, id est, vt quicumq; infidelis, vel necdum veritatis cognitionem consecutus, de vno Deo patre rerum omnium conditore, velut per iter legis ingressus fecerit mentionem, vadas cum illo adhuc alia duo.i. vt post Patris professionem, per viam veritatis hunc eundem vsq; ad cognitionem Filij, et Spiritus sancti perducas, ostendens illi nõ solum Patrem, sed & Filium, & Spiritum sanctum esse credendum. Eodem mysterio Salomon, hoc est pacificus, qui est Christus Dominus, quando ędificauit Tẽplum Domino, elegit Tria millia virorum, qui præessent operibus & Templo, quia qui pręsunt operibus, Trinitatem prędicant. Scriptum est itidem edidisse Salomonem quęstionum Tria millia. Quid.n. per Tria millia quęstionum, nisi plenitudo fidei in lege, & in Euangelijs a Christo tradita designatur? Quæ dum tota multipliciter per allegoricos sensus sub mysterio Trinitatis describitur, quasi Tres mille q̃stiones nũcupãtur.

Gen. 22. Exho. 3. Beda. Act. 2. Iob 1. Gen. 24. Chromatius Episcop' Roman' tractat. in Matth. 5 3. Reg. 5. Hiero. in Psal. 89. 2. Reg. 4.

DE NVMERO CIƆIƆ.

NVmerus Quattuor millium, quemadmodum docet Theophilus Antiochenus lib. 1. Allegoriarum, propter quattuor notissimas Mundi partes, vniuersitatem designat. Quod.n. Dominus noster apud Matthæum cap. 15. et apud Mar. cap. 8. de septem panibus. i. doctrina Spiritus septiformi, & paucis piscibus. i. Apostolis, quattuor hominum millia satiauit, significat in quattuor Mundi cardines verbum Dei cucurrisse. vt legimus Psal. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. Atq; idcirco forsan minime errabimus a recta sententia, si illo hominum numero dixerimus insinuari Gentiles ex quattuor Orbis partibus ad fidem adductos, & ad nouum Testamentum pertinentes: vel etiam spirituales viros perfectionis quattuor generalium virtutum rationem ac doctrinam habentes. Eodem mysterio Quattuor millia Israelitarum cęsa a Philisteis, designare possunt eos, qui mortui sunt; quia quattuor Euāgeliorū ueritatē recipere recusarunt.

Hilarius in ca. 15. Matth.

Ambr. in Luc. capit. 5.

1. Reg. 4.

DE NVMERO IƆƆ.

AD corporeos sensus refertur numerus Quinque millium. Vnde lorica conserta hamis, qua indutus erat Goliath. i. diabolus, designat simulat iustitiam, quando diabolus transfigurat se in Angelum lucis; quare habebat in pondere Quinque millia siclorum æris. Quinq; millia quæ erant prophana extra templum, ex sententia D. Hieronymi designant deditos quinq; sensibus. Carmina Salomonis Quinquies mille, pro quinque sensibus intelliguntur, quos qui in diuersis virtutibus bene regit, beatus est. rectus n. vsus horum & moderatio, est quasi ratio canendi Domino laudes. quo circa etiam per eos quasi

1. Reg. 17

In Ezech. capit. 48.

3. Reg. 4.

Matt. 14. Quinque millia carmina Domino Salomon canit. Quinque millibus virorũ satiatis a Christo, designantur qui sunt perfecti quinq; sensibus, qui scilicet viriliter agere, & confortari satagunt sobrie, & pie, & iuste viuendo, vt cœlestis sapientiæ mereantur dulcedine recreari. Virorum quippe nomine solent in diuinis scripturis perfectiores quiq; figurari, quos scilicet feminea mollities nulla corrumpit, quales cupit eos esse, de quibus dicit Apostolus: Vigilate, state 1. Cor. 16 in fide, viriliter agite, & confortamini. Hinc in Euangelica historia mulieres, & paruuli non computantur in numero, quia in Dei populo numerari digni non sunt, qui vel paruulos in stultitia, & fatuitate, vel muliers in mollitie, & debilitate imitantur. Vnde Apo 1. Cor. 14 stolus: Nolite, inquit, pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Nicetas Serroui. Vel vita intellige. Quinq; panes reficientes Quinq; hominum millia, allegorico sensu sunt naturalis illa de Deo doctrina, quę ex quinque sensibus innascitur, qua nutriuntur, qui sensualem duntaxat vitam agunt, neq; mentis alis ad sublimiorem speculationẽ euehuntur. Vnde etiam per hordeaceos panes significatur hanc naturalem doctrinam promtam atq; obuiam esse, & imperfectam habere spe culationem; quandoquidem nec hordeaceo pane quidquã est vilius. Quod autem cum mulieribus & pueris comedunt, id significat eos a voluptatum cupiditatibus, atq; imperfecta rationis infantia non plane liberos atq; solutos esse. Deniq; cophini duodecim, qui multitudine satiata supersunt, naturalem, & moralem, & theologicam doctrinam significant. Hæ.n. superfuerunt, quia nullam harũ subierunt, hoc est intellexerunt, nimirum ex solis sensibus, velut crassi & stupidi, Creatoris cognitionem assecuti. Ternaria enim est theologica doctrina, propter sanctam vnius diuinitatis Trinitatẽ. Quadruplex aũt moralis dicitur, propter quattuor primarias & generales virtutes. prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam. Quinaria autem naturalis propter materiam, quæ ex quattuor elementis conflata, formam quintam adiunctam habet. neq;.n. aliud quidquam est natura in sensum cadens, quam materia forma

conue-

conuestita. Tales autem sunt eorũ epulæ, qui ſimpliciter ad Deum tendunt, nec ab inueterata & in habitum perducta animi affectio ne erga eam animæ partem, quæ perturbationibus agitatur, atque a rõne auerſa eſt, plene adhuc expurgati ſunt. Eſt adhuc alia huius numeri ratio. poſſunt .n. quos Dominus myſticis dapibus aluit, ſigni ficare homines veteris legis, qui aſperitate legis vtebantur. Ad Iudeos .n referri quandoq. ſolet hic numeri calculus propter pentateuchum. Nam poſt aſcenſionem Domini, loquente D. Petro, Quinq. millia hominum baptizata ſunt. Sed audiamus quæſo D. Hieronymum ſuis verbis hunc locum exponentem. Puer, inquit, qui habet quinque panes, mihi ſignificare videtur Moſen; duos autem piſces, quia par numerus, ad legem refertur. Igitur Apoſtoli ante paſſionem Saluatoris & coruſcationem Euangelij fulgurantis, non habebant niſi quinq; panes, & duos piſciculos, qui in ſalſis aquis, & in amaris fluctibus verſabantur. Et rurſus. Iuxta numerum quinq; panum, et comedentium virorum, Quinque millium multitudo eſt. Necdum enim ſecundum ſuperioris ſigni narrationem ad ſeptenarium ſacratum & perfectum numerum venerat, quem qui comedunt, quattuor millia ſunt, qui numerus ſemper in laude ponitur; & quadrangulus lapis non fluctuat, & non eſt inſtabilis; & ob hanc cauſſam etiam Euangelia in eo numero conſecrata ſunt. Hæc de numero Quinque millia dixiſſe ſit ſatis, ſi illud ſuperaddatur. De iure triumphandi extitiſſe apud Romanos legem.

Act. 4.

Ioan. 6.

Matth. 14

in Matt. 15.

Ne quis triumpharet, niſi qui hoſtium Quinque millia vna acie ceci-diſſet.

DE NVMERO IƆƆXL.

NVmerum Quinquies mille et quadraginta summopere commendat Plato in Magistratuum, domiciliorum, agrorumq. partitione, utpote omnium cōmodissimum, multas in se distributiones partium integras continentem. Quandoquidem si vniuersum hunc numerum in binas secemus partes, pars dimidia, 2520 cōtinebit; si in partes tres, pars tertia erit 1680; si in quattuor, quarta pars 1260; si in quinque quinta quælibet pars 1008 cōtinebit; si in sex, sexta quælibet 840; si in septem, septima pars 720; si in octo, octaua 630; si in nouem, nona 560; si in decem, decima 504. huc vsq; partes omnes sunt integræ. Sed si in vndecim secemus, vndecima 458, atq; insuper duę vndecimæ portiunculæ; quod si in duodecim, duodecima, 420, Sed ipsum Platonem audiamus. Quinquies mille & quadraginta sint conuenientis cuiusdam numeri gratia agrorum participes distributionisq; defensores. Ager autem & habitationes similiter easdem in partes distribuantur, vt vir, et portio cum distributione conueniant. Et in primis duas in partes totius numeri partitio fiat: deinde in tres, licet & in quarta, & in quinta, & vsque ad decem deinceps. Oportet certe legislatorem tantum de numeris intelligere, vt quis qualisq. numerus singulis Ciuitatibus commodissimus sit, nō ignoret. Dicamus autem eum numerum qui plurimas & præsertim deinceps ordine dispositas in se ipso distributiones recipit. Porro vniuersus numerus omnes in omnia partitiones habet; sed Quinquies millium & quadraginta numerus, & ad bellum, & ad pacem, ad contraria omnia, societates, tributa, distributiones, non in plures, quam vnam de sexaginta partes incidi potest. Hactenus Plato lib. 5. de legibus. Amplius autem libro sequenti, hæc affert. Oportet repetere quot numerus Quinque millium & quadraginta partitiones commodas habuit, atq; habet, tum totus ipse numerus, tū

qui

qui per tribus ipsas porrigitur, quem totius partem duodecimam posuimus, vnam & viginti vigesies rectissime natam. Atque vt totus numerus duodecim constat partibus: ita tribus ipsa in duodecim scinditur. singulas itaq. partes sacrum esse Dei munus existimare debemus, cum & menses, & circuitum vniuersi sequantur. Quapropter, & Ciuitatem omnem ducit, quod ipsis innatum est, ad eas sacrãdas. Alij forsan rectius, quam alij partiti sunt, ac Dijs partitiones suas felicius dedicarunt; nos autẽ nunc rectissime arbitramur Quinque milium & quadraginta numerum elegisse, qui omnes ab vna vsq; ad duodecim decisiones habet, vndecimo numero solum excepto, qui minimo quodam remedio redintegratur. restituitur enim si duæ ad alteram partem domus accesserint.

DE NVM. IↃↃↃCIↃ.

NOn prætermittendus est numerus Sex mille, cum nonnullos veterum scriptorum tam ex Hebræis, quam Christianis in hanc sententiã deuenisse constet, huius Mundanæ machinæ ætatem Sex annorum millibus eße cõclusam. Quod eos dixisse putarim per coniecturã ad animi recreationem, non autem definiendo. Neque.n. ignorarunt eum qui dicit: De die illo et hora nemo nouit, nec Angeli Dei; sed verum exitum & finem seculi solus scit creator temporum & vniuersorum. Ceterum Deus (inquiunt) abscondit ipsum diem et horam. possunt autem tempora conijcere hi qui habent Sanctum spiritum, qui cognoscit & profunda Dei. Conijcimus ergo ex rebus, & verbis Dei, & Scripturæ quæ de consummatione dicta sunt, ænigmatice, et occulte. Sic aũt argumẽtamur.

R. Isaac in primum ca. Genes. Irene. li. 5. cap. vlt. Lact. Fir. li. 7 cap. 24. Tichonius reg. 5. Q. Iuli. Hilarion lib. de Mundi duratione. Rabanus in Deut. lib. 1. cap. 11. D. Cyprianus ad Fortunatum de cohortatione martyrũ. Iustinus in Dialogo quẽ habuit cum Tryphone. Victorinus in commentarijs Apocalypsis. Aug. in Ciuit. Dei lib. 20. cap. 7. Hilar. ca. 17. in Matth.

Primus versus Genesis, quo continetur summa operum Dei, sex vicibus literam א exprimit, Aleph autem millenarium notat. Sex primi parentes Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared

mortui

mortui sunt, septimus Enoch viuus in cœlum translatus est. quia post millenarios sex, quibus labor, & mors viguerit, septimus initium erit quietæ & immortalis vitæ. Isidorus adductus in Glo. ord. Gen. 5. *Enoch, inquit, septimus ab Adam placens Deo, qui & translatus est, septimam requiem significat, ad quam transfertur qui tanquam sexta die, idest sexta ætate seculi per Christi aduentum formatur: transactis autem sex millibus annis, facto iudicio & renouato cœlo & terra, transferentur Sancti in vitam æternam. Deus sex diebus totius Mundi fabricam absoluit, septimo quieuit, ac sabbatum consecrauit. est autem inter decreta veteris Hebraicæ disciplinę per illos sex dies Geneseos Sex mille annos Mundi sic designari, vt sint quę dicuntur opera primi diei, vaticinium eorum, quæ primo Mundi millenario futura erant vt contingerent; opera item secundi, eorum quæ in secundo, & sic deinceps. cui sententię attestatur etiã Moses Gerundinensis theologus primæ celebritatis apud Hebræos. Meminit & D. Hier. Epistola ad Cyprianũ exponens psalmum 89, Moysi inscriptum. videturq; opinio hęc pręcipue illi fundamento inniti quod mille anni (vt dicitur 2. Petr. 3.) sunt apud Deum sicut Dies vnus. Eidem argumẽto innitur Anastasius Synaita hęc scribens in Hexameron: Perfecta & plena nox est quingentesimus annus diei; nox autem dimidia est annus ducentesimus quinquagesimus. Suffragatur Gaudentius Episcopus Brixiensis dicens: Exspectamus, illum vere sanctum septimi millesimi anni diẽ, qui adueniet post istos sex millium videlicet annorũ seculi, quibus completis requies erit verę sanctitatis, et fideliter credẽtibus in resurrectione Christi. nã nulla erit ibi pugna cõtra Diabolũ, qui tunc vtiq; detinebitur supplicijs religatus. Hæc ille. Accedit oraculũ Helię Iudęi, quod habetur in Talmud:* ששת אלפים שנה העולם שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח. *quod Latine interpretatum sonat: Sex mille annorum Mundus. Duo mille inane, duo mille lex, duo mille dies Messię. Quod propemodum insinuare videtur. ad legem duo mil-*

Tract. de idololat.

lia

lia; duo item millia a lege ad Christum; & duo supersunt millia a Christo ad Vniuersi terminum. Naturæ siquidem tempus, quod vocant inanitatis, ab Adam ad Abraham, cui successit Moyses. (Erasmo Reinholdo supputatore) 2023 annis absoluitur. Legis deinde tempus ab Abraham, cui datum fœdus circuncisionis totius antiquæ legis radix & firmamentum, vsq. ad Christũ, per quem nobis gratia, comprehendit annos 1939. Quo fit vt a prima rerum creatione ad Christum fluxerint anni 3962. Consentit Iohannes Lucidus apud quem ab Adam ad Abrahã numerãtur anni 1948, ab Abraham. ad Christum 2012. Est eiusdem sententiæ Iohannes Picus Miran. qui ab Adã ad Abraham cõnumerat annos 1948; ab Abraham ad Dauidis regnum 940, testimonio vtriusq; editionis, & Rabani; a Dauidis regno ad initium eius captiuitatis, quæ ex vaticinio Ieremiæ annis quinquaginta durauit, 480 idem Beda, & Rabano consentientibus. ab ea vero captiuitate, idest ab eo quo cœpit tempore, ad Christum 590. quos si colligas, inuenies tempus legis annorum 2010. Et totidem annorum coniecturalis duratio gratiæ. quod idem Picus sentire videtur hæc scribens conclusione nona Cabalistica: Si qua est, inquit, de nouissimis temporibus humana coniectura, inuestigare possumus per secretissimã viã cabalæ, futurã esse cõsummationem seculi hinc ad annos quingentos & quattuordecim, & dies vigintiquinq. Porro quando hæc scribebat Picus, annus agebatur redemtionis nostræ 1486, vt ex illius vita conijcitur. quibus si addas annos 514, perficitur numerus 2000. Alij hanc in lucem prognato generi humano, post Adæ lapsum, ad Mundi finem sex millia annorum assignata fuisse probãt ex verbis Mosis, apud quem cũ vniuersa caro abhominandis se flagitijs penitus tradidisset, terramq; contaminasset, dixit Dominus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntq. dies illius centum viginti annorum, mysticorum scilicet, seu magnorum Mosaicorum, qui spacium quinquaginta annorum ciuilium nostrorum contineant (vt docuit Nicolaus Cusa) quibus per numerum

Lib. 5. capit. 10. in Astro.

Gen. 6.

merum 120 ductis, exactissimo calculo Sex annorũ millia pœnitentiæ generali assignata exsurgant. Idem confirmauit ætas Mosis, quę præterquam quod centum viginti annorum fuerit, mystice Sex annorum millia ætatis Mundi arguens, etiam duo millia legis, & duo millia annorum Christi magno mysterio triplici vitæ suæ varietate adumbrauit. Quadraginta siquidẽ annis in aula Pharaonis agens, tempus inanitatis, quod legem præcessit, prefigurauit, cum Ietrone quadraginta annis vitam ducens, exsilio suo exsilium Iudaici populi ab exitu Aegypti ad Christum vsq; significauit. quadraginta vero posterioribus annis, quibus populũ rexit, tempus a Christi aduentu vsq; ad Mundi consummationem manifestissimo typo declarans: Eandem sententiam caput duodecimum Leuitici comprobare videtur, Mulier .n. si suscepto semine masculum peperisset, immunda erat septẽ diebus, iuxta dies separationis menstruę, et die octauo circuncidebatur infantulus, ipsa vero trigintatribus diebus manere debebat in sanguine purificationis. Quod si secundum hanc scripturam, septem dies immunditiei addamus, triginta tribus diebus purificationis, quadraginta dies masculi, temporis mystici corporis Christi, Ecclesię scilicet duorum annorũ millium, exsurgunt. Sin autem feminam peperisset, immunda erat duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebat in sanguine purificationis suę. Quod si duas hebdomadas sexaginta sex diebus coniungamus, octoginta dierum mysticorum efficiemus duplicem matris Eue prolificationis, & mariti sorte condemnatę numerum, scilicet inanitatis & legis, quattuor annorum millium, cui si mysticos illos numeros quadraginta, masculi scilicet duorum annorum millium addamus, annos Sex millia durationis Mundi exactissimo calculo conficiunt. Addamus obiter Tyrrhenam fabulam de Mundi ætate a Suida desumtam. Apud Hetruscos, quos & Tyrrhenos & Thuscos nuncupamus, historiam scripsit vir peritus. hic Opificem rerum omnium Deum duodecim annorum millia impẽdisse rebus omnibus a se conditis, eosq; in duodecim quę vocentur

Act. 7.
Deuter. 34.
Exho. 7.

domos distribuisse ait, ac primo millenario fecisse cęlum & terram; altero fecisse firmamentũ id quod appareat, et vocasse cęlum; tertio mare & aquas in terra oẽs; quarto lumina magna Solem, & Lunam, & stellas; quinto aĩam omnem volucrum, & reptilium, & quadrupedum in aere, terra, & aqua degentium; sexto vero hominem. Videntur itaq; primi sex millenarij ante formationem hoĩs pterijsse, et reliquos Sex millenarios duraturũ esse genus humanũ.

DE NVMERO IↃↃ CIↃ CIↃ.

NVmero Septem millium uniuersitas significatur illorũ, qui etiam in illo tẽpore malo, regnãtibus Achab et Iezabel, impietati non consenserunt, latentes apud semetipsos, et colentes Deũ verum. Cum enim Helias conse disset in monte Horeb, in quo audiuit arcana Dei consilia, & futuras immutationes temporum in his quæ facturus erat Deus post ipsum, postulatus a voce Dei se palam alloquentis, quidnam ibi sedens ageret? respõdit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituũ, quia dereliquerunt Dominum Deũ patrum suorum filij Israel. Pro phetas tuos occiderunt gladio, & ego derelictus sum solus, et quærunt aĩam meam vt auferãt eam. hæc Helias arbitratus forte pręter se vnũ, oẽs sui temporis Israelitas declinasse cum Rege suo post simulachra et idola. sed audiuit mox a Deo sui castigationẽ respõsi, dicente Domino: Dereliqui mihi Septẽ millia virorũ in Israel, qui nõ curuauerunt genua sua ante Baal. Vt cum septenarius significet requiẽ, sint figura conuersorũ, qui peccati onere deposito, ad Christi requiẽ uenerunt ad mensurã viri perfecti. Septẽ millia ouiũ Iob, au ctore D. Hier. plebẽ Christi designant, propter innocentiam, quæ in Baptismo sordes peccatorũ deposuerũt. apud Greg. li. 2. Moral. significant cõuersos ex Iudęis. Vel Septẽ millia ouiũ possidemus, cũ cogitationes innoxias perfecta cordis mũditia intra nosmetipsos, inquisito veritatis pabulo, pascimus. Paralip. 1. ca. 29. dicit Dauid se parasse 7000. talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes tẽpli.

Rupert.º in Amos.

3. Reg. 19

Orig. in cap. 11. ad Rom.

Hier. in capit. 8. Zachar.

Rom. 11

DE NVM. CCIↃↃ.

NVmerus Decem millium numerosam notat multitudinem, certo tamen numero nobis indefinitam. Quod enim apud Matthæum capit. 18. sub numero Decem millium talentorum seruus adducitur, atq; omni ære alieno a Domino liberatur, quid aliud sub hoc mystico numero insinuat euangelica lectio, quam uniuersa prorsus peccata dimittenda esse, vt vicissim nobis a Domino remitti postulemus? cum vnusquisque nostrum correctioni & pœnę obnoxius sit, ac secum lutea hæc massa plurimum æris alieni circumferat. sic Psalmographus dicens: Decem millia a dextris tuis cadent. huius numeri expressione copiosam & minime nobis constantem innuit cadentiũ a dextris Dei turbam. Et in alio psalmo cum dicit: Currus Dei decem millibus multiplex. eo numeri calculo significatur innumera Sanctorum multitudo. Sed illud animaduertendum videtur, huius numeri supremam perfectionem. non in terra, sed in cœlo reperiri posse. cuius rei argumentum est quod de viris, qui erant cum Saul, non scriptum est, eos fuisse Decem millia, sed: Quasi decem millia. Quasi enim Decem millia virorum illa sunt, quæ in istius adhuc seculi exsilio posita, illius beatæ societatis formam in moribus susceperunt. Quia enim nouem sunt Ordines Angelorum, & ad illorum societatem Electorũ illa multitudo sustollitur, Decem millia virorum illa sunt, quæ in sanctis Angelis & electis Hominibus in æternę gloriæ sede gratulantur. Nec est absq; significatione mysterij quod Angelorum Ordines nouenario, non quidem simplici, sed aliquo modo composito, consummantur; quia et ipsi ab intellectu simplici primo seiuncti, aliquam compositionem admittunt, quia in illis est essentia, & virtus ipsos perficiens, vel materia, vt aiunt, metaphysica, & forma. Ceterum quia in ipsis sunt gradus perfectionis, Deo proximiores, nouenario ternarij quadrato describuntur, manifestissimã simplicis

Psal. 90.

Psal. 67

1. Reg. 14 Gregor..

ternarij gerentes imaginem. Hoc etiam dignum est, mea quidem sententia, spiritali consideratione, maximam esse & mortalibus incomprehensibilem Angelorum multitudinem. docet hoc Iob capite 25. dicens: Nunquid est numerus militum eius? Et Paulus ad Hebręos cap. 12. Accessistis (inquit) ad cęlestem Hierusalem multorum millium Angelorum. Athanasius libro quęstionum ad Antiochum c. 6. quosdam ait opinatos ita se habere numerum Angelorum, ad numerum hominum, vt nonaginta nouem, ad vnum: alios vero vt se habent nouem, ad vnum. id autem eos argumentari, ex duabus illis Domini parabolis, vna de nonaginta nouem ouibus in deserto relictis, & vna oue, quæ amissa fuerat, quæsita: altera de nouem drachmis seruatis, & vna perdita. subdit eodem loco Athanasius nonnullos existimasse, tot esse Angelos, quot sunt homines, propter illud, quod est in Deuter. cap. 32. Constituit numerum populorum secundum numerum Angelorum eius. Ita. n. verterunt eum locũ Septuaginta interpretes. Albertus cognomento Magnus (si tamen ex eius officina prodijt liber cui titulus compendiũ Theologiæ) scribit quemlibet Angelorum ordinem suas habere legiones, legionem vero Angelorum habere 6666 vnitates, atque in singulis ordinibus tot esse legiones, quod in legione sunt vnitates. Quare in quolibet choro, prædicto numero in semet ducto, exstabũt quadraginta quattuor millia millium, & quadringenta triginta quinq; millia, quingenti & quinquaginta sex. Quo sane numero per nouem ordines cęlestium spirituũ multiplicato, resultabunt trecenta et nonaginta nouem millia millium, nongenta viginti millia, & quattuor. At vero Daniel, vt Angelorum & cęli copiosam multitudinem perfectionemq; designaret: Mille millia (inquit) ministrabant Domino, & decies millies dena millia assistebant ei. Hoc modo supremos humanos numeros, semel & iterum designatos, in seipsos conuoluens ac multiplicans. Horum. n. primus scilicet Millia millium ex ductu denarij in centum millia enascitur, nempe decies decem millia constituent centum millia; & rursum decies centum

Luc. 15.

Libro 2. cap. 23.

Vide Bartholomeũ Casaneũ in catalogo gloriæ mũdi parte 3. cõsid. 18. 44

Cap. 7.

millia componunt mille millia, cubum decem millium, & tetragonum millenarij. quandoquidem mille si in se fuerint multiplicati, dicendo. millies mille, constituunt millia millium. In qua quidem multiplicatione millenarius radix est; mille millia vero siue millia millium eius quadratus. Numerusquoque assistentium quadratus est, sicut & ministrantium, consurgens ex decem millibus in se reuolutis. mystice exercitibus militiæ cęlestis aptans numerum quadratorum numerorum, quorum radices, & tetragonica latera, mille inquam & Decem millia, rerum humanarum supremi sunt summique numeri. Illud autem neutiquam prętermittendum videtur omnes quidem libros in priore numero ex septimo Danielis cap. adducto conuenire atque conspirare, habereque Millia millium ministrantium; in secundo vero numero scilicet assistentium ipsi antiquo dierum, diuersos quidem libros inter se discrepare. cum nonnulli non habeant decies millies dena millia, sed Decies centena millia. Alij etiam codices in secundo illius sententiæ Danielis contextu habent Decies millies centena millia. qui sane numerus est omnium multo maximus, reddens millies mille millia, nā decies centena, constituunt mille, & ipsa adiecta millies millibus, proculdubio aggregāt millies mille millia. Atq. his plane declarantur cęlestium naturarum, qui a nobis numerari nō possunt, ordines. Multi sunt.n. beati cęlestium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerorum corporeorum, quibus vtimur, modum superant & transcunt, atque scienter definiuntur a sola earum summa cęlestiq; intelligentia ac scientia, quæ eis feliciter conceditur a diuina sapientum effectrice, quæ vniuersarum rerum singulari modo & principium est, & caussa efficiens essentiæ, & vis continens, et complectens determinatio, his verbis attestāte Euseb. Cęsarien. Cum Daniel numerum videatur aliquem nominare, numeratas illas ostendit esse virtutes a Deo: cum vero tantam numeri quantitatem dixerit, ignotum nobis illum numerum propter innumerabilitatem suam esse ostendit.

Dionysius de cęlesti hierar. c. 14.

De prep. euang. li. 7. ca. 5. & Gregor. Mor. lib. 17. c. 7. Hier. in c. 7. Danielis.

DE

DE NVM· CCIↃↃ CIↃ CIↃ·

CAelestium diuinorumq; supremam perfectionem notari Millenario per duodenarium complicato, testatur D. Iohannes in sua Apocalypsi, vbi numerus Duodecim millium seruorum Dei, atque ex singulis Tribubus signatorum in frontibus suis, sanctam vnius ordinis Beatorum cęlestis Hierusalem insinuat multitudinem. Quare & Ciuitas illa superna magna & immensa Duodecim millibus stadiorum in longitudine, latitudine, & altitudine concluditur. Quod ad mysterium potius, quam ad numerum terminatum referri debere docent qui talia scrutantur Theologi. Cęlum enim & cęlestia omnia duodenario mensurauimus: diuina, millenario cubo supremi, & diuini denarij.

Cap. 7.

Apoc. 21

DE NVMERO XXXM·

DE Rege Dauid scriptum legitur, quia congregauit omnes electos ex Israel Triginta millia. Quoniam Dominus Ecclesiam primitiuam ex Israel instituit, non quidem omnem Israel, sed electos quosque sibi consocians. non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; sed filij promissionis deputantur in semine, qui Triginta millia esse referuntur, idest, fidei, operis, & spei firmitate perfecti. tria enim propter confessionem sanctæ Trinitatis, ad fidem pertinent; decem, propter decalogum legis, ad opera; mille, propter sui perfectionem, ad spem vitæ æternæ, qua superius aliquid nō esse pōt. sicut numerus millenario nullus est maior. & si enim decem millia, si quadraginta millia, si etiam mille millia dixeris, non ipsum mille numerando transcendes;

2. Reg. 6

sed vel per se, vel per minores numeros sæpius ducendo multiplicas. Tria ergo per decem multiplica, ne fides sine operibus mortua sit: item triginta, per mille multiplica, vt fides quæ per dilectionem operatur, non alibi, quam in cælis speret retributionem. Electi igitur ex Israel, populos recte credentes, operantes, sperantes, insinuant. Eundem ad modum Triginta millia virorum quos ex Israel elegit Salomon, vt cederent ligna cedrina ad opus tabernaculi. sunt Doctores in fide Trinitatis perfecti. Hac etiam mysterij ratione libro 1. Reg. cap. 11. filiorum Israel trecenta milla; virorum autem Iuda Triginta millia a Rege Saul recensita fuisse perhibentur. quem locum mystice declarãs Greg. Mag. Tricenarius, inquit, numerus ad rectitudinem fidei, & studium pertinet bonæ operationis, quia nulla sunt præcepta legis, si ad contemplationem non tendunt summæ Trinitatis. Apte ergo viri Iuda dicuntur, qui Triginta millibus continentur; quia confessionem habent rectæ fidei, & robur bonæ operationis. Patres autem nostri eiusdem fidei, atq; operationis fuere; sed in contemplatione diuinitatis, quo longe altius, quam nos profecerant, eo & opera fidei fortiora exhibebant. Quare etiam filiorum Israel Trecenta millia recensentur. Triginta quidem a tribus, & decem in Triginta veniunt; sed in Tricenario numero tam denarius, quam ternarius simplex est, sed vt vsque ad trecentos numeremus, & denarium tricesies, & tricenarium decies multiplicamus, quia & si magna est contemplatio, magna sunt opera subiecta plebis: illa tamen, quæ in Patribus nostris præcesserunt, incomparabilia fuerunt.

1. Reg. 5.

DE

DE NVMERO CXLIVM.

C*Entum quadraginta quattuor milla, completum Sanctorum numerum ex Duodecim Tribubus conflatum & collectum insinuant. Duodecim .n. millium numerus in se ductitatus quadratum suum 144000. conficit. Qui sane numerus 144000, tanquam tota signatorum ex duodecim Tribubus completaq; summa, expressus habetur septimo Apocalypseos capite. itidem & decimoquarto, vbi dilectus Deo discipulus in spiritu vidit illum Sanctorum numerum stãtem cũ agno super mõtem Sion, Sanctorum inquam, quos numerus ille significat (vt ait. Glosa) in virginitate perfectissimos, & in fide Trinitatis in quattuor Mundi partibus collectos. Huius etiã sacri numeri rationem assignans Rupertus Tuitiensis, in septimo eiusdem libri capite, ait: Duodenarius, qui numerus erat primorum filiorum Israel, ita disponitur, vt in deceno vnitas, in singulari vero limite binarius constituatur, vt hic 12. Verum vt isti duodecim primigeni in duodecim milla succrescant, vnitas illa decena vnum et alterum limitem transit, & in tertio consistit, & decem millia fiunt, vt hic 10000. Item binarius singularis, qui coniunctus eidem decenæ vnitati duodecim perficiebat, vnum & alterum limitem transit, & in tertio consistit, & duo millia sunt, vt hic 2000. Qui videlicet duo millia, decemmillibus iam dictis in secundo ab eis limite cõstitutis connumerantur, et duodecim millia fiunt, vt 12000. Ita qui duodecim tantum erant filij Israel, iam in duodecum millia multiplicati, rursus duodecies multiplicantur, & fiunt centum quadraginta quattuor millia. Qui quidem numerus ita disponitur vt tribus limitibus distinguatur. Nam in centeno milleno, vnitas; in deceno milleno, quaternarius; in milleno item, quaternarius collocatur. Nota mysterium. duodecim primi vel singulares, vt duodecim millia fiant, tres limites ascendunt, & eadem duodecim millia duode-*

 cies

cies secundum eundem numerum filiorum Israel ductitata, centum quadraginta quattuor millia conficiunt, numerum videlicet tribus limitibus distributum vt 12. 12000. 144000. Quid ergo sanctam huius reuelationis gratiam intendere arbitramur, nisi id quod omnis legalis, prophetica, euangelica atq; apostolica veritas testatur, Nulli prodesse ad salutem quod sit Israel, aut Abrahæ filius per carnem, nisi sit etiam filius eiusdem per eam, quæ non minus, quam trium nominum confessione perficitur, fidem? Fidei namq; confessio nunc reuelatę gratię tempore manifestas necessario personas exprimit Patris & Filij & Spiritus sancti. Dudum autem in illa vmbra Mosaycæ legis arcana professione significabatur, totidē nomium paternorum illo populo Dei, Deū Abrahā, Deum Isaac, Deū Iahacob palam confitente atq; inuocante. Hæc igitur in decuplum trina multiplicatio fidem nobis pulchre innuit sanctissimę Trinitatis. primo enim duodecim in decuplum transducti fiunt 120. rursus centum viginti in decuplum promoti fiunt 1200. item mille ducēti decies multiplicati fiunt 12000. Verum quia sola fides sine operibus ad perfectionem, siue ad vitam non sufficit, rursus per duodenarium multiplicantur duodecim millia & fiunt 144000. Quo numero & fidei cōfessio, et bonorum operum multiplicitas significatur. Hactenus Rupertus. Eiusdem numeri mysterium aperiēs Ven. Beda hęc scribit in c. 14. Apoc. Numerus (inquit) cētum quadraginta quattuor millia finitus pro infinito debet intelligi, et secreti significatione mysterij virginali aptus examini; quod Deum ex toto corde, tota anima, totaque mente diligens, corporis quoq;, quod ex quattuor qualitatibus subsistit, illi est integritate sacratum. Ter enim terni nouem, & quater quaterni sedecim, sedecies autem nouem, centum quadraginta quattuor adimplent. Eo numero significatur totius Ecclesiæ multitudo, quæ de Patriarchis vel prosapia carnis, vel fidei est imitatione progenita. Si.n. (inquit) vos Christi, ergo Abrahæ semen estis.

Rom. 9. Exho. 3. Iac. 2. Gal. 3.

DE MILLENARII CVBO.

DEcies millies centena millia, vel vt nunc mos est loquendi, millies millena millia, seu mille millia millium, siue mille millies (hęc enim sola voce discrepant) chaldaicis notis hoc modo depicta 1000000000. mirabile mysterium proferunt. Ex vno enim decem characteribus tanquam perfectis triplicata perfectione perfecti, per vnitatis simplicitatem, et numeri quandam humanam incomprehensibilitatem, vniuersa in Deo constare comprehendiq; ostendunt. Et sicut posteriores nouem litteræ, ad primam comparatæ, per se nihil sunt: ita quæ a Deo ipso sunt, & prodeunt, quamquam immensa eius bonitate maximam & multitudinem & perfectionem ostendunt, eius attamen comparatione nihil sunt omnino, ac sine eo omni priuata virtute, ad eius tantum ornamentum constituta creduntur, vt quæ vnitate fuerat simplicissima Deitas, comparatione ceterorum omnium, infinita etiam esse cognoscatur. Afferunt sacri Scriptores alteram huius numeri prestantiam cum n. sit millenarij cubicus tum magnam designat copiosamq; multitudinem, tum rei de qua habetur sermo solidã perfectionem insinuat. Quare Iustinus in Dialogo quem habuit cum Tryphone, Greg. Hom. 34. in Euangelia. & lib. 17. Mor. cap 9 & Sanctes Pagninus ad hunc numerum referunt locum illum Danielis cap. 7. de Angelis antiquo dierum assistentibus. ad hunc. n. modum legunt. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quę fortassis lectio illi anteponenda videtur, quę habet decies centena milla, seu centum myriadas (millionem vocat vulgus) Hic. n. numerus coincidit in summa cum precedente numero Angelorum ministrantium Domino. s. millibus millium; cum decies centum, reddant mille. quemadmodum annotauit Scholiastes Dionysij ca. 14. de Cęlesti hierarchia. Quare mendosus censeri poterit ea in parte

qui eundem secundo loco enuntiat numerum, quem primo, cum ex natura copulæ, & ratione enuntiandi, alter videatur potius posteriore sententia innui, quam priore.

DE MAIORIBVS NVMERIS.

CVm præter a nobis descriptos, numerus aliquis legitur in diuinis litteris millenariũ superans, perditorum multitudinem ostendit, quemadmodum fuit præfiguratum in pestilentia Dauidica, qua a matutino tempore, vsq; ad horã prandij percutiente Angelo conciderunt homines 7000. Et in castris Sennacherib regis Assyriorum vna nocte cæsa 185000 fortissimorum virorum. Et in combustione librorum in Actib. Apostolicis, vbi propter nefandum scelus magicæ artis, legitur inuentam fuisse pecuniam denariorum quinquaginta millium. Decem milla inimicorum fugari dicuntur a centũ bonis: Leuit. 26. Quadraginta duo millia de Ephraim percussit Iephte, qui interpretantur omnes rebelles condemnandi in fine Mundi: Iudic. 12. Viginti tria millia plebis internecioni dantur, quod vitulum in Horeb fecerint, & adorauerint sculptile, mutantes gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fęnum: Exho. 32. & Psal. 105. Iterũ quinquaginta millia virorum fortium ex Israel, qui corruerunt vulnerati, eo quod vidissent arcam Domini, designant hæreticos, qui præter errorem in fide, etiam in quinque sensibus peccauerunt.

2. Reg. 24.

1. Machab. 7.
Cap. 19.

Aug.

Greg. pp comm. in 1. Reg. 6.

DE MVLTITVDINE.

SEd hactenus de numero disseruimus, nunc autẽ, quod superest, de multitudine agamus. Discrimẽ. n. maximũ est inter multitudinem, et numerũ, licet idẽ videantur esse. Numerus quidẽ certã dicit quantitatẽ discretam sub aliqua specie ipsius numeri contentã, vt decem, centum &c.

At

At multitudo dissimilitudinis & inconstãtiæ faciem habet, suopte ingenio indefinita, neq; pari ratione vnquam fit obuiam indagantibus eam; sed veluti Proteus, interim quidem vt status occurrit, quatenus extrinsecus cohibetur; interim vero vt motus, nil certum indicans, cum nullo pacto per se deprehendi queat, contrarietatem vbiq; præ se ferens. et cum credideris eam illaqueare, protinus euanescens, semper fluitans, semper instabilis: nec unquam, nisi sub confusa notitia comprehenditur; adeo ut animalia ratione carentia huius cognitionis haud uideantur expertia, cum tamen ad numeri notitiam nequeant peruenire. Gallina n. multitudinem nouit pullorum, non tamen numerum. Adde omnem numerum ideo perfectionis imperfectionisq; participem, quia numerus omnis unitatem habet, ac multitudinem. Vnitatem, quoniam numerus ternarius unus est ternarius, & una trinitas. Multitudinem, prout dicimus ternarium habere tres unitates. Ergo numerus omnis unitatem habet, habet et multitudinem. Vnitas consensum ac perfectionem: multitudo diuisionem & imperfectionem dicit. Itaq; multitudo utpote quæ ab unitate recedit, & habet confusionem sine ordine numerali, in malam partem plerunq; sumi solet. ut. n. ait Origines Adamantius, principium malorum oĩum est multitudo. Psal. 32. Multitudo fortitudinis gigantis, est fortis uirtus diaboli. Esa. cap. 13. Multitudo in montibus, sunt dęmones & hęretici cum superbia. Exho. cap. 19. Multitudo plurima, malorum indicat sectatores. Ezech. c. 27. Multitudo Tyri, est uulgus malorum. Iob c. 39. Multitudo ciuitatis quam cõtemnit onager, sunt hoĩes terreni uiam latã sequentes. Ose c. 8. Multiplicauit Ephraim altaria ad peccandũ. Ezech. c. 16. Multiplicasti Hierusalem oẽs fornicationes tuas. et iterũ: Multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. Esa. cap. 57. Hierusalem humiliata est vsq; ad inferos, quia in multis vijs laborauit. i. diuersis vitijs, & erroribus. sic. n. exponit D. Hier. cuius hæc sunt uerba. Hoc de hæreticis possumus dicere, qui derelicto Deo suo, sequuntur errores, & putant se aliquid plus habere, cum sequentes mendacia,

 perdi-

perdiderint veritatem, & multiplicauerint fornicationem suam; non in uno dogmate, sed in plurib. Et paucis interiectis, subdit. Qui ambulat in uia vna & regia, non laborat, de qua per Moysen pręcepit Deus: Via regia ambulabis, & non declinabis ad dextram, neq; ad sinistrã: Vna via est veritatis, quę dicit in Euangelio: Ego via, veritas, & vita. & multę mendaciorũ vię per quas nunc ambulasse arguitur Hierusalem. Hęc ille. Gen. c. 6. Videns Deus quia multa malitia hominũ esset in terra, pęnituit eũ quod hominẽ fecisset. In eodẽ capite, Arca quę a Noe constructa est, vbi mensuratur, in inferioribus lata describitur; vbi vero textus eius ad altiora consurgit, paucorũ cubitorũ cõclusione colligitur. qa Ecclesia cuius figurã tenebat arca, dilatatur in carnalibus, angustatur in spiritualib. In inferioribus .n. vbi lata & spaciosa habebantur loca, vel bestię, vel pecudes erant locatæ; in superioribus vero aues; in summis aũt, quæ angustiora erant & arctiora, ibi Homo rationabilis & Dei capax positus fuerat. Sic & apud Matthæum testatur veritas latam esse viam ducentem ad mortem, & multos per eam ingredi. Iohannes item in Euangelio suo scriptum reliquit, quod Discipuli multi abierunt retro, & iam cum Domino non ambulabant. Sic Propheta Regius ostẽsurus maiorem esse numerũ infidelium, quam deuotorum, dixit Psalmo 68. multiplicatos esse perfidos Iudæos supra numerum capillorum. i. recte credentium. Quemadmodum .n. capilli nostri ad decorẽ capitis sunt concessi, sic Ecclesiæ, Apostoli sunt attributi: & omnes fideles Ecclesiam decorant. De Synagoga quoque scriptum legitur, quod Phenenna multa erat in filijs, & infirmata est. Esaiæ vero cap. 54. Multi filij desertæ magis, quam eius quæ habet virum. Et de Idololatris Psal. 15. dicit Propheta multiplicatas esse infirmitates eorum; per infirmitates intelligens Idola. et ita habet textus hebræus. Sicut .n. bonus vnũ habet Deum quem colit: ita mali multos habent Deos & Idola, quia multas .s. voluptates, multa desideria vana, pasiones diuersas quibus seruiunt. ideo autem multas quærunt voluptates, quia nullam inueniunt, in qua quiescant. Angelomus monachus in 1. Reg. cap. 1. Vnusquisq; insipientium

Deuter. 5 | Iohan. 14 | Cap. 7. | Cap. 6. | Cassiodorus Senator in Psalmi. | 1. Reg. 2 | Io. Picus.

pientium non est vnus, sed multi. vnde scriptura: Stultus vt Luna mutatur. Luna cum videtur vna esse per substantiam, per mutationem dierum semper ipsa alia est, et diuersa. Sic & peccatores qui mutantur a sapientia, & scientia, diuersa concupiscunt, et instabiles efficiuntur in omnibus vijs suis. hæc ille. Non dissimili modo multipedes animantes diuersam & variam doctrinam atq; inconstantem notant, ideoq; inter animalia immunda computantur. Pari ratione Leprosi, qui dogmata erroribus permixta profitentur, insinuant, interprete, D. Augustino. Apud Ecclesiasten capite primo: In multa sapientia multa est indignatio, & qui addit scientiam, addit & dolorem. Et in Ecclesiastico capite vndecimo. Fili ne in multis sint actus tui. Adeo fere semper multitudo vitiosa. Prouer. capite 16. Melior est parua acceptio cum iustitia, quam multa genimina cum iniquitate. Et in Psal. 36, Melius est modicum iusto, quã diuitias peccatorũ multas. & Psal. 55. Multi bellantes aduersus Christum. Ose cap. 3. Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod. Gen. 4. Dies multi post quos offert Cain munera, signant negligentiam, & tarditatem cõuertendi se ad Deum. Leuit. cap. 15. Diebus multis pati fluxum sanguinis, est perseuerare in peccato, aut idololatria. Luc. cap. 8. Temporibus multis arreptus a diabolo, designat Gentiles, qui a diluuio vsq; ad Christi aduentum possessi sunt a dæmonio. Ioel. cap. 2. Pupulus multus, sunt ipsi dæmones. Matth. cap. 10 Passeres multi, designant multitudinem confusam infideliũ. Aque multæ de quibus in Psal. 143. Esa. cap. 8. & 23, sunt multitudo malorum hominum, & dæmonum, & tentationum. Ioel. cap. 2. Multa castra Dei, dicuntur dæmones, & mali qui eius voluntatem puniendo exequuntur. Esa. c. 30. Ligna multa, perpetuitatem insinuant pœnarum inferni. Cum vero per eundem Prophetam dicitur, quod claudentur impij in carcere, & post dies multos visitabuntur, qui modum loquendi non intelligunt, putant post multa tempora terminati iudicij saluãdos impios,

Eccli. 29

Leuit. 13
Luc. 17.

D. Hier.

cum

cum Esaias e contra nullam ipsis salutem tribuat; sed eos qui hoc tempore mortui, pro enormitate flagitiorum, claudi merentur in carcere pœnarum, tempore resurrectionis ad modicum visitandos esse significet, tantum vt receptis corporibus in iudicio grauius damnentur, & post iudicium continue atrocioribus perpetuo claudantur in pęnis. Nunc quid de septem Gentibus, quarũ Israel accepit terras, scriptum sit, videamus. Deuter. cap. 7. Cum introduxerit te dominus Deus in terrã, quam possessurus ingredieris, & deleuerit Gentes multas coram te Ethæum, & Gergesæum, & Amorræum, & Chananæum, et Pherezæum, et Euæum, et Iebusæum septem Gentes multo maiores numero, quam tu es, & robustiores te, traduxeritq; eas Dominus tibi, percuties eas vsq; ad internetionẽ. Exhodi rursus cap. 3. vbi Dominus loquitur de populo Israel: Deducam (inquit) eum de terra illa in terram, quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Ethæi & reliqua. Porro bella filiorum Israel aduersus septem illas robustissimas Gentes, bellorum spiritualium figuras esse nemo qui ambigat. Quare terra promissa fluens lacte et melle, nihil aliud esse dicimus, quam Regnum cœlorum: Sicut .n. illa plebem a iugo Pharaonis: sic Ecclesiam a vinculo diaboli solutam Regno cœlorum restituit. Sed delendæ sunt septem Gentes .i. vniuersi maligni spiritus; Chananæus, qui secundum hebraicã translationis virtutem idem est quod, possidens; Amorræus, amarus; Gergesæus, colonum eijciens; Iebusęus, calathus; Ethæus, formidans; Euæus, ferus; Pherezæus, separans. Possederat .n. Mundum Diabolus, in amaritudine sua, colonum Paradisi eijciens, gustum mortis in calatho malitiæ offerens, ne homo altiora peteret formidans, sicq; suasu feritatis a Deo separans. Etiam septem istæ Gentes, septem sunt principalia vitia, nempe Superbia, Auaritia, Ira, Luxuria, Inuidia, Acedia, Gula, quæ per gratiam Dei vnusquisq; spiritalis miles exsuperans, exterminare penitus admonetur. Porro quod multo maioris numeri dicuntur esse, quid aliud insinuat, quã vitia virtutibus numeriosiora? Et quod dicit Ecclesiastes, stultorum

Rabanus in Deut. li. 5. cap. 13. & Isidorus.

Eccle. 1.

rum esse numerum infinitum? In catalogo namq. septem nationes dinumerantur: in expugnatione autem earum absq. numeri adscritione ponuntur, ita .n. dicitur: Et deleuerit Gentes multas coram te. numeriosior est .n. quam Israel carnalium passionum populus de hoc septenario somite vitiorum, ac radice procedens. Exinde enim pullulant contemtus, inobedientiæ, blasphemiæ, murmuratio, detractio, contentiones, hæreses, iactantia, præsumtio nouitatũ, mendacium, fraudulentia, furtum, periuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentiæ, inhumanitas, rapacitas, homicidia, clamor, indignatio, fornicatio, scurrilitas, turpiloquia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, instabilitas mentis, & corporis, verbositas, curiositas, rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio, tentatio, comessationes, ebrietates, aliaq; quãplura similia, quę cũ sint multo maioris numeri, quã virtutes; deuictis tñ illis septẽ principalibus vitijs, ex quorũ natura ista procedunt, vniuersa protinus cõquiescunt, ac perpetua pariter cũ his internecione delentur. Hactenus de vitiorum multitudine. ad reliqua accingamur. Quẽadmodũ qui in aliquo precio haberi incipiũt, in numerũ aliquẽ peruenire dicuntur. & in aliquo numero esse dicuntur, qui sunt alicuius existimationis: Ita quem nullius precij, nullius esse momenti intelligimus, hunc numero indignũ, hunc esse nullo numero ferimus. Hac quasi parœmia vsus est Ruffinus lib. 2. Apolog. in D. Hieronymum. Quid (inquit) mirũ si me minimũ, & nullius numeri hominem laceret? Homerus omnium disciplinarum fons vberrimus.

Deut. 7. Cassian⁹ in collãtionibus lib. 5. capit. 16. Host. sũma de pęnit. & remissi. §. quis debet confiteri. Gal. 5.

Nusquam in consilijs, nusquam numeratur in armis. — Iliad. li. 2

Cui simile est illud Euripidis Poetæ magna in primis doctrina, & elegantia ornatissimi.

Formidolosi nullum habent in prælio
Numerum, sed absunt, licet ibi adsint maxime.

Cum his faciunt & dicta Theocriti in Catellæ amore.

—— At neque nos ratione uidemur, — Idil. 14.

Nec

Nec numero digni, velut infausti Megarenses,
Sortis in extrema miserandæ parte locati.

Quis vero nō exploratissimam deputauerit hanc veritatem, qui Iob maledicta non tam dolenter, quam diuinitus iacta legerit? Non numeretur (inquit) in mensibus nox in qua natus sum .i. interprete D. Greg. deleatur Iudas de numero Apostolorū. Eadem significatione, non computari noctem illam in diebus anni, est non agi memoriā Iudæ, vt Sanctorum; sed ipsum deleri de libro viuentium. Dicuntur itidem aliqua Innuberabilia, quasi indigna numero, vt Exho. cap. 10. Innumerabiles locustæ. Item cap. 12. Innumerabile vulgus promiscuum. Iudith. cap. 5. Innumerabilis exercitus. Iudic. cap. 6. 7. Iudith. c. 2. Innumerabiles cameli. Esai. cap. 2. Innumerabiles quadrigæ. In Ecclesiaste cap. 5. Vbi multa sunt somnia, plurimę sunt vanitates, & sermones innumeri. Et per Ieremiam dicit Dominus: Populus meus oblitus est mei diebus innumeris. Hac ratione mysterij, mali dicuntur innumerabiles, quia intra Electorum numerum non habentur, vt eo sint innumerabiles, quo extra numerum currunt. Iob. cap. 34. Conteres multos & innumerabiles. Innumerabiles hoīes, quos rapit ante se diabolus, Iob cap. 21. sunt carnales ab exordio Mundi vsq; ad tempora Antichristi. Innumerabilis gens, Iohel primo, sunt dæmones & mali homines: Adhuc & Propheta Regius de se ipso verba faciens Ps. 19. Circundederunt (inquit) me mala, quorum nō est numerus: Item Psal. 103. Hoc mare magnū & spaciosum, illic reptilia, quorum non est numerus. Mare quippe (auctore Cassiodoro) præsentē mundum significat, vbi Demonum malitia, velut quibusdam fluctibus, voluntas animarū instabilis commouetur. Reptilia. n. ista sunt spiritus maligni innumerabiles nobis: Et ipsorum sunt innumeræ insidiæ, quæ in hoc seculo reperiuntur, & incautos occupant. Præterea in alio Psalmo refert venisse Aegyptijs locustam & brucum, quorum non erat numerus. Quod vero de Diuina Trinitate dicit idem Propheta: Sapientiæ eius non est numerus. hūc habet sensum. Hoc ipsum quod Trinitas dicitur,

Iob. 3.

Mor. lib. 4. cap. 10 & 11.

Capit. 2.

Iob. Gre. Mor. 15. 30.

Aug. in Psal.

Glo. in Psal.

Psal. 104

Psal. 146

dicitur, non nisi numerum significat, & secundum personas discernitur & numeratur, quia tres personæ Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus. Quam tamen secundum naturã, quę vna & sola est, minime numeramus, quia vnitas siue singularitas Diuinitatis nec discernitur nec numeratur: Huius rei testis locupletissimus est Cerealis Episcopus, cuius hæc sunt verba libro aduersus Maximinum: Cum Pater & Filius, & Spiritus sanctus sit, nemo Christianus tres deos poterit dicere, quia in nullo a se diuina distat natura. Numerus siquidem ordinem efficit, æqualitas non admittit. alter.n.primum sequitur, alteri tertius applicatur. Sed cum gradus fieri non possint ex paribus, qui subdi possint quemadmodum cum numeratur, vnus ergo erit, quia non habet secundum; secundus quippe minoris ordinem tenet, & minor alterum facit, alter posteriorem indicat, posterior imparem signat. Remoue distantiam, & quod numeres non habebis, Propheta dicit: Sapientiæ eius non est numerus. si sapientia eius non numeratur, quomodo Filius numeratur, qui est sapientia Patris, sicut Apostolus dicit? Hactenus ille. Dicitur etiam non esse numerus militum Dei Iob cap. 25. quia soli Deo cognitus. simili modo in Canticis, Adolescentularũ, hoc est, animarum vagarum, quę vana huius Mũdi sectantur, dicitur non esse numerum, quia dum per vanitatem quam diligunt, in numerum Electorum non currunt, extra remanentes, quasi in cognitionem diuinam non veniunt. Quibus ipsa veritas in futuro iudicio dictura est: Nescio vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Vnde et in Psalmo mystico dictum est in persona Christi de his quorum Deus non est pars hæreditaria: Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Iam vero quando iussit Dominus in principio suæ prædicationis laxari retia, illa piscium multitudo copiosa & indefinita, insinuat bonos & malos, quos nunc habet Ecclesia. quare, non in dexteram, ne solos bonos, nec in sinistram, ne solos malos insinuaret; sed indifferenter missa sunt retia. Quando vero mittuntur retia in dextram nauigij, post resurrectionem dominicam

Io. Maxẽti° Dialog. lib. 2

Cant. 6.

Matt. 25.

Cap. 7.

Psal. 15.

Luc. 5.

Iohã. 21.

nicam, significans nos resuscitatos, (quemadmodum vocatos altera,) intimat eos qui stant a dextris, solos videlicet bonos, quorum certus & definitus numerus habetur, nempe 153. In prima igitur piscatione, quia multi sunt vocati, pauci vero electi, non exprimitur numerus, tamquam illud ibi fiat quod prædictũ est per Prophetam: Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum: ac si diceret, multis Ecclesiam intrantibus etiam hi ad fidem specie tenus veniunt, qui a numero Regni cælestis excluduntur, quia Electorum summam sua nimirum multiplicitate transcendunt. Porro quod Electorum numerus apud Deum sit constitutus, manifestat Apostolus Paulus qui ait: Nouit Dominus qui sunt eius. Et per semetipsum Dominus ait: Ego scio quos elegerim. quos quia non imperfecte scit, sed perfecte nouit, proculdubio & numerum in quo eliguntur, agnoscit, de quibus per Paulum dicitur: Quos enim præsciuit et prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Et in Psalmo 146. scriptum est quia Deus numerat multitudinem astrorum, & illa omnia nominatim compellat. Quem locum dulicidans Aug. Manifestum, inquit, est fratres aliquid velle Deum intelligere nos in eo quod ait: Qui numerat multitudinem stellarum. sunt stellæ quædam lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram omnes de quibus dicit Apostolus: In quibus apparetis tamquam luminaria in Mundo. In ista, inquit, natione tortuosa & peruersa, inquibus apparetis tamquam luminaria in Mũdo verbum vitæ habentes, illas stellas numerat Deus: omnes secum regnaturos, omnes aggregandos corpori vnigeniti sui numeratos habet, & numerat eos. Item Psal. 138. de Electis, dicit Dominus: Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur. vbi licet multiplicari dicantur super arenam, id tamen est sub certo numero Deo cognito, cum dicitur eos dinumerandos. Itaq; illi in numero habentur apud Deum, quorum est veluti præsens memoria apud ipsum, vt illis benefaciat. Huius rei euidens indicium continet liber Nomerorũ, in quo cap. 1. refertur quod ex præcepto Domini, neq; mulieres deducãtur ad numerum,

Matth. 22.

Psal. 39.

2. Tim. 2
Iohann. 13.

Rom. 8.

Phil. 2.

merum, feminæ sine dubio infirmitatis obstaculo; neq; seruorū quisquam, vt puta vita moribusq; degeneres; nec Aegyptiorū quidem vllus, ex his qui erant admixti, numeratur, profecto vt alienigenę & barbari, sed soli numerātur Israelitæ. Et isti non omnes, sed a Viginti annis et supra; nec sola ætatis habetur obseruatio, sed queritur si et aptum bellis robur ostendat. Designatur.n. per verbū Dei, vt numeretur omnisqui procedit in virtute. Sed quid videtur? possunt hæc vacua esse mysterijs? Atqui hoc solum procurasse creditur Spiritus sanctus qui hæc scribēda dictauit, vt sciremus qui diuinis numeris digni fuerint; quiq; sine numero manserint. Et quis dabitur ex hoc profectus his qui sacris libris cupiunt erudiri? Quid.n. prodest ista didicisse, aut quid animę confertur ad salutem? Si vero sequentes Pauli sententiam, legem spiritalem esse credamus, & spiritaliter, quæ continet, audiamus, ingens profectus animę apparebit. Non .n. numeratur populus in Aegypto, sed postquam transierit mare rubrum, post columnam ignis, in mansione iuxta montem Syna. quia manentes in tenebris peccatorum non sunt Dei, sed emundati Baptismo, & armati manus impositione. Nec inter eos qui erant proseliti & alienigenę, nec ex Israelitis pueri, vel feminę, sed duntaxat viri qui bello apti, diuinis numeris digni habiti sunt. Qui enim transcenderit puerilis ætatis insipientiam, vir factus deposuerit quæ sunt paruuli, & factus fuerit iuuenis, qui vincat malignum, aptus videbitur his qui procedunt in virtute Israel, & diuinis numeris dignus. Cui autem inest puerilis et lubricus sensus, uel feminea, et resoluta segnities, vel Aegyptij, vel Barbari mores, apud Deum in sancto numero non habetur? Quare vbi in Hebræo de peccatoribus scriptum est, dicente Domino: Numerabo vos in gladio. Septuaginta interpretum tralatio habet: Ego tradam vos in gladio, omnes interfecti corruetis. & ita legit D. Hieronymus. Vis maiora mysteria? Pascha Domini, hoc est, agnum ita patres epulari iubentur, vt secundum numerum animarum epulentur suarum, neque plures, neque pauciores. Plures sunt, inquit D. Ambrosius,

Esa. 65.

Exho. 12

sius, quando aliqui extra numerum sunt, Sancti numerati sunt omnes, cognouit Dominus qui sunt ipsius. Porro quid aliud est numerare, quam eligere? Vnde Abraham numerasse dicitur seruos suos vernaculos. Quare quod in Euangelio dicit Dominus: Capilli vestri numerati sunt. non solum ad scientiam Dei refertur, sed etiam ad gratiam Iustorum. Idem Sermone 26. Quomodo potest obliuisci nostri Deus, qui etiam capillos capitis nostri apud se dicit esse numeratos? Si enim capillorum nostrorum meminit, multo magis nostrarum animarum meminit. per numerum enim curam circa nos solicitudinemque cognoscimus. Nemo enim numerat nisi quod vult diligentius custodire. nemo numerat nisi quod veretur ne fraudem absque numero patiatur. Pastor, vt saluum gregem habeat, eum frequenter annumerat. Hinc illud Theocriti.

Gen. 14. Luc. 12. Matt. 10. Matt. 18.

Idyll. 8.

De grege non ausim quicquam deponere tecum;
Nam mihi difficilis pater est, & prouida mater;
Solis ad occasum numero pecus omne recensent.

Et Dominus, qui est bonus pastor, cum vna ouicula de centum ouibus aberrasset, recurrens ad numerum, proprijs eam ad gregem humeris reportauit, vsque adeo habetur sub tutela, qui habetur in numero, vt errans proprijs apportetur humeris, ne quid de numero minuatur.

FINIS.

Plato Epistola secunda, quæ est ad Dionem.

CAue ne excidant hæc vnquam in aures hominum disciplinæ, eruditionisque expertium. Nulla sunt enim, vt mea fert opinio, quæ dicta ad populum, magis ridicula videantur, neque, quæ apud doctos prolata, magis mirabilia & diuina.

Anaxarchus lib. de regno, ex Clemente Alexan. strom. 1.

MVlta ac varia doctrina, multum quidem iuuat, multum autem lædit eum qui eam possidet. Iuuat quidem eum qui dignus est, lædit autem eum qui quiduis dicit vel in vniuerso populo. Oportet autem scire mensuram temporis, hic est autem finis sapientiæ. Quicunque vero canunt pro foribus, etiam si quid doctum cecinerint, non reputati sapientes, opinionem subeunt stultitiæ.

SALVSTII BVCELLENI IN ZOILOS HENDECASYLLABON.

DOctos inuidia viros carere
O quam difficile est, fuitque, eritq;.
Bungus doctiloquum, lepore, sale,
Doctrina, sophia librum repletum
Quamuis ediderit, suo lepore
Illa non potuit carere peste.
Non hunc Doctiloqui viri reprendunt,
Quod doctrinam animo libri penetrent;
Sed qui Grammaticas scholas frequentant,
Hoc opus nitidis carere verbis
Dicunt, iudicio carentque docto.
Quis potest sophicos modos referre,
Vtatur sophicis nisi ille verbis?
Alter, hic aliquid deest: Acutum
Magni iudicium viri, atque rarum,
Plura includere non videt sub vno
Bungum, sed temere locum esse mancum
Retur. Bunge tamen leues loquelas
Sperne: Doctiloqui Sophi & Poetæ
Summo iudicio probant libellum.
Quid cum Grammaticis decus Sophorum?

PETRI BONGI
BERGOMATIS
Appendix
AD EA QVAE DE NVMERORVM MYSTERIIS EGIT.



Cum Superiorum approbatione.

BERGOMI, Typis Comini Venturæ, eiusdem vrbis Typographi.

CIƆ XCIX.

LVDOVICVS BRIGIENTIVS THEOLOGVS.

ADditiones ad opus de Numerorum myſterijs, quas idem operis grauiſſimus auctor docte, & erudite conſcripſit ad Noui Indicis Regulas, pro mandato mihi munere examinaui. Auguſtiores plane ſunt, quam vt cuiuſquam pati cenſuram poſſint: & cum primis dignæ, quæ mandatæ typis in lucem veniant, expetentium, & expectantium doctorum hominum honeſtiſſimam cupiditatem vt expleant.

Appendicem hanc ad opus de Mysticis Numerorum significationibus, quæ ab ipsomet operis præstantissimo ac doctissimo auctore summa pietate & mira eruditione est elaborata, iuxta Noui Indicis Regulas adamussim uidi, nihilque in ea Fidei Catholicæ, Orthodoxorum Patrum doctrinis: neque Principibus, aut hominum moribus contrarium inueni: & vt quamprimum formis excudatur, ad totius Christianæ Religionis utilitatem, dignum censui.

Fr. Iulius Tertius Minorit. Doctor Theologus.

Io. Baptista Eps Bergomi. }
Fr. Pius a Lugo Inquisitor. } Imprimatur.

Ill. atq; admodum R.DO SONCINATI Archipresbytero PAVLO MVSCONIO.

Cominus Ventura typographus.

§§§§§§

ERuditis erudita debentur. Te vero inter eos, quos miræ eruditionis nomine fama commendat, eminere, antea quidem facilè credebãt homines, familiarium tuorum testificatione commoti; nũc id Mariados insigni à te, sanctiore dictante Musa, edito opusculo clarè sic intelligunt, vt tibi de ista præstantis ingenij facultate, ac poeseos excellentia, & sęculo nostro de te ipso tanto viro summopere gratulentur. Ergo tibi, si cui vnquam, eruditissimę Petri Bongi ad opus de mysterijs numero-

rum

rum nunc datę prelo Additiones dicandæ. Cum enim illæ reconditæ, & politioris doctrinæ nullum propè non genus attingant, tacita quadam voce expetere te in primis, tui ipsius & communiri pręsidio, & condecorari velle nomine videbantur. Tu adeuntes ad te tuique similium consuetudine planè dignas non solùm humaniter excipies, verum etiam officiosè fouebis. Sed ijs noueris illud esse mandatum, mihi, vt abs te tui partē aliquid impetrent amoris. Quod tu ijs non molestè certè flagitantibus, sed modestè rogantibus facilè, ut spero, dabis & merito earum, & officio etiam tuo, nimirum ut mihi uel obseruanti amoris debitum persoluas, vel optanti munus largiare humanitatis. Vale. Datum Bergomi viij. Kal. Octobris. Anno salutis per Christum restitutæ. 1559.

IOSEPHI BANNOCII.

PRO BONGI OPERE AVCTO.

Miraris numeris numeros adiungere BONGVM,
Et bona præteritis addere magna bonis?
Ne mirare, sed e BONGI *cognomine caussam*
Cerne rei, Bona gens gignere nata bona est.

Eiusdem Auctoris.

*P*Erpetuo natura BONI diffunditur alueo,
Expers vt penitus nulla sit ora BONI.
Antiquo nutritus patriæ cognomine GENTIS
Omnibus ecce BONVM BONGIVS auget opus.
Ne BONA GENS frustra nostros durarit ad annos,
Quæ bona suppeditat, tu bone Lector ama.

PETRI BVNGI
AD EA QVAE DE NVMERORVM MYSTERIIS EGIT Appendix.

A. addendum. L. legendum.

PRÆFATIO.

MIHI vitio verti non debet, si quæ ex lectione varia mutuabor, ipse sæpe verbis, quibus ab ipsis autoribus enuntiata sunt, explicabo; quia Pythagoricorum, nostræque religionis mysteria non orationis lenocinio, et exquisito elegantiæ fuco sunt obscuranda, sed suis verbis, suisque proprietatibus explicanda. **pagina 1. vers.** 16. perierit. A. Hoc ipsum aliquando testatus est Anaxagoras. nam sciscitanti quamobrem homo ceteras animantes præcelleret doctrina & ingenio? Quoniam, dixit, manus habet. (reliqua enim animantia, quæ manum habere videntur, non habent, sed quippiam simile, cum in his non sint musculi manus, velut in homine) sunt autem manus digiti arithmeticæ disciplinæ in sacris Aegyptiorum litteris imagines & nuncij. sicut enim manus duæ, quæ ex digitis decem componuntur, qui summus est numerus, vim habent agendi; ita sane numerus instrumentum est vniuersa intelligendi. quod multò clarius expressit Propheta Regius, qui cum Diuinæ iustitiæ immensitatem, & salutem in se collatam celebrare pollicitus esset, intellexissetque eam promissionem humanas vires longe superare, in hæc verba erupit, interprete Symmacho: Quoniam non scio numerare. tales enim disciplinas mea natura mi-

Theodoretus in psal. 70.

nime didicit, ingrediar tamen in potentia Domini, & prout humana natura poterit, laudibus te prosequar. Cum igitur numerare sit opus rationis, hinc est quod Samius ille. &c.

DE VNITATE.

pag. 14.4. *L. Vnitas numerorũ omniũ principiũ est, vtpote a qua omnis fluit numerus, eaque omnium finis, vt in quam numerus resoluatur omnis, nec ab aliquo suam trahit originem, aut in aliquem secatur numerum (adeo sine numeris esse potest; numeri autem sine illa tantum abest, vt sint, quòd illis sit vel quam maxime intima:) ita melior natura Deus omnium rerum initium, & finis est, vt non ab re dicatur Alpha, & Omèga, omnia aperiens, & claudens omnia; ante quem, & post quem, nihil. & tantum abest, vt a creaturis suam sumserit originem, vt qui illas æterno præcesserit interuallo, sine illis exsistens: creaturæ contra non sine ipso. Et quemadmodum Vnitati id nihil confert ad eius perfectionem, quòd principium sit numeri (nam etiam si numeri principium non esset, perfecta tamen esset, & cum principium eius facta sit, non aucta tamen est:) sic Deus quoque ante creationem perfectus erat, nec post creatam naturam vlla in eo accessio consecuta est; quoniam Dei perfectio in eo est, quòd sit idem, nec quidquam eorum, quæ per creatam naturam sunt, Deum adauget. Tu enim (inquit Psalmographus) idem ipse es: sed ratione quam habet ad creatam naturam, multis vtique modis. Nam & vt Pater, & Dominus, & Iudex, & Pastor, & his similibus ad creatam naturam refertur. Præterea sicut ab Vnitate &c.* **pag.** 32.11. **in marg.** *A. Plutar. de garrulitate.* **pag.** 41. 8. *seruiamus. A. Creaturæ quippe rationali alia beatitudo esse non potest, nisi, vt agnoscens a quo non solum facta, sed etiã a quo rationalis est facta, maiorem dilectionem exhibeat bono Creatori, quàm sibi. Neque enim illi inesse posset ullatenus ratio, nisi ei posset Creatoris inesse dilectio. quia nec est alia, quæ vera sit sapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio Creatoris, in qua tanto magis minusue est dilectio sui, quanto magis minusue dilectionem suo exhibet Creatori.* **pag.** 42.11. *L. Imperatoris, hoc est Dei, ex hac vita, tamquam statione, & præsidio decessissent. Vnde declamantibus celebrata lex: Qui sibi manum admouerit, insepultus esto. Dignissimum.* 20. *est. A. Clemens: Qui inimicos diligere iubet, non malum vult diligi, neque impietatem, aut adulterium, aut furtum, sed furem, & adulterum ipsum, non quatenus peccat, & opere suo polluit hominis appellationẽ, sed quatenus homo est, ac factura Dei.* **pag.** 52.7. **in marg.** *L. de falsa relig. cap. 3. & de ira Dei. cap. 11.* **pag.** 61. 1. *veniunt. A. & de legitimo matrimonio procreatus dicit in eodem Psal. In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit. non dicens, In iniquitate, vel peccato, cum & hoc recte dici potuisset.* 14. *tuam. A. In Apoc. cap. 11. Iacebunt in plateis ciuitatis magnæ. idest, in vna platearum. Matthæus.*

Apoc. 21

Iust. Martyr q. 113

Psal. 101

B. Fulgẽ. ad Monimũ lib. 1.

Frã. Rib. in Apoc.

DE BINARIO.

pag.63.15.*reprobũ. A. Abel enim primos ouiũ fœtus Deo offerebat, se Dei, quàm sui amantiorem esse declarans, caque de caussa voluntas eius probata fuit. Cain autem per impietatem primitias sibi vendicabat, Secundas fruges offerens Deo, quare & repudiatus. ait enim Scriptura: Factum est post multos dies, vt Cain de terræ fructibus Deo offerret. Itaque Cain eo nomine reprehenditur, quòd non primitias, sed Secundas fruges, post dies aliquot natas, obtulisset Deo.*28.*descinerunt. A. Hæc discordiæ labes etiam in filijs Iahacob exarsit, dum aduersum vnum Ioseph (nempe & a Deo, & a patre plus omnibus dilectum) ceterorum fratrum odia concitauit. Deinde in Zaram, & Phares, filijs Iudæ, nonnihil vigoris ostendit. Rursum in Saule, & in Dauid latissimas discordiæ vires effudit. Postremò in nationibus gentium, & in populo Hebræorum manifestam vitæ dissimilitudinẽ exercuit.* pag.65.28.*deputantes. A. Et quam quam id ipsum ex singulorum Psalmorum virtutibus intelligi vel facile possit, tamen absolutissimè in gestorum & temporum historia docemur, Psalmorum scilicet collationes secundum perfectorum numerorum esse efficientiam ordinatas. Psalmus.n. primus titulo* pag.67.18.*Domini. A. regno in Duos diuiso.* pag.72.12.in marg.*A. Iustinus Philosophus ideq; Martyr oratione ad Antoninũ Pium.* pag.73.9.*afferret. A. Nõ prætereundũ, Castorẽ & Pollucẽ bis hostes Imperij Romani profligasse bello Latino, & bello Macedonico. dicet quispiam superstitiosos Gentiles id persuasisse. at verò quis ambigat vera esse, quæ a Christianis historicis tradita sunt de Licinio, & Athila? Dum.n.M. Iulius Licinius Christianis infensus, ad Hadrianopolim pugnaret, fertur Cõstantinus vidisse Duos equites cædentes legiones hostium, & in agro Byzantino vidisse lumen satis coruscans supra castra. Cum verò Athila metus Orbis, & flagellum Dei ex antiquis titulorum inscriptionibus nominatus, in Italiam excurreret, prædaretur, atq; Vrbi pararet excidium, Leo Pont. Max. ei occurrit, ac ne vlterius progrederetur, rogauit, monuitq; vt Alarici exemplo moueretur, qui statim direpta, & cremata Roma occubuisset. Athila in Pontificis supplicationem inclinauit, rediens in Pannoniam. sciscitantibus autem Hunnis, cur nam ita facilè Leonis postulatis annuisset, respondit se Duos viros illi astantes vidisse, qui ferro euaginato mortem minabantur, ni quæsita compleuisset.* 17.in marg.*A. Mor. lib. ix. cap. xxxij.*20. in mar. *A. Act. xij.*22.*ostendebant. A. Pilatus quoque qui in Saluatorem iniqui iudicis functus est officio, eo deuenit miseriarum, vt tandẽ exsul propria se manu transuerberans, nephariã vitam vi abiecisse referatur. Quid de Maximino Romanorum Imperatore? qui persecutione crudeli & inhumana contra Christianos per omnes prouincias excitata, in qua plurimi celebres viri martyriũ obierunt, Duplici pœna dignus, in morbũ atrocissimũ incidit. vehementes dolores oẽm illius carnem vexabant, intestina eius ex acerrima inflammatione interna corrumpebantur, caro tota*

Gen. 4.

Põp. Lęt. cõp. Ro. hist.

Iac. Phil. Sup. chr. lib. 9. P. Iouius elog. lib. 1. d Athila.

Baptista Plat. in vita Leo. 1.

Alphons. Villeg. in Flor. Sanctorum.

ceræ instar liquescebat, quo incendio aucto, ipsa ēt ossa tosta sunt, vt & humanæ formæ character deleretur, exiguoq; spiritu præditus, cum gemitu obiret. Hos & similes Deus ab hoc temporali cruciatu in barathrū æterni supplicij detur-

Act. 12. 21.

bauit. pag. 74. 28. decimoquinto. A. Duo milites custodiunt in carcere D. Petrum vinctum cathenis Duabus. Apostolum quoque Paulum iußit Tribunus ligari Duabus cathenis pag. 75. 7 Hester. x. A. Duo Magi Iānes, & Mambres,

2. Tim. 3.

qui corā Pharaone diuinū numen, quo Moyses vtebatur, prodigiorum magnitudine ausi sunt lacessere. Exho. cap. vij. 10. Reg. iiij. A. In medio Duorum Latronū cruci affixus Christus Luc. c. xxiij. pag. 78. 3. extēdit. A. Sareptēsis Sy-

3. Reg. 17

doniorum vidua, quæ typum habebat Ecclesiæ gentium: vti filius eius Ionas populi Christiani, & Helias Christi, veniente Helia exijt colligere Duo ligna, quia Ecclesia in eum, qui in Duobus lignis pependit, creditura erat. dixit Vidua illa: Colligo Duo ligna, vt cibū coquam mihi, & filio meo, & manducabimus, & moriemur. nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur. filius viduæ defunctus iacebat, quia & filius Ecclesiæ, idest, populus gentium multis peccatis, & criminibus mortuus est. orante Helia, filius Viduæ suscitatur: veniente Christo filius Ecclesiæ populus Christianus de

Iudic. 16

carcere mortis educitur. Samson quoque, qui multa operatus est in persona Christi, expressas manus ad Duas columnas, quasi ad Duo ligna Crucis exten-

Aug. de Temp. ser. 107.

dit, & aduersarios suos interemtos oppreßit; & illius paßio persequentium facta est interfectio; & plures mortuus occidit, quàm viuus occiderat. nonne hoc mysterium in Domino IESV impletum est? qui mortuus redemtionem nostram consummauit, quam viuens minime celebrauerat. Tollit portas ciuitatis, idest Inferni, & mortis imperium remouet. ablatis portis mortis, in cacumen montis ascendit, resurgens. s. & in cœlum ascendens. idem in typo Samson Gazæ fecit. 24. L. repleti se contemplationi dare nequaquā possunt. Corpus. n. pinguefactum, iter ad mentē impedit, animam (vt ita dicam) corporeā reddit, & ad id, quod diuersum est, deflectit 28. soli. A. Hic illud annotare non inutile fuerit, cum quinque sint sensus exteriores, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus, per quos voluptas animo, aut corpori quæri videtur, ex his omnibus, quæ immodica voluptas capitur, ea sane turpis, atque improba existimatur; sed enim quæ nimia ex gustu, atque tactu est, ea rerum omnium fœdissima iudicatur. ceteræ enim, quæ ex tribus alijs sensibus proficiscuntur voluptates, hominum dumtaxat propriæ sunt: at istæ Duæ, gustus, & tactus, hoc est, libidines in cibos, atque in Venerem prodigæ, solæ sunt cum bestijs communes. eosque qui Duabus istis beluinis voluptatibus se dediderūt, grauißimi vitij vocabulis libidinosi & incontinentes appellātur, ac in pecudū, atque ferorum animalium numero habentur. pag. 80. 19. adorari. A. Homerus, quem nulla præterijt doctrina Iliados N. huiusmodi versiculo notat hōis inconstantis ingeniū.

Verum claudicat, inque pedes utrosq; uacillat.

Accedit Mathematicorum astipulatio, apud quos Bicipitium est inconstantiæ hiero-

hieroglyphicum. nam tertio supra vigesimum Leonis gradu Bicipitis hominis simulacrum oriri confinxere, quòd eo ascendente gradu natum, inconstantis ac leuiter mutabilis voluntatis atq; sententiæ fore præsagiãt. pag. 82.13. *faciunt.* *A. Augures quoque si impari numero ex cœlo intonuisset, prosperos euentus, & summam felicitatem nunciari putabant. si autem ab Occasu tonitrua increpitassent, aut per Septentrionem in Occasum transcurrissent, aut multiplicati ictus pari desissent numero, diros euentus, & calamitates portendebant. sic Marco Crasso castra, quæ trans Euphratem metatus fuerat, Bis icta fulmine cladem, quam paullo post perpessus est, designauere. Refert Iohan: Rosinus lib. Roman. Antiquit. In volatu etiam auium numeri ratio obseruata. Binarius.n. ingruentem calamitatem, aut fatale exitium afferre præmonet & vaticinatur. Considerabant siquidem Augures quot inuicem volassent, hoc modo Grues, quando Binæ simul conuolassent, mala minitari dicebant, rationem de numeris hic transferendo. Quare Bubo Bis conspectus, publicis auspicijs dirum fuit mortalibus omen. quod & Agrippæ exitus comprobauit, qui Tiberio imperante, cum iuxta palatium in vinculis ad arborem teneretur, insigni amictus veste, vt eius fortuna ferebat, Germanus augur qui in vinculis etiam tenebatur, cum supra Agrippæ caput in arbore, cui alligatus erat, Bubonem vidisset, ad colloquium eius admissus, affirmauit illum præsentem vinculorum iniuriam euasurum, & Iudæorum regno feliciter potiturum, item liberos quibus regnũ relinqueret procreaturũ; sed si in posterum capiti suo iterum eiusmodi auem impendere vidisset, sciret morti se propinquum fore. quæ paullo post omnia, vt Augur prædixerat, euenerũt, vt refert Baptista Fulgosus Memorabilium lib. 8. c. 11. transcripsit autem ex Iosephi Antiquitatum Iudaicarum lib. 18. c. 13. & rursus eiusdem operis lib. 19. c. 7. Bubo Bis auditus anno scilicet Vrbis conditæ 619. & sequenti, exercitus Romani oppreßionem ad Numantiam portendisse creditus est. Laocoon Neptuni sacerdos, & eius filij a Duobus serpẽtibus sunt deuorati, siue quòd sacrificijs Græcorum ad Troiam aduentum non prohibuerit, siue quod sacrum cuspide robur læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam. sic.n. Virgilius Aen. lib. 2.*

> Ecce autem Gemini serpentes agmine certo
> Laocoonta petunt: & primùm parua duorum
> Corpora natorum serpens amplexus vterq;
> Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
> Post ipsum, auxilio subeuntem, ac tela ferentem
> Corripiunt, spinisq; ligant ingentibus: & iam
> Bis medium amplexi, Bis collo squammea circum
> Terga dati, superant capite & ceruicibus altis.

pag. 83.9. *dies. A. Iuliæ Kalendæ Venetis, ob receptam Ligustico bello Clodiam auspicijs Andreæ Contareni ducis iam octogenarij, sacræ habentur, vt refert Egnatius* 10. in marg. *A. lib. xxvi. 27. Cæsar A. Optimatũ conspiratione in*

Lib. 5. c. 8 & lib. 8. c. 16.

Se-

Senatu. pag.85.15.*A.* in marg. *Afranius Fratrijs.* 21.*dixerunt*. *A.Quinquatria apud Romanos quinque diebus post Idus Palladi fiebant. Nam dies post Idus ater erat, inde quinquatria, quasi quinque ab atra die.* pag. 88. 12.*importarit*. *A. Hæc autem non eo consilio obseruata sunt, quasi inde auspicium a nobis captandum sit rei præclaræ, vel infeliciter gerendæ, vt inde sciamus quid aggredi, quid detrectare debeamus, quam obseruationem Paulus ad Gal. protestatur non sine graui crimine exerceri; sed ideo has obseruationes commemorauimus, vt ex rerum euentis appareat numerorum, & temporum conditio atq; differentia. Ad reliqua.* 30. *L Atqui ista sunt Duo celeberrima Siculi maris pericula Scylla & Charybdis, quorum vno naues tractæ absorbentur, altero illisæ franguntur. Idem poeta sequutus Homerum, vtrumq; scopulum describit his carminibus.* pag. 91.4. *distinxit. A.Cicero: Sicut vna (inquit) eademq; natura Mundus omnibus partibus inter se congruẽtibus cohæret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi, prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub vnam candemq; tutelam. Quod si teneretur, deorum profecto vitam homines viuerent.* 5. in marg. *A. Plin. Lib. XVIII. cap. XXIIX.* pag. 94. 14. *vult. A. Quæ tamen Apostoli verba sic intelligi volumus, quod habuerit vnam tantum vxorem; non autem quod habeat, vt inepte intelligunt, qui cœlibatum sacerdotum ab Ecclesia excludere volunt. De coniugio sacerdotali hæc habet Epiphanius contra Catharos: Non recipit sancta Dei prædicatio, post Christi in terris conuersationem, eos qui a primo matrimonio cõiuge eorum defuncta, Secundis copulantur nuptijs, propter eminentem sacerdotij dignitatem; atque hoc ipsum firmiter & accurate sancta Dei ecclesia seruat.*

cap. 4.

Vlyss. 12.

DE NVM. III.

pag.96.8.*apparet. A. Experimento quidem nouerunt Pythagorici imparem ad agendum aptiorem (vt masculinum sexũ decet esse) pari numero. ideo par femina vt materia, impar masculus vt forma sese in rebus exhibent; Hinc catapotia, quæ vulgus, ob formam paruarum pilarum, pilulas nuncupat, numero impari exhibita, paribus efficatius operantur, & ponderis & materiæ æqualitate seruata. nam ex eadem mixtura octo aut septem præbeas magni refert. numerus hoc, & non pondus materiæ præstat, quandoquidem in vtroq; æqualitas posita. Virgilius cum summum conatum, vltra quem transire non liceat, intendit exprimere, primo impari peractum narrat, vt in his versibus.* Georg. 1.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atq; Ossæ frondosum inuoluere Olympum.
Ter pater exstructos disiecit fulmine montes.

& Aen. 8.

Ter totum feruidus ira

De potẽtia imparis Numeri M. Varro de re rusti. lib. 3. c. 9. Colum. lib. 8. c. 5. Palladius lib. 3. tit. 25. Plin. nat. hist. lib. 30. c. 6. Galeotus Martius c. 23. de doct. prom. Iaco. Mazonius Cęsen. con. 1390. 1391. Henr. Farn. Simulac. reip. lib. 4. Raph. Volater. com. vrb. l. 32. de conuiuiis. Aug. Niph. diluc. Met. disp. lib. 14.

Lustrabat Auentini montem, Ter saxea tentat
Limina nequicquam, Ter fessus valle resedit.

item.

Ter conatus vtramq; viam: Ter maxima Iuno
Continuit. Aen.10.

rursus. Aen. 5.

Ter sese attollens, cubitoq; innixa leuauit,
Ter reuoluta thoro est.

& alibi. Aen. 2. & 6.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

sequutus Homerum Vlyss. lib. xi.

Ter quidem irrui, capereq; me animus iussit,
Ter autem mihi ex manibus vmbrę similis & somno
Euolauit.

In quo quidem numero vis est; cum numero pari insit debilitas, & malum omen, vt

Quater ipso in limine portæ
Substitit, atq; vtero sonitum Quater arma dedere. Aen. 2.

17. *principium. A. Non solum autem Ternarius est primus imparium numerorum, sed & primus perfectus; non eorum quidem perfectorum, quorum primus est senarius, qui suis partibus restituuntur, sed perfectorum, idest totorum & consumatorum, quos plenarios, vniuersos, integrosq; nuncupare solent Arithmetici. Vnitas enim est vt medietas simpla, sine extremitate; dualitas verò extremitas est diuisibilis, sine medij vnitate. Porro Ternarius mirabili complexu, vtramq; se priorem apprehendit, ac circumuallat vnitatem dualitate, & dualitas cornua iungit nectitq; vnitate. Indiuisibilis vnitas simplices rerum actus ac formas exprimit: rerum verò potentiæ a dualitate bifulca designantur; at tota & perfecta entia, Trina aliquo pacto sunt, & in ipso Ternario congrue exprimuntur, vtpote quæ actuum vnitate, & potentiarum dualitate constantur. Est itaq; Ternarius primus totorum, perfectorum, & consumatorum entium numerus. Adhuc etiam primo Ternario.* pag.97. 22. *iubet. A. de sacrificijs, quæ fiebant Deo Termino, hæc canit Ouid. Fastorum lib. 2.*

Inde vbi Ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parua fauos.

31. *deputatur. A. Deus enim quoniam est mens simplicissima, & in se ipso perfecta, dotibus animi potißimum delectatur. Nam quæ corporis sunt, cõposita vtiq; sunt, ac propagatione in immensum multiplicantur; cum animus sit simplex, immortalis, & se ipso contentus, Quamobrem Homerus.*

pag.

pag.98.5.*Troianos.A.& de nouem,quos habebat canibus,duos rogo inijcit, vt sibi septem seruaret.*

Iliad.23.

quattuor procera ceruice equos
Festinanter iniecit pyræ grauiter suspirans.
Nouem huic regi conuiuæ canes erant,
Atque pyræ geminos iugulatos tradidit horum:
Magnanimum Troum bis senaq; pignora ferro
Occidit.

Huius disciplinæ,&c. 9.constituit.A. Et lib.10.

Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.

13.*sacro.A.At verò in sexto imparem numerum Dijs gratum designans, inducit Sibyllam, quæ septenario sacrificio Phœbum placatum iri monet, talibus affata Aeneam.*

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

pag.99.4. *Limpares, nam fieri quidam aiunt, vt recto in templum pede ingrediamur, quod ad religionem facere arbitrantur. In his etiam animaduertimus bonos Architectos obseruasse, vt gradus nunquam ferme plures vnum in ordinem continuos, quàm aut quinq;, aut septem, aut nouem adigerent, atq; ad huiusmodi seu quinos, seu septenos, seu nouenos quosq; gradus consultissime areolam subtexuisse, quo fessi & imbecilles ad conscendendi laborem intermissas haberent quietes, vt si quis casus incidisset, vt scandentes ruerent, haberet illi quidem spacia, vbi corruendi impetum sisterent.* pag. 100. 16. *narratur. A. quam hominum multa millia trahere nequiuerant.* pag.103.4. *perhibetur. A.Mos.n.antiquorum fuit, vt per Triduum vita functos ante lugerent, quàm iusta persoluerent, sicuti testatum reliquit Apollonius lib.2.Arg.in his.*

At circum steterant curantes funera tristes,
Assiduos luxere dies Tres, lumine quarto
Magnifice exsequias struxerunt.

Illud quoq; Pontificalibus libris sepulturæ genus tradebatur, vt, si manu plena non obrueretur cadauer, iniecto Ter puluere pro sepultura haberetur. Horat. lib.1.Carm.

Quamquàm festinas, non est mora longa, licebit
Iniecto Ter puluere curras.

Clemẽs Alexan. Strom.5.

*Etiã fato etc.*pag.104.13.*A. Abrahã cũ venisset in locũ, quẽ dixit ei Deus, vt faceret ex Isaac sacrificiũ, Tertio die suspiciens, videt locũ eminus. Gen.c.22. Nam primus quidem dies est, qui fit per aspectum rerum pulchrarum & honestarum; secundus est optimæ animæ desiderium; tertio verò mens perspicit spiritalia, apertis oculis a Magistro, qui die Tertio resurrexit. Fuerint autem tres*

quoq; dies mysterium signaculi, per quod, is qui verè est Deus, creditur. eminus ergo consequenter videt locum. est enim Dei regio captu difficilis, quam Plato idearum regionem appellauit. pag. 105.5. L.lib.vij. Iohannem abbatē in superioris Thebaidis eremo sub quadam cauæ rupis fornice annos Tres perseuerasse in oratione refert Marulus. Sisinius quoq; Elpidij abbatis discipulus, in quodam satis grandi lapideo monumento se occludens, per Triennium semper rectus orasse dicitur, neq; interim aut sedisse, aut iacuisse, aut inde pedē extulisse. Isaac Syrus, tunc quidem monachus, deinde etiam abbas, postquā Spoletum Picenti oppidum appulisset, presbyteros rogauit, vt ibidem orandi quādiu vellet, copiam sibi concederent, nec sinerent interim oranti quenquā impedimento esse. ea re impetrata, dies Tres continuos, & totidem noctes genibus innixus orauit. Sara Raguelis filia in superiori cubiculo se recludens, Tres dies in oratione perseuerauit. Tob. cap. iij. Tobias filius cum vxore sua, priusquā copulæ coniugali operam darent, Tres noctes in cubiculo simul orando consumserunt. Tob. viij. Vir desideriorum Daniel Ter in die statutis horis genua sua flexisse, & adorasse Deum dicitur. Dan. vi. Ionas propheta de ventre ceti ad Deum clamauit, & die Tertia Domini iussu, a pisce in aridam ad Euxinum mare vomitu effusus est. Ion. ij. Helias typus Christi, Ter inclinatur in oratione, & viuificatur Sareptanæ viduæ filius: Et Christus procumbit in passione, & suscitatur populus Christianus. Viduæ .n. filium, populū gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater & Filius sine Spiritu sancto, sed tota Trinitas suscitauit. Ter idem Propheta infudit. 11. L. Ionatham i. Reg. xx. cum ab Angelo Domini Samuel bis vocatus fuisset, Tertiam vocationem exspectandam duxit Sacerdos Heli, vt vocem diuinam esse cognosceret. dualem numerum pessimi spiritus esse suspicatus, vti Dei Ternarium. quamobrem Ter excitatus legitur Samuel capite tertio primi Regum. Terque a Deo. 14. præbuit. A. Budæ Pannoniæ vrbe duo aleatores ita conuenerant, vt alter in Dei nomine, alter in nomine diaboli luderet. Qui Deum nequitiæ fautorem faciebat, pecunias omnes, ipsas quoque vestes amisit: intempesta nocte desperabundus domum rediens, per cœmeteriū iter facit, ibi Saluatoris Crucifixi imaginem conspicatus, ira & furore plenus, saxum arreptum violenter fronti illisit (mirabile dictu) saxum in vulnere hæsit, & copiosus sanguis profluxit. cœmeterio vicinus habitabat Lanius senex podagricus, is per quietem vocem incertam audit, surgeret, & cultro proximum quemuis sibi obuiam factum confoderet. quam vocem Ter iteratam multis cū minis instantem, audiens, parere decreuit. itaq; cum prius ne mouere quidem sese lecto posset, impigrè surgens, laniario cultro arrepto, in cœmeterium descendens, aleatorem infelicem furibundum sibi obuiam factum, cultro confixit. hoc patrato facinore, iudicis ædes accedens, aditum & colloquium postulat. Iudex non credit, sed phantasma dæmonis arbitratur. tandem admissus, somnium & cædem indicat. cum iam illuxisset, ad cœmeterium conueniunt, cadauer circūstant, interim dæmones cum terribili vlulatu, in sublime raptum cadauer, ex ho-

Lib. 2. c. 1

Sabellicus lib. 2. cap. 4.

3. Reg. 17

Aug. de Temp. serm. 208

minum conspectu abstulerunt. Ea res præter vulnus Crucifixo illatum, aleatoris perfidiam arguit, & Lanium a periculo liberauit. Narratio est Murci Frytschij in suis Meteoris. Tiberius Constantinus, qui Romanorum regum quinquagesimũ suscepit imperium, cum in pallatio deambularet, humiq; crucem in marmorem sculptam videret, illam velut indigne ibi positam, tolli iussit, quod cum Tertio, noua semper apparente, factũ esset, thesaurum ingentem subtus reperit, quem pauperibus distribuit. Gregorio dum adhuc Abbatis officio fungeretur, venisse quendam, atq; eleemosinam Ter poposcisse legimus, quod se naufragium fecisse diceret, atq; ab eo accepisse. non multo post pontifex designatus, cum duodecim tantum peregrinos pauperes (in illis Apostolos Domini veneraturus) inuitari præcepisset, discumbentes intuitus, præstituto numero vnum superesse animaduertit, quem facie mutari, conspexit, & modo iuuenis, modo senis speciẽ vultu preferre. quem cum Gregorius interrogasset, se non hominem, sed angelum esse respondit, cui Ter sumta naufragi forma, mendicanti ipse eleemosinam dedisset. è vestigio tenues dilapsus in auras, conspectum eius dereliquit. Hinc fortasse (neque .n. ausim affirmare) emanauit consuetudo, vt summus pontifex in Cęna Domini tredecim pauperibus, qbus pedes lauit, p eleemosina det aureos papales tredecim duplices, seu viginti sex simplices, & totidẽ numos argenteos. 16. Petrum. A. Pauli Apostoli caput a corpore dissectum, Ter per humũ prosilijt: Ter Iesu Christi nomen inuocauit: Tres fonticulos, qua saliendo terram contigit, scaturire fecit. Moyses eremita & eius monachi cum puteum aliquando foderent, & nec venam aliquã reperirent, nec amplius fodere altitudo permitteret, medio die superuenit Pior, qui oratione facta, descendit in foueam, cumq; Tertiò percussisset terram, mox emanauit aqua. Tres linguæ, quibus sacramentum volũtatis Dei, & beati regni exspectatio prædicatur, Hebrea, Grȩca, Latina. Ex quo illud Pilati fuit, vt his tribus linguis regem Iudæorum Dominum Iesu Christum esse prescriberet. Quamuis .n. multæ barbaræ gentes Dei cognitionem secundum Apostolorum prædicationem, & manentium hodie illic ecclesiarum fidem adeptę sint, tamen præcipue euangelica doctrina in Romani imperij (sub quo Hebræi, & Græci continentur) sede consistit. Ceterum quod spiritus apud Hebræos genere fœminino dicatur, apud Græcos neutro, apud nos masculino, cò respicit vt ostendatur nullum esse in Diuinitate sexum. Quod agnoscit & D. Hieronymus hæc scribens: In Tribus principalibus linguis, quibus titulus Dominicæ passionis est scriptus, Tribus generibus appellatur Spiritus, vt sciamus nullius esse generis quod diuersum est. Huc referendum quod scribit Guido Fabritius Boderianus, ex Hebraica fluxisse Tres linguas, Babylonicã siue Chaldaicam, Syram siue Hierosolymitanam, & Arabicam, quã Iudæi vocant linguam Hismael; quemadmodum ex Romana, quæ & Latina deriuatæ sunt Italica, Hispanica, Gallica. Mirabile verò quod de Hebræa lingua Sapientes docent, & refert Bellarminius initio suę grammaticę Hebręæ, nempe meritò hanc linguam dici sanctam, quòd in illa sanctissima Trinitas vbiq; tam aperte

Paul. Diaconus de gestis Lógobar. lib. 3. c. 6

Iohãnes Diaconus de vita s. Gregorij l. 1. ca. 10. & l. 2. c. 23.

Ex li. sac. ceri. Ro. eccl.

Marulus li. 6. c. 16.

Sozomenus. hist. eccl. li. 8. cap. 1.

Ioh. 19.

Hilarius prȩfat. in psalmos.

Com. in Esa. cap. 40.

aperte reluceat, vt nullum sit thema, hoc est, radix, quod Tribus litteris suis quædam diuinæ Trinitatis vestigia aspicientibus non referat, cum etiam qui vocum Hebraicarũ etymologicam energiam perceperit, plus (inquiunt) profecturus sit in vera naturalium rerum cognitione, quàm qui plurimum doctrinę Aristotelis, Theophrasti, Plinij, Dioscoridis, & huius generis aliorum memoriæ mandauerit. 27. A. Tribus .n. modis quis se corrigit a vitiis, atq; ea resecat, nempe cum cessat ab actibus eorum, sed non confitetur ea; secundo cum cessat ab actibus eorum, atque ea detestatur, ita quòd confitetur ea, sed non ex charitate, nec cum charitate, cum occultet aliquod mortale peccatum; tertio cum quis peccata, & vniuersa errata ex charitate, & deuotione detestatur, eaque confitetur, ac pro eis satisfacit. pag. 107. 1. A. Sub Heli Sacerdote bis debellati filij Israel a Philistęis, & arca Domini capta, Tertiò sub Samuele victoria potiti sunt; nec apposuerũt vltra Philistęi vt venirẽt in terminos Israel. Quin 5. solitum. A. Launoniariaco abbati Carnotensi noctu oranti, lucernã Ter a nequitiæ spiritu extinctam, & Ter ab angelo rursus accensam fuisse retulit Marulus: Potuit lætus abbas concinere cum Dauid. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas, In te eripiar a tentatione. pag. 108. 25. nominamus A. Semper autem exstitit, æternaliterq; Deus ipse fuit personis distinctus tribus, essentia verò vnus; quæ quidem personæ nec tres sunt substantiæ, nec tria accidentia; sed essentiæ diuinæ tres addimus relationes, quibus constituuntur tres personæ, quę comparatæ ad essentiam, transeũt in substantiam, substantiæq; dicuntur. comparatę inter se differunt re, nõ quidem re essentiæ vel substantiæ, sed relationis. Tres autem duntaxat dicimus esse diuinas personas, quia in essentia diuina duo principia, & duo actus esse possunt. Voluntas quippe a qua amor, Intellectus e quo sapiẽtia; at quoniam duo producta possunt esse ab vno tamquam e primo fonte, hac ratione sunt tãtum tres, vt persona prima Patris, in qua duo illa principia continentur, & a qua personæ cetera procedunt: secunda Filius, quæ a Patre procedit tantùm ratione principij, quæ est Intellectus: tertia Spiritus sanctus, quæ ab vtroque procedit, quatenus in vtroq; voluntas reperitur, estq; amor vtriusq; mutuus. Est autem Filius prima persona producta, quia intellectus est ante voluntatem, & intellectio ante amorẽ. pag. 116. 13. in marg. A cap. xij. Isidorus Etymol. lib. vij. et habetur dist. xxi. Cleros. pag. 117. 32. A. Trinitas in Cælesti hierarchia. pag. 120. 16. L. Ad quod raptus Paulus vas electũ Dei, ea vidit quæ oculis auribusq; humanis concipi nequeunt, neq; voce exprimi. quorum admiratione simul, & desiderio ducti, fide & pietate ad ea bona percipienda festinemus. pag. 121. 10. L. Plato sexto de Rep. vt solet mysterijs suis inhærescens, & prophetarum, quos adijt & audiuit, oracula depromens, Solem aspectabilem. pag. 125. 31. velit. A. Erant enim primi parentes nostri inter Gangem & Acesinem fluuios cum exciderunt a Deo propter pomi esum, quæ regio (vt in Indoscythicis refert Goropius) nobis est orientalis. Quamobrem vbi. pag. 126. 9. Hierusalem. A. Christia-

Glo. de Pęni di s. 3. Pluit. ver corrigit.

1. Rag. 4. & 7.

lib. 2. c. 3.

Psal. 17.

stianorum ritus orandi ad Orientem, adducit mihi in memoriã capitis tegumẽta elegantissima, quibus plurimum vtuntur Sacerdotes, & qui Romæ togati incedunt Iureco sulti & Medici, pilea scilicet ex consutis panni frustulis quattuor, tam ad ornatũ capitis, quàm etiam ad vmbellæ vsum facta, quattuor veluti costis ad quattuor instar Mundi cardinum assurgẽtibus diuisa, ita tamen vt, quæ ad Aquilonem respicit, sinistra costa desideat in plicam, quasi Aquilonem describat, quem

Virg. Georg. 1

Sub pedibus 'styx atra videt manesq; profundi.

Illud postremo adnotandum. Apollini, qui idem cum sole est, Tripodem datum esse. pag. 133. 22. in marg. *A. Trinitas in natura.* pag. 135. 17. *L. circũdat aliud, & quò subtilius, eò maiorem locum occupat; infirma* pag. 137. 15. *A.*

Arist. de Mũd. c. 2 Hyginus poet. ast. lib. 1. cap. vlt.

Trinitas in orbe terrarum.

Vniuersum Orbem terrarum maiores nostri tres in partes diuisere, Africam scilicet, Europam, & Asiam. quorum sententiam cum sequuti fuissent Lactantius Firmianus, & Aur. Augustinus, ille lib. iij. cap. xxiv. de Falsa sap. antipodas negans, terram planam non rotundam esse affirmauit: hic autem lib. xvj. cap. ix Ciuit. Dei, terram quidem sphæricam, sed antichthonas esse negauit, quod inferiora terrę aqua obtineret, eo potissimum innixus argumento, quod qui antipodas statuerent, immenso maris spacio nos ab illis disiungi assererent. Neq; n. nouerat Carthaginenses anno ab v. c. trecentesimo octogesimo octauo, cum eorũ regnum floreret, Oceanũ Atlanticum fuisse dimensos, terrasq; aperuisse, in quibus erant arbores pulcherrimę, & cęlum saluberrimum. quare cũ multi eò nauigarent, & capti amœnitate loci, non reuerterentur in patriam, eius ob bella, & asperitatem pertesi, pœna capitis cautum ne quis deinceps in eas terras nauigaret, nempe ne Africa habitat oribus exhauriretur, atq; ita huiusmodi nauigatio desijt; sed ea iterũ patrum nostrorum ætate, nempe anno Domini nonagesimo septimo supra millesimum & quadringentesimum, ab Americo Vespucio reperta, & Americę nomine donata. Nos igitur Girardum Mercatorum geographorum nostri temporis Coryphęũ sequemur. hic enim in sua numquã satis laudata vniuersali tabula hunc Orbem terrarum in Tres continentes distinguẽs, primam vocat eam, quam a veteribus diximus tres in partes fuisse distinctam, & vnde humanum genus originem sumsisse ex sacris litteris constat: secundã quam Plato vocat Atlanticam insulam orbi nostro & situ, & magnitudine oppositam (licet eam vehementi terræ motu, & aquarum eluuie absorptam fabuletur in Timæo ex Aegyptiorum sacerdotum sententia) nos Americam vel Indiam occidentalem vocamus: tertiam dicit terram Australem, quam nonnulli Magellanicam nuncupant, paucis hactenus littoribus detectam. pag. 139. 22. *L. Ipse enim est lux, qua caliginem & nebulas mentisq; errores dispellit, atque animos tenebrosos veritatis ac cognitionis si ę lumine illustrat. Sic apud Iohan. cap. viij. Ego (inquit Christus) sum lux mundi, qui sequitur me nõ ambulat in tenebris. Ipse est ianua.* pag. 151. 7. *comparantur. A. Præterea si locum spectes,*

Arist. de Mirabi- lib. auditionib.

ctes, altera Trinitate sensus gaudere videbis. eorum.n. duo Tactus & Gustus in corde positi sunt: duo Visus & Auditus in capite: Olfactus autem medium tenet, vt Aristoteles scriptum reliquit lib. ij. de partibus animalium. pag. 154.4. adepta. A. Hoc exemplo, ab hominibus sumto, vtitur Damascenu in primo de Orthodoxa fide libro, genus constandi Euæ & Seth exponens, vt ex modis tribus, quibus illi exstiterunt, modi etiam quibus tres personæ diuinę constiterunt, intelligantur. Vt.n. Adam ingenitus est; sic pater ingenitus: atq; vt Seth genitus est; sic genitus Filius: & quemadmodum Eua non est genita, sed ex Adamo quasi prodijt; sic Spiritus sanctus ex Patre processit. ad distinctionē modorū quibus Diuinę personę exstiterunt, patefaciēdam, hoc exemplo vsus est. Iustinus autem philosophus idemq; martyr libro de expositione fidei, & ad distinctionē modorum, & ad communionem essentię demonstrandam, illud ipsum adhibuit. Vt.n. inquit, si quis & rationem qua Adamus exstiterit, consideret, eum ingenitum reperiet, & naturam ipsam qua cum his qui ab illo orti sunt, coniungitur, eum hominem esse inueniet, sic etiam in Deo & Patre reperiemus. si.n. modum quo exstitit, quęras, eum ingenitum appellabis, cum eum a nullo ortum videas: si verò essentiam ipsam, qua cum Filio, & Spiritu cōmunione copulatur, Dei nomine expresseris. Idem lib. Quęstionū a Gentibus propositarum Christianis, probans in Diuinitate essentiæ vnitatem, & exsistentiæ Trinitatem, hæc scribit quęst. cxxxix. Vnus Deus est, coexsistentia Trium diuinarum subsistentiarum, quæ inter se distant non essentia, sed exsistentiæ modis; differentia autem exsistentię modorum, non distinguit essentiæ vnitatem. Et quemadmodum in Adā, & Eua, atq; Seth vna est quidem essentiæ ratio, anima scilicet rationalis, & corpus mortale, modi verò exsistentię diuersi (nam Adam e terra factus est, Eua e latere, Seth ex semine, & in diuersis exsistentię modis, manet essentiæ ratio vna, in quam distinctio & mutatio non cadit): Sic & in Deo, eò quòd eadē sit personarum essentia, vnus Deus esse creditur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nihil enim momenti ad essentiæ rationem confert exsistentiæ modus. Proinde quæ de diuinis tribus subsistentijs eodem immutabili modo dicuntur, in eis vnitatem intellige: quæ verò non eodem modo dicuntur, ex eis rationem personarū exsistentiæ cognosce. Hactenus ille. 9. A. Illud minime commentitium vtriusq; naturæ homines inueniri, masculo feminas dicere possis, qui partē inter se vtraq; peragant, cuiusmodi sunt populi supra Nasamonas, confinesq; illis Maclias, Calliphanis testimonio satis cogniti, ac in reliqua etiā Europa deprehensi, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet annalium commentator Fenestella; seueraq; admodum lege cautum, vt quē maluerint sexum eligāt, altero si abutātur, capitali supplicio puniendi. Ex abundanti adiecero, legentibus obfuturum nihil, nonnullos comparasse mulierem, & virum diametro, & costæ. Vir enim cū Deo semper gaudet impari numero, quorum primus est Ternarius; mulier autem numero pari est addicta. Et quemadmodum quadratus ex diametro deductus, habet duplam proportionem ad quadratum ex costa deductum, ex qua du-

pla proportione resultat consonantiarum perfectißima diapason: sic ex deducta prole per diametrum, & costam, idest, per marem & feminam, resultat in coniugibus Symphonia, & delectatio maxima. pag. 155.6.*L.est (vase namq; non penitus pleno, vinum fere vappa fit; in fine quoq; a fece infestatur; in meditullio autem optimum censetur) sapientes.* pag. 158.6. in marg. *A. Io. Picus in Hept.* pag. 159.3. *finalis. A. Tres etiam homines in qualibet arte consideramus, opificem, architectonicum, & in arte institutum, eruditumq;. Mouens enim illam quæstionem Aristoteles lib. tertio Politic. an eiusdem sit mederi, & an recte medicina adhibita sit, iudicare, & itidem de alijs artibus: Quemadmodū igitur, inquit, medicum approbare actiones suas inter medicos tantum oportet, sic & alios artifices inter sui similes. Medicus porrò est & opifex, & architectonicus, & tertius ille in arte eruditus.*

Ant. Possevinus Biblioth. selec. l. 10 cap. 8.

Trinitatis effigies in speculo.

Fingamus hominem ante se habentem speculum, cum primum is seipsum in speculo intuetur, imprimitur in illo effigies, in qua se ipsum repręsentatum cernit; quę quidem hominis effigies figura est accidentalis, quippe quæ substantia caret: at verò si effigies illa, quę in speculo impressa conspicitur, sicut eandem figuram & similitudinem habet, eandem quoq; naturam, & substantiam repræsentati hominis retinuisset, essent profectò duę personæ in eadem natura, & substantia. nam vna persona fuisset ea, quæ se in speculo intuetur, altera ea quæ in speculo apparet expressa, & tamen substantia vtriusq; personę fuisset eadē; ac ita esset vna substantia in duabus personis exsistens: hoc quod in speculo fingimus, reuera est in ipsa diuina natura. Deus enim in se ipso tamquam in speculo quodā purissimo se ipsum intelligit, & ita in se repræsentat suam diuinam substantiam, sapientiam, potestatem, bonitatem, & ceteras omnes diuinæ maiestatis perfectiones, quas habet; & hęc imago in diuino intellectu repręsentans Patrē ęternum, qui se ipsum in se videt, & intelligit, non est figura aliqua accidentalis, qualis est imago hominis in speculo apparens, & se ipsum ibi intuentis, sed & ipsa Patris æterni substantia, & natura; quia Deo nihil accidit, nihil in eo accidentis rationem habet; quare hęc imago Dei se ipsum in se intelligentis est Filius Dei naturalis, qui est alia persona a Patre æterno, sed nō est alterius naturę, vel substantiæ, nec est alius Deus a Patre, sed est vnius, & eiusdem naturæ, substantiæ, maiestatis, & diuinitatis cum Patre, & ita vnus, & idem Deus, atque Pater. Et ex hac communicatione, qua Pater se ipsum intelligens Filium generat, & Filius diuinitatem eandem, quam Pater habet, accipit. fit vt Pater se ipsum diligat, & Filium, & Filius se ipsum, & Patrem amet, & ita producitur amor, in quo Pater Filium, & Filius, Patrem diligit, & hic amor infinitus accidens in Deo esse nequaquam potest, sed est ipsamet substantia, & natura Filij, & Patris: hunc itaq; amorē procedentem in Deo a Patre, & Filio Spiritum-sanctum vocamus: vnde fit, vt tres sint personę diuinæ, & vna substantia, natura, & diuinitas, Tres personæ, vnus tamen Deus. pag. 165.22. *L. Cuiusmodi*

fue-

fuerint litterarum Characteres apud Aegyptios si quęsierit quispiam, putarim ego animalium effigies fuisse. Illud enim ex Plutarcho constat, Mercurium, qui primus litteras Aegyptijs communicauit, Ibin primam esse litteram voluisse, quod huiusmodi alites A litteram incessu pedum, interstitio ad æquales trianguli lineas deducto, figurare videatur; quæ quidem cum prima sit apud Italos, Latinos, Græcos, & ceteras linguas littera, eaq; ad isoscelis trianguli faciem ac commodata, meritò Dei symbolum dici posse perspicuum est. quemadmodum enim A primum in Alphabeto &c. pag. 166. 13. in marg. *A. Greg. inuect. prima in Iulianum.* pag. 167. 10. *L partes. Constant quippe demonstrationes, & vniuersi syllogismi geminis principijs seu pręmissis, & illatione vna, quibus humana ratio, per ea, quæ seipsis dilucida sunt & aperta, in eorum scientiā defertur, de quorum veritate prius, nutitabat. Vnde fit vt quidquid scitum est, cognitum sit & demonstratum in ternario, ac tertio dumtaxat loco quidquid obscurum & ignotum sciri expetitur, perfecta ratiocinatione amborum principiorum pręcognitione, e tenebris in lucem emergat, fiatq; deinceps clarum, quod prius erat imperuium. Est autem prima.* pag. 173. 5. *purgatorium. A. Quidam heremita pręsente Innocentio Pont. Max. dum Cardinalem ageret, testatus est se vidisse animas in Orcum vt niues densissimas; in purgatorium ignē vt rarissimas descendisse; ad paradisum tres tantùm euolasse.* 14. *irrefragabili. A. rerum omnium originem, eandemq; bonorum omnium caussam esse dicens, per allegoriam vnum Deum esse docet. Id verò sic se habere ex eo patet, quod monada idest, vnitatem, & vnum differre inter se ait. Vnum quippe in numeris esse: at verò vnitatem in his quæ ratione & animo intelliguntur. Atque hanc triuam* pag. 178. 3. *A.*

Trinitatis diuinę effigies in numero Tricenario.

Esse Deum trinum & vnum Trigenario numero declaratur. Is nanq; ter continens decem, tres in Deo personas sibi per omnia coęquales notat. Ternarius qui tricenarij radix est, essentiam diuinam designare videtur, cum sit primum fundamentum ex quo tricenarius consurgit, & in quod redit; sicut in diuina essentia, a qua tres personæ prodeunt, & in illam reuertuntur. Est etiam quælibet Dei persona sigillatim denario numero similis. Quemadmodum. n. vltra denarium nullus est numerus, sed omnes in ipsum penitus rediguntur, & omnes denarij numeri æqua vnitatum distributione quiescunt, ex eisdemque vnitatibus surgunt: Sic tres diuinę personæ omnium rerum visibilium & inuisibilium perfectionem efficiunt, & quasi sui scintillam in semeptipsis singulæ, & simul omnes continent abūdantius, & perfectius, quàm ipsæ creaturę in seipsis exsistant. Neq; in efficiendi continendive ratione vna est in Deo persona copiosior altera; sicut nec denarius primus secundo aut tertio abundātior esse potest. Adhuc quemadmodum nullus denarius numerus extra decem potest intelligi habere aliquam sedem, & nihilominus duo denarij numeri verè sunt duo: Ita tres diuinę personę denarij numeri perfectioni aßimilatę, sibi inuicem intimæ sunt, ac

peni-

penitus impartibiles, numerum tamen ternarium adimplentes pag. 182. 24.*impos. A.cum in ea figura neq; principiũ neq; finem inueniri sit, quod æternitatis est proprium, cuius etiam principij finisq; nusquam apparentis ratione habita Aegyptij Deum ex hieroglyphico Circuli intelligebãt. Sarraceni quoq; & plereque alię nationes Deum appellabant Circulum, atq; hinc sempiternum exprimi contendebant.* pag. 184.25.in marg. *A lib. xxviij. cap. ij. Suetonius in Vitellio cap.* 11. pag. 185. 24. in marg. *A. Macarius Mutius de recta poeseos ratione.* pag. 186. 1. *fulmini. A. tres dentes fuscinę*, .22. *potestatem. A. Hinc Iouem tres habuisse oculos finxerunt, duos quidem qua in parte Homini eos natura locauit, tertium in fronte. cuiusmodi fuisse signum illud ligneum dicitur, ad quod, capta Troia, fama est Priamum confugiße, vt testatum reliquit Agatharchides in Asiaticis, & Pausanias in Corinthiacis. his autem tribus oculis vnum, & eundem significabant Deum tribus Mundi partibus imperare.* pag. 188.4.*animam. A. de quibus mox dicemus.* 25.in marg. *A. Psal. lxiv.* pag. 189.2.*accedebant, A. quòd nullis vocibus tam plene Deũ significemus, illiusque naturam aperiamus, quàm his quæ nostram indicant ignorantiam, nimirum vbi Deum dicimus non ens, infinitum, supra essentiam, supra intelligentiam, & id quod nostram fugit cognitionẽ. quæ negationes in Deo nequaquam defectum significant, sed excessum; quemadmodum si aliquando affirmationibus vtebantur, eas semper intelligebãt ad res habere comparationem.* 23.*principium. A. Nec illud inter prætereunda ponemus, Orpheum & poetas alios, diuino oraculo maximum aliquid prouidente, pro Patre, Filio, & Spiritu sancto, Phanetem, Vranon, & Chronon dixisse; Sabinos verò Sanctum, Fidium, & Semipatrem nuncupasse, idq; numen verbis Trinũ, re vnum dixisse. vnde licet Tribus ipsis templum esset in Quirinali colle dicatũ, vnius nihilo tamen minus Dei vocabulo appellabatur, de quo Ouidius lib. sexto Fastorum.*

l.8.c.15.

Quærebam nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semipater: tunc mihi Sanctus ait:
Cuicumq; ex illis dederis, ego munus habebo.
Nomina Terna fero; sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inq; Quirinali constituere iugo.

DE NVM. IIII.

pag. 202. 1. *I Quattuor sigillatim in Quattuor considerantur.* 9. *hominum. A. Quamobrem in Euangelio Quarta pars totius mundani corporis, idest, Terra mystice Quadrantis nomine censetur, cum mittendo in pœnam peccatori dicitur: Non exibis inde, donec reddas nouißimum Quadrantem, idest, donec luas terrena peccata, vt beatus exponit August.*.32.*A.* in marg. Hippocr. *de natura hominis* pag. 203. 1. *inferunt. A. Atra bilis, quam vocamus melancholiam, Saturno tardissimo plane-*

Matt. 5.

tarum subiecta inter humores tardißimo motu infestat, quarto .n. quoque die exasperatur, & recrudescit. Bilis flaua, idest, cholera, Martis motum sequens, tertianam facit, vt Mars tertius a Saturno. Continuam febrem sanguis Ioui subiectus efficit, namque in venis versatur accesßio, & sanguis calidus humidusq; Iouem sequitur, qui viuificantibus qualitatibus pollens, vt humor calorq; concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus. Saturno aduersatur, qui & frigido & sicco infestat; sed Iouis benignitas nequitiam Saturni superat. Quotidianam febrem pituita, idest, phlegma, quam Lunæ tribuimus, procreat, quæ celerrimi motus est, de die .n. in diem mouetur, sui planetę celeritatem imitata, est etenim Luna inter planetas motus celerrimi; Veneris autem bonitate (nam & hæc quoq; pituitam auget) febris celerem quidem, sed interpellatum motum retinet. pag. 204. 26. *L. amor heri sui Phutiphatis vxorem adegerit ad insaniam. Non prætermittendus Pythagoras noster, quem Laertius tam formosum fuisse narrat, vt illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis venisset. Augustum quoque virum mitem, gratum, & ciuilis animi, scribit Sex. Aurelius toto corpore fuisse pulchrum, sed oculis magis, quorum acies clarissimorum siderum modo promicabat. Homerus heroum prestantißimus Hectorem & Achillem pulcherrimos facit, sciens verã & virilem pulchritudinem cum omnium actionum bonitate coniungi. Virgilius* pag. 205. 2. *Aeneas. A. & lib. primo. pulchritudinem Aeneę extollens, hæc canit.*

Claraq; in luce refulsit,
Os humerosq; Deo similis. namq; ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

4. in marg. *A. eadem Plato de repub. lib. quinto.* 24. *præstantißimi A. Bartholomeus Capranus Mediolanensis ecclesiæ Archiepiscopus idcirco se ministros forma præstantes quæsiuisse dicebat, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent;* pag. 206. 31. *operetur A. Huius rei non ignarus Boetius docet non admittendos ad disciplinas monstruosos: Cauendum, inquit, ne membrorum indecens sit dispositio vt pote integralium. legitur enim Timothei filium lepra incumbentem, castratum, loripedem, gibbo tumentem doctrinæ mãcipatum plebeiam exstitisse abiectionem, suorumq; sociorum detractionem ridiculosam. Vbi D. Thomas: Hæc membrorum inepta monstruositas monstrum in anima indicare necesse est, vti Philemon, Palemon, Loxus, & Aristoteles, & alij retulerunt, quoniam animæ ipsæ sequuntur corpora, & secundum se non sunt impassibiles a corporũ motibus; & hoc manifestum fit valde in ebrietatibus, & in ægritudinibus, multum nanque animæ mutatæ videntur a paßionibus corporeis. ex quo illud vulgare sumsit exordium, Rusticus in corpore, rusticus & in anima. cum .n. membrorum figura & habitudo & generentur, & nutriantur ex sanguine, similiterquoq; & spiritus, qui vehicula sunt virtutum animę, ex humore sangui-*

lib. de disciplina scholariũ cap. I

nis generantur; consequens est vt ex ipsa membrorum habitudine inclinationes passionum cognoscantur, ipsamq; animam vectam in multis motum sui vectoris sequatur, propter quod sapiens Ptolomæus dixit quòd diuinans melius & verius pronunciat accipiens indicium a stellis secundis. secūdas vocans stellas figuras & accidentia inuenta in rebus physicis, quæ a superioribus impressa sunt. hoc .n. iam impressum scimus materiæ. quare pro certo pronunciamus totum ad accidentia illa esse inclinatum, quo & fit vt molles quidem carne, aptos mente dicamus, distortumq; vultum sequi distortia morum. hactenus verba Angelici doctoris. pag. 208. 25. L. qui deformes; sed quemadmodum formosiori occurrisse cuipiam omen censebatur præstantissimum, sic deformi inauspicatissimum. Hinc 32. illius. A. (sunt enim huiusmodi homines simi, nigri, labeones, alioue modo prodigiose affecti) simile pag. 209. 1. L. ex occursu Mauri, ingruere sibi extrema coniecit. Quandoquidem natiuus ille Aethiopum nigror, non a regione, ob Solis ardores, nec ex vicini sydcris vapore prouenit, vt Plinius scribit, quoniam sub Aequatore, & locis vtriq; Tropico vicinis inter istos nigerrimos sparsi reperiuntur albi vel cinericij, qui illic in sua albedine perseuerant, nec in Indiæ littoribus sub eodem climate, immo verò parallelo (nisi ex traducta aliunde stirpe) eo colore tinguntur; sed origo nigredinis a stirpe, & sanguine Cham prouenit, qui paterna benedictione destitutus, haud paruam plagam posteritati suę attulit, vt & ipsa nigredine, indignationem Dei in suum parentem testaretur. 32. fluctu. A. Cum Medon & Neleus Codri filij de regno dissiderent, negaretq; Neleus regnum se Medonis ferre posse, qui pede altero claudicaret, rei cognitione Delphico oraculo permissa, respōdit vates, deberi Medoni Athenēsium regnū. Ingens hoc exemplum satis videri posset, nisi longe grauiora restarent. In Baioaria, vt in descriptione Europæ retulit Pius secundus, Ludouicus Ludouici filius gibbosus, & struma deformis, impia contra patrem bella suscepit, venerandumq; senem, & autoritate insignem, qui quondam regnum Franciæ gubernasset, in arce munitissima obsedit; sed superis vltionē tanti sceleris petentibus, prius febre percussus est, quàm patris animū in suam traheret sententiam. Dignus qui hoc loco locetur & Colomannus. cum .n. Victor Vngariæ rex, increbescēte qua laborabat ægritudine, Almum minorē filium designasset successorem anno Domini nonagesimo quinto post mille, is Colomanno fratri maiori lusco, claudo, & giberro, ductus iure primogenituræ, regnum cessit, qui ingratissimus donatorem cum filijs excæcari, & in monasterium trudi iussit; cuius ingratitudinem Deus opt. Max. æqua compensauit remuneratione, ille .n. morbo repentino correptus, infelicem exegit animam. Accedat 8. L. accuminato, raro capillo, & eo impetigine astricto. pag. 212. in marg. A. Plutar. in Publicola, & Parallelis. pag. 215. 27. in marg. A. Auicen. prima primi cap. de complexionibus 7. debilitatis. A. eandem distributionem sequutus est Horatius ad Pisones, vbi etiam cuiusq; ætatis mores, naturamq; describit. 16. & v. A. Palladius rei rusticę autor. & Plautus, cū horam æstiuam pro longa

Ant. Posseuinus Biblioth. selec. lib. 15. c. 19.

Pausanias l. 7.

cap. 40.

Ex summario Lotharigiæ Frāc. de Rosieres.

ga dixit pag.218.16.*perflatur. A.Subsolanus ab Ortu; Zephyrus ab Occasu; Auster a Meridie; a Septemtrione Aquilo,vel septemtrio. Quattuor hos ventos,vt autor Plinius lib.2.cap.47.veteres seruauere, ideo nec Homerus inquit, plures nominat, atq; in ijs ceteri qui intermedij sunt, intelliguntur.* pag. 219. 17. *vnum.A.vt enim vnaquæque res secundum se absolute accipitur, vna cognominatur.* pag. 224. 15. in marg. *A. Tranquillus in Oct. Aug.* 29. *inuitanti. A.sic Deus apud Ieremiam: Patrem vocabis me,& post me ingredi non cessabis. Rursus: Factus sum Israeli pater, & Effraim primogenitus meus est. Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea. Deus igitur a pietate ac paterno affectu,quo suos complectitur, illorumque saluti & commodis prospicit,Pater dicitur.Magistri deniq; nomen imponendũ est pag.* 225.22.in marg. *A. Nicol.de Cus. Lib.* 1.*cap.xxiij. de Doct. ignor.* pag.226.13.*L.Oraculum ederet Moysi, quæreretq; ille, quo nomine vocaretur? ita se ipsum appellauit,edicens videlicet ei, vt ad populum his verbis vteretur: Ego* pag. 228. *scriptum* 6. in marg. *A Tranquillus in Augusto* 8.*L. ÆSAR. Responderunt Aruspices centum eum dies non amplius victurum,qui per conuulsam significarētur litteram,eundemq; inter deos referendũ, quòd reliquũ percußi nominis indicaret, quoniam ÆSAR diceretur Deus Hetrusca lingua. Explodenda autem quorundam opinio existimantium Cæsarem Dictatorem nomen sortitum vel ab elephanto, qui lingua Maurorum cæsa dicitur,in prælio cæso,vel quia mortua matre ventre cęso sit natus, vel quòd oculos cęsios habuerit,vel a cæde hominum, quoniam præter victorias ciuiles,vndecies centum & nonaginta duo milia hostium occisa prælijs ab eo narrat Plinius, veluti nomina propria fatalis quædam ratio imponat, quòd multos ea habere nomina videamus,quæ eorum affectus, & futuras actiones indicarunt, ita vt in die lustrico, quo nomen imponebatur,omnem uitæ seriem pictam quodãmodo in denominatione gesserint. At uerò a Romanis hoc nomine decorati sunt principum filij uiri, & designati Augustæ maiestatis hæredes, sic Diocletianus Augustus fuit, Maximianus Cæsar dictus.& Fridericus tertius Augustus fuit, & Maximilianus Cæsar. Adde Cęsaris nomẽ,ante Iuliũ Dictatorẽ,pro Rege iam diu a Dalmatis, Macedonibus, Rußijs,Misijsq; usurpatũ fuisse, ut narrat Theseus Ambrosius.Sclaui,autore Nicolao de Cusa,Deũ uocant BOEG, seu BOOG. a bonitate ac munificentia,qua vtitur erga suos,quos non sustinet premi vlla rerum egestate,aut inopia tabescere; sed de omnibus affatim illis prospicit, atq; affluenter ad vsum necessaria largitur cum externa bona, tum animi tranquillitatem,ac pacatam mentem.Huc adde Sarmatarũ BOVH, Boemorum BVVH, Polonorum BVOG, Slauinorum BVOH, Pannonum ISTV. Germani sua lingua pronũciant GOTT, Belgæ GODT, Peones ac Tartari ITGA.ab Italis 29.L.asserit,cum se inuicem salute præposita compellarent,allocutoriamq; esse vocem, qua boni omnis caußa Deum in primis ita venerantur. Et cum principem* pag. 229. 20. *perueniendi. A.Nonuulli qui in hoc genere sibi arguti videntur, ab*

Cap. 3.
Cap.31.
Li.7.c.25
Spartiano i Ælio Vero.
Introd.in Chal.linguã ca.5.
Excit.l. 1 in principio erat.

Deut 4.
Heb. 12.

αἴθω hoc eſt, ab vrendo rationem originis ſuę ducunt, propter vim illam vitioſarum affectionum conſumtricem (nam hinc quoq; ignis conſumens dicitur) 30. deriuatur. A. (quanquam ſunt qui putent Deum dictum quòd ei nihil deſit, vel quòd det mortalibus omnia quę commoda illis ſint. pagina 230. 13. in marg. A. Cyprian. in expoſ. ſymb. pag. 234. 27. ceterum. A. Diodorus pro nomine tetragrãmaton, id eſt, quattuor litterarũ, qđ eſt Ieoua, IAVM Gręca forma IAON, quod interpretatur exſiſtens, Iudęorum Deum appellauit, quod eis eſt ineffabile; quippe quibus ſanctæ trinitatis myſterium reuelatum nõ eſt. Ludouicus pag. 238. 17. iuſtorum. A. Per crucem (ait Chryſoſtomus) perfecta redduntur omnia, Baptiſma quoq; per crucem datur, oportet enim ſignaculum hoc ſumere, & manus imponuntur per crucem, & cruce vtimur ſiue in itinere, ſiue in domo, aut certe vbicumq; ſumus. Cyrillus Hieroſolymitanus catechesi quarta in eundem ſenſum ita ſcribit: Quod ſi aliquis id occultet, tu manifeſte ſigna te cruce in fronte, vt dæmones, ſignum crucis videntes, trementes procul fugiant. fac autem hoc ſignum & manducans, & bibens, & ſedens, & ſtans, & loquens, & ambulans, in ſumma in omni tuo negocio. Maxima (inquit Iuſtinus Martyr) eſt crucis potentiæ & imperij ſignificatio, quemadmodum ẽt ijs, quę ſub aſpectum cadunt, docetur. conſiderate res in Orbe cunctas, an abſq; forma iſta adminiſtrare quidquam, aut commercium aliquod habere homines queant, Mare enim non ſecatur, niſi vexillum illud, quod antenna ſiue velum vocatur, in naui integrum maneat, Terra abſq; hoc non aratur, foſſores, itemq; illiberalium & ſordidarum artium homines opus non faciunt, niſi his inſtrumẽtis adhibitis, quę hanc figuram pręferant. pręterea verò facies humana non alia re ab animalibus ratione carentibus magis differt, quàm quod rigida directaq; ſit, & extenſionem manuum habeat, atq; in vultu a fronte prominentem proferat naſum qui dicitur, per quem eſt reſpiratio animãti, nõ aliud quàm crucis formam oſtendentem. quin etiam ſigna & notæ, quæ apud nos ſunt, figuræ huius vim pręferunt & declarant, vexillorum ſigna dico, aliorumq; inſignium, & trophęorum, per quę progreſſus in publicum quouis locorum fiunt, imperij & poteſtatis indicia in hiſce oſtendentibus. hactenus Iuſtini verba. Deniq; ſacratiſsimum ac ſalutiferum hoc ſignum æquiſsima, ac perpetua obſeruatione receptum eſt, quod & in Moyſe cõprobatur, dum obſecrationem in monte faciebat ad Dominum proiecto in crucis formam corpore, expanſisq; brachijs, quæ dum in myſticam figuram erigeret, vincebat Iſraeliticus Dei populus; ſi deorſum mitteret, ſuccumbebat. Quid de Conſtantino Magno? qui contra Maxẽtium pugnaturus, in cęlo ſuſpiciens, crucisq; ſignum videns, ſtatim audiuit: In hoc ſigno Cõſtantine vinces. mutata igitur omni militiæ rõne, inſignibuſq; militaribus omnibus cruce inſignitis, Maxentio oppreſſo, & vrbe Roma recepta, præclaram incruentamq; victoriam conſequutus eſt. Turcæ a Caſpijs portis erumpentes, Armeniamq; infeſtantes, cùm peſtilentia fuiſſet grauiſsima, ſuaſu Chriſtianorum, in modum crucis ſe totonderunt, & per hoc ſignum ſalus patriæ reddita eſt.

Schol. in oron. Iuſtini Martir. ad Gẽtiles.
Hom. 13. in Philipp.
Apolog. 2. ad Ant.
Exho. 17
Ant. Sabell. li 9. cap. 9.
Sigeber. in chronicis.

Apud

Apud Greg. Nazianzenum est in priore inuectiua in Iulianum, eundem ex subterraneis adytis, vbi oracula Dęmonum consulebat, propter horrenda illorum spectra profugiẽtem, in subito terrore & motu, signaculo crucis, eo quo in Christianismo assueuerat modo, se muniuisse, & opitulatorem, quem persequebatur, fecisse. Illud fuerit auctarij vice quod de cruce cecinit Aur. Prudẽtius Clemẽs.

Crux ista Christi, quam nouellam dicitis,
Nascente Mundo, factus vt primum est homo,
Expressa signis, expedita est literis.
Aduentus eius mille per miracula
Prænunciatus ore Vatum consono.
Reges, prophetæ, iudices, & principes,
Virtute, bellis, cultibus sacris, stylo,
Non destiterunt pingere formam crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata est prius:
Crucem vetusta combiberunt secula.
Tandem retectis vocibus propheticis,
Aetate nostra comprobata antiquitas,
Coram refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu cominus.

Aegyptij & Arabes per crucis &c. pag. 241. 6. in marg. *A. in Timęo,* 242. 3. *L. Sacerdotes. est enim primus numerus multitudinis, propterea Chrysostomus, cum exponeret illud Matthæi cap. xiij. In farinæ satis tribus hom. xlvij. in Matth. Tria, inquit, sata pro multis hic posuit, ad quam &c.* pag. 245. 28. in marg. *A. Hugo a S. Vict. lib. ij. Erudit. didasc. cap. v.* pag. 247. 30. *L. antecedere; nos aũt dicimus animã* pag. 248. 2. in marg. *A. Greg. Nyssen. lib. de Homine.*

DE NVM. V.

pag. 250. 19. in marg. *A. Ammonius in Comment: quæ edidit in Aristotelis prima resolutoria.* 9. *volatilia. A. Nec absque huius numeri mysterio factum censeo, Quinario scilicet contineri quæ facta sunt ad id simpliciter vt viuamus, cerebrum, cor, pulmo, hepar, & venter. horum enim aliquo læso, necessariò moritur animal; oculi autẽ, manus, & pedes ad id, vt bene viuamus, facta sunt, quandoquidem his læsis, viuit quidem animal, non autem bene. Alia denique ad propagationem posteritatis pertinent* pag. 253. 16. in marg. *A. Agellius noct. Attic. lib. x. 29. Polonorum A. & Herburtum hist. Pol. lib. vij. cap. xiij.* 32. 1270. *A. Simile & in Holandia, sed numero maius exstitit, a Virginis enim partu.* 1314. *vt annotauit Bapt. Fulgosius memorabilium lib. primo cap. vi. nec tacuit Genebrardus Chronichorum libro iiij. cum Henricus Lucemburgensis imperaret, Margarita Holandiæ comes, qua parte Rhenus Oceanum*

Annales Holãdię Mater historiarũ Iohannis de Colũna.

illabitur, trecentos ac sexaginta quinq; filios viuos vno partu edidit, qui omnes sub nomine Iohannis, & Helisabethæ baptismi characterem cum accepissent, mortui, sepulturæ dati sunt in monasterio monialium sancti Bernardi. pag.254.13.*L munerum, nata inde paroemia illa, Amphidromiam agis, in eos qui pueros ostentant, ac circumferunt, aut munuscula captant, ambiuntq;. Huc accedit* pag.255.25.*accommodans. A. ex Timæi Locrensis Pythagorici philosophi disciplina, Quinque* pag.256.1.*L. Cubus hoc est tessera, ob superficierum stabilitatem, quòd hæc figura sit octo angulorum, & sex laterum terram exhibens ob eius stabilitatē grauedinēque; quia quemadmodū cubus quocumq; voluatur, semper iacet; consimili modo terra per se immobilis, si aliqua fortuita vi commoueatur, statim rursus iacens quiescit. Pyramidis igneam vim, & ad motum agilitatē quiuis in laterū, & angulorū acumine deprehenderit, cū.n. ignis in imo latus sit, circa materiam & fomentum quo pascitur, in acutam flammam, quæ cælum spectat, desinit. Dodecahedri* pag. 258.21.*L. minora. Ac sensus quidem immoderata sensibilia corrumpunt, mentē autem maiorum intelligibilium apprehensio acutiorem facit* pag.259.29.*pascerentur. A. Quinq; vectes, qui tabulas tabernaculi continent, interprete Beda adducto in Glo. Ordin. sunt quinq. libri legis, quorum munimine ecclesia ab omni impulsione sustentatur. Et hoc in vtroq; latere; quia non solum priorem Dei populum littera legis erudiuit ad fidem & bona opera; sed & nos in nouo testamento Deo seruientes, eadem littera spiritualiter intellecta, maioris gratia dulcedinis in præsenti ad fidem, & virtutum operationem instituit; & ad spem perpetuæ remunerationis accendit.* pag.260.23.*moritur. A. Quid.n. est puer centum annorum, nisi senex puerilis, insipiens, & inconstans? qui morietur morte æternalis miseriæ, sicut iam mortuus est morte culpæ.*

Exho.26

Dionys. Carth. com. in 1. Petr. 2.

DE NVM. VI.

pag.269.12.in marg. *A. Plato in Philebo.* pag.270.8.*ternario. A. Quamobrem Senarius trinitatis signaculum dici potest, adeò a triade omnis in rebus pendet perfectio. estq; omne perfectum trinum. et cum quidquid est in imagine, id longe insigniore modo in veritate ipsa comperiatur, sitque imaginis perfectio omnis triade restituta, constat summam perfectionem omnis perfectionis veritatem, triade definitam esse.* 22.*suscipit. A. hinc sumta metaphora: Circulum absoluere, hoc est rem omnibus numeris, omnibus partibus perfectam reddere.* pag.274.1.*testantur. A. ex Macario Aegyptio luculentissime scribente de hominis dignitate & nobilitate, quædam hic placuit annotare: Magnæ, inquit, dignitatis est homo. respice quantum sit Cęlum, & Terra, Sol, & Luna: & non beneplacitum est in eis Domino, sed in solo homine is conquieuit. honorificentior ergo est homo creaturis cunctis, fortasse verò dicere audebo, non solum visibilibus creaturis, verum etiā inuisibilibus, videlicet Spiritibus ministris. non*

Gen. 1.

enim

enim de Michaele, & Gabriele Archangelis dixit, Faciamus secundum imaginem, & similitudinem nostram, sed de intellectuali substantia hominis, immortali inquam anima. scriptum est .n. Castra angelorum in circumitu timentiũ eum. Porro quæ apparent creaturæ, natura quadam immutabili deinctę sunt; Cælum semel extensum siue ordinatum est; Sol item, Luna, terra, & non complacitum est eis Domino; sed neque ad aliud illa se conuertere possunt, præter id ad quod creata sunt, neque voluntatem habent: Homo verò propterea est secundum imaginem & similitudinem Dei, quoniam sicut Deus est liberi arbitrij, & quod vult facit (quòd si .n. vellet pro potestate sua mitteret iustos in gehennam, & peccatores in regnum, verùm id non deligit, neque suscipit, Iustus namque iudex Dominus:) ita & humanus intellectus liberi est arbitrij, ac si velit interire, conuertibilis est naturæ &c. Præterea sicut Deus nec 26. præsidet. A. In hominis enim vsum, commoditatem, obsequiũ vniuersa creata sunt quęcumque cęli ambitu, terræque, ac maris complexu continentur; quod his versibus Dauid operum Dei admirator vnicus testatur: Quid est homo, quòd memor sis eius, aut filius hominis, quòd eius rationem habeas? Minuisti eum paullo minus ab angelis; gloria & honore coronasti illum, & præfecisti eum operibus manuum tuarum. Omnia subiecisti pedibus eius &c. quibus sane verbis commonstrat, quanti æstimet Deus hominẽ, quantaque sit apud illũ eius existimatio, cui naturę vniuersitas subseruiat, ac sit obsequiosa, adeo vt res omnes creatæ commodis vsibusq; eius sint expositæ. Hinc pag. 278. 4. tempus. A. Sex plaustra, quæ filij Israel Leuitis ad subuectionem tabernaculi obtulerunt, significant solatia temporalia, quæ deuoti populi prædicatoribus compensant, quò sine cura & impedimento, diuino vacent obsequio; vt qui euangelium annũciant, de euãgelio viuant, 5. in marg. A. Ruper. in Esaiam lib. 1. cap. xxvij. pag. 280. 21. paradiso. A. Adam enim, vt ait Apostolus, modo quodam contrario fuit forma Christi futuri, quandoquidem cunctis primi parentis nostri debitis Christus se subiecit, cum ille dicto non fuerit obediens, vicissim hic obediit vsq; ad crucẽ & mortem. ille tentatus per Euam, cum illa iam a tentatore superata esset, gustauit de vetitis: hic tentatus ieiunat, pro delicijs ad inopiam nos excitans. ille Deus fieri volens, frustratus spe sua, etiam id mutatus amisit, quod prius erat, ex immortali mortalis factus, & ex beato damnatus: hic pro illo damnatus fit, manẽs Deus ratione naturæ nõ mutatus, neq; factus alius ratione diuinitatis. Ille ex paradiso in hũc ærumnosum, laboriosumq; locũ detrusus est: hic eius caussa de cęlis adueniens, illius assumit vitã, pro luce inaccessa, tenebrosam hanc & obscuram speluncam inhabitans; vice intellectilium & ratione præditorũ animalium, animalibus ratione carentibus circundatus; loco potestatum omnium, a quibus gestabatur, in vlnis sanctę quidẽ mulieris, & cuius intacta perpetuaq; virginitas esset, communis tamen nobiscum naturę portatus; pro angelicis Hymnis & canticis, petitus calumnijs, quasi dęmoniũ haberet, & per dæmoniorũ principẽ dęmonia eijceret, & populũ seduceret. pro loco mulieris, nimirum Euæ, per-

Psal. 8.

Num. 7.

Rom. 5.

perpetuā Virginē sanctā matrē suam suscitauit: pro illius pœna, huic salutē per propriū seruū Gabrielē misit, in hac sanans quæ ille deliquerat. Pro ligno transgressionis lignū resurrectionis in medio terræ, salutarē suam crucē fixit. In eadē hora hominem per lignum crucis redimens, qua eum per lignum hostis deceperat, ars &c. ver. 22. pag. 281. 19. in marg. A. Ireneus lib. 5. aduersus hęreses 31. L. excidisse. & si nonnulli contēdant Adę mansionem in paradiso ne vnius quidem fuisse diei; à nostra tamen stare videntur Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 3. Io. Damascenus lib. 2. de fide orthod. cap. 10. Basilius homilia de Paradiso, quippe qui scriptum reliquerint, serpentem in paradiso pręter ceteras animantes frequenter ad primos illos homines adire, & cum eis blande ac quasi familiariter versari solitū: indeque postea diabolum ansam decipiendi mulierē rapuisse. In eadem sententia fuisse Augustinum testantur verba illa lib. 11. cap. 3. de Gen. ad litteram: Tale, inquit, pomum in arbore illa vetita credendum est fuisse, cuius generis poma iam in alijs arboribus innoxia sibi senserant. Idem lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 26. licet primos homines non longo tempore mansisse in paradiso censeat, diutius tamen quàm vnum diem eo in loco fuisse nō obscure indicat. cui suum calculum addens Gregorius papa lib. 4. Dialog. cap. 1. In paradiso, ait, assueuerat homo verbis Dei perfrui & beatorum angelorum spiritibus cordis mundicia ac celsitudine visionis interesse. Tostatus denique super cap. 13. Gen. a quęstione 606. vsq; ad 611. hac de re disputans, nobiscum sentit. Benedictus Pererius lib. 6. comment. in Gen. dicit primos parentes fuisse in paradiso octo dies, & octauo die quàm fuerant creati, qui dies fuit feria sexta hebdomadę, eiectos esse paradiso, quod multis probat rationibus. sexta hora.

DE NVM. VII:

pag. 283. 7. in marg. A. Plutar. sympos. 3. pag. 289 20. L. erga terram, & acra. Septem homini munera a planetis totidem tribui seu roborari videntur; contemplationis acumen, gubernandi potestas, animi robur, claritas sensuum, amoris ardor, interpretandi subtilitas, fœcunditas generandi. Contemplationis donum Saturnus ministrat; imperandi potentiam, Iupiter; Mars, animi magnitudinem; sensum opinionisq; claritatem, Sol; amorem Venus inspirat; pronuntiandi & interpretandi solertiam Mercurius adiuuat; generationis officium Luna 26. in marg. A. Galeotus Martius cap. xiiij. de Doctr. promisc. pag. 293. 28. in marg A. Hippocrates lib. de carnibus. pag. 294. 15. L. In Gallia Tullensis agri iuxta Commercium quod est oppidum Lotharingiæ 25. L. inspexit. Prob diuini corporis inuiolabilis vbertas, qua non solum naturalis imbecillitas sustentata est, sed & immortalis indulgentię vis demonstrata remansit. Eugenij quarti Pontificatus & huic simile exemplum vidit, quando Gallus quidam Iacobus nomine, cum ex voto a Hierosolymis reuersus esset, neq. comedere, aut quidquā ib-

bibere reperiri potuit: quod biennio fecisse iureiurando affirmauit. Id certe nō aliqua naturæ caussa, sed diuinitus factum esse videtur, quemadmodum & de nonnullis monachis scribit Greg. pag.295. 6. 17.in marg. A.De Nic. Subsyluano natione Heluetio opus edidit Petrus Numagen Treuerensis.20.comedit. A. Quanto mare ingentius est Eridano, tanto prædictis subsequens mirabilius. Aristoteles namq; omnis veritatis excussor, quendam numquam dormisse, nunquam potasse, nunquam comedisse quoad vixerit, se vidisse prodidit. Cum verò Henricus quintus Imperator Romani nominis maiestatisq. potitus esset, in Vermendesio miles repertus est, qui duplici suo miraculo, indigenis stuporis ansam præbuit. ille siquidem cum semel extinctus reuixisset, diuque post inter uiuos permansisset, nunquam post resumtam vitam aut bibere, aut edere visus est. pag.296.12.pereuntibus. A.Quę ratio etiā afferri potest quòd Deus apud Iudęos octauo die circuncisionem administrare voluerit, & simul imponi nomina, vtpote corpusculo infantis per dies iam octo confirmatiore.pag.297.1. sumant A. Conferunt quę habentur ff. de Adult. L. si minor. vbi textus dicit minorem quattuordecim annis nequaquā posse accusari de adulterio, quòd huiusmodi crimen post pubertatem incipiat. Tertio &c.7.impingat. A.Ante hūc quidem ætatis annum pueri, ob caloris naturalis abundātiam, copiosiore alimēto indigent, ac proinde non sunt inedia nimia, ieiunijsq. afflligendi, nec alimentis craßis & noxijs difficilisque concoctionis cibandi, (quod tamen a nonnullis puerorum non tam educatoribus, quàm tortoribus atq. carnificibus lucri quęstusque gratia fieri consueuit.) Ex his.n.vitiosi humores, & animis stupor, stoliditasq́. ingenerantur. Nam qualis est cibus, talis sanguis esse solet, qui quidem seruit spiritui: spiritus, sensibus: sensus, rationi & intellectui. 21. in marg. A. Var.lib.11. de vita patrum.30.L.ingredereutur. Apud Chalcidenses lex erat ne qui annos natus esset infra quinquaginta, vel magistratum gereret, vel legationem obiret. Aeschines etiam oratione contra Ctesiphontem, testatur apud Athenienses olim fuisse morem, vt pręco facturus dicendi facultatem, ita sonaret: Quis vult concionari ex ijs qui quinquagesimum excesserunt annum? octauo pag.298.24.putarunt. A.Derbices similiter gens Scythica Hircanis proximi, eos qui septuagesimum annum iam exceßißent, iugulabant, & in conuiuijs appositos, necessarios & propinquos ad epulas conuocabant. pag.302.20.suboriri. A.Omnis siquidem pueritia (C. Celso testante lib.2. c. 1.) Septimo anno periclitatur, postmodum circa pubertatem. Plurimos autem noui qui ætatis anno altero, & vigesimo sint periclitati, deinde uigesimo octauo, nec unquam post reuolutum annum uel septimum vel nonum ab ancipiti morbo fuisse immunes, qui annorū decursus, tametsi non nimis anxie ac superstitiose obseruandus, metuendusque sit viris Christianis: nihil tamen vetat circa ea tempora moderate, ac circunspecte vitam, victusque rationem instituere, nequa humorum copia coaceruetur, quæ his annis fomitem ministret, morborumque seminaria prębeat, Leuinus Lemnius lib.2.c.32.de occultis naturæ miraculis. Ex hac autem anno-

Heraclides Ponticus in Politic.
Plutar. lib. Ansení sit gerenda resp.
Alexan. Genialium dierum. l. 3. cap.2.

rum obseruatione mos inoleuit apud plerasq́. gentes, vt herus fundiq. dominus nouos cõtractus ineat cũ colonis Septimo quoq. anno. Eadẽ ratione syluæ, quę ex dura materia consistunt, vt sunt quercus, ilex, robur, vlmus, fraxinus, Septimo anno mutilari truncariq; postulãt. pag. 303. 2. in marg. A. in hist. Anglic. lib. viij. 9. cremato. A. Quemadmodũ & Osualdi Britanniæ regis eleemosinarij manus, quam cũ episcopus Indisfranensis osculatus, dixisset, tam promtam in dando manum senescere prorsus non debere, hinc aiunt adhuc integram in monumento illibatamq; ostendi pag. 304. 22. L quandoquidem punctum refertur ad vnitatem, linea ad binarium, vtpote quę ab aliquo tendat ad aliquid, superficies verò in ternario numero constituitur. pag. 306. 11. neq; enim A. vt Origenes, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophilactus, & alij notarunt pag. 311. 2. in marg. A. Pier. Valer. l. 36. pag. 312. 5. L. diẽ adscripsit Moyses in quiete celebrandũ, q̃d Saturni dies actionibus ciuilibus bellicisq; ineptus, contẽplationibus aptus esset, eoq; die diuinũ contra discrimina patrociniũ obsecrandum. Indicat idem planeta millenarium septimum, quo teste. 32. sunt. A. Huc referendum videtur quod Leuinus Lemnius annotauit de viribus Oceani maris in morsu canis: Belgę, inquit, qui mari finitimi sunt, atq; Oceani accolę demorsos a cane rabido certatim ad mare rapiunt, etiam brutas pecudes, ac Septenis vicibus immergunt; quo fit vt omnis aquę metus, quo maxime vrgeri solent, prorsus eximatur, nam sic affecti & aquam appetunt, & expauescunt ob mentis alienationem, & quod ratione destituti sint; ex quo efficitur vt nullo rerum delectu ac discrimine salutaria respuant, atq; auersentur, appetant autem ac ferantur ad noxia, siquidem si bibant affatim, sanescunt: quo circa tametsi aquam omniaq; liquida exhorrescant, ad potum tamen cogendi sunt, quò virus minus ad internas partes properet, ac diluatur. Hæc Lemnius. Quando hic pag. 314. 4. in marg. A. Ruper lib. 2. in Numer. cap. 28. pag. 316. 3. interfici. A. vel vt legit glo. 31. q. 1. Quomodo. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear: omnis ergo qui inuenerit me, occidat me, pag. 318. 13. translatũ A. Timæus Pythagoricus libro de Mundo & anima dißcrens de Pythagorica metempsychosi, Mutationem in bestias, inquit, induci falsò ad terrorem hominum impiorũ, quò pœnæ saltem formidine, & specie absurda immaniq; à vitijs inquinamẽtisq;, quibus candori animæ labes inuritur, retraherentur, proficerentq; in bonam frugẽ. Non defuerũt qui illam non ad speciem, sed ad animã referrent, vt non species, sed habitus intelligatur. vt miluus fiat, qui raptu viuit per concupiscentiam; leo, qui egregie militabit; draco, qui crudeliter in humanum genus debacchabitur, talis .n. fit animus, qualem induit habitum. Multos attamen maxime distorquet quod ab Aur. Augustino relatum est, quendam scilicet Prestãtiũ nomine iumenti effigiem induisse, qui mox pristino sumto habitu, se inter cetera iumenta annonam in exercitum detulisse, expreßis fideliter locis, enarrauit. Illud quoque (licet summo cum horrore) persequar, quod Annalibus Gallicis perscriptum est, In Belluacensi regione rusticus quidam, cum ab vxore sibi

Marulus lib. 1. c. 2.

De occultis naturę l. 3. c. 5.

Diciuit l. 18. c. 18.

caput

caput ablueretur, ex ore, pueruli digitos articulosq; euomuit, quo argumento satis innotuit illum sępius in lupum permutari, quod & prius omnium ore fama testabatur. Mitto quæ apud Augustinum Varro tradidit de Arcadibus, quibus peculiare id fuit, vt transpaludem quandam prouecti in lupos abirent; & si carne non vescerentur humana, rursus post nouem annos eodem reuerti, vnde trāsuecti fuerant, ac in homines redire, decem annorum addito senio; sed hęc Pausanias in Arcadibus, & Plinius lib. 8. cap. 22. falsa esse testantur. Ita. n. comparatum est, vt qui huiusmodi figmentorum portentis aures præbent, & ipsi mox aliquid adfingant; quo efficitur vt mendaciorum quasi colluuie veritas vitiata, suam prorsus autoritatem perdat. institutum repetamus. pag. 320. 17. *eius. A. Orpheus coniugem Eurydicem ab inferorum carceribus educens, legem accepit ne eam conuersus aspiceret, quam conuersus aspiciens, cum iterum perdidisset,*

De ciuit. D. lib. 18. cap. 17.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aeria, deserti ad Strymonis vndam
Fleuisse.

Maro Georg. 4

pag. 321. 3. *peccauit. A. Quare in Canonicis decretis dist. 44. pręcipitur vt nullus presbyter ad Septimana defuncti solennia celebrāda vocatus, se inebriari nullatenus audeat. Nos videmur Septimo die sacrificium pro mortuis facere, sicut in nuptijs apud priscos Septima dies instaurationem voti habebat, vt quēadmodum hoc die initium propagandi generis celebre erat, sic etiam eodem die finis cuiusq; solennis haberetur.*

DE NVM. VIII.

pag. 323. 25. *radicem. A. Producuntur etiam omnes cubi, si dispositis naturaliter post vnitatem imparibus, duo primi coniungantur, post quos alij tres, post quos quattuor, & hoc pacto consequenter, tot impares numeros assumendo quot sunt & ipsorum cuborum latera. Duo enim primi 3 & 5 simul iuncti constituunt cubum 8, cuius latus est 2. Deinde ceteri tres 7. 9. 11. vnà collecti sequentem componunt cubum 27. cuius etiam latus est 3. Sicque in reliquis.* pag. 324. 26. *L. constituens. Huc spectat quòd dum Pythagorici signis Zodiaci numeros assignarent, Libræ Octonarium dicarunt, quòd sub eo decurrens Sol æqualiter tempora diei noctisq; distribuat. vnde Poeta nobilis,*

Boetius Arith. l. 1 cap. 29.

Libra die, somniq; pares vbi fecerit horas,
Et medium luci, atq; umbris iam diuidet Orbem.

Georg. 1

Est quidem huius signi facies statera, quæ olim æquitatis symbolum fuit. Hinc eorum, quę a Moyse dicta sunt de Iustitia, compendium faciens Pythagoras, stateram non esse transiliendam pręcipit, hoc est, non prætergrediendam æqualitatem, quæ versatur in distributionibus honorando iustitiam. Nec illud ignoretur oportet etiam in diuinis litteris Octonarium fuisse iustitiæ hieroglyphicum, cuius rei argumentum 31. L tribuitur. Fuit & Neptuno sacer, Plutarchi ad hoc accedente testimonio, ita dicentis: Neptuni celebritatem Octauo quoque die

in Thes.

mensis agunt. Octonarius .n. numerus, cum sit primus talus ex paritate confectus, & geminum quadratum numerum cum in se contineat, stabilitatem & immobilitatem Dei potentię significare videtur, quę nos firmum, & minus errantem, ac terram continentem appellare solemus. Baccho etiam seu Dionysio assignatur, quod. pag. 325. 25. *L. Surdos, Octo raucos, Octo insigniter nigros, Octo insigniter longos, Octo prępingues & obesos, & Octo nasutos,* pag. 328. 2. *progressus. A. Videtur siquidem Octaua consonantia eodem modo se habere in genere consonantiæ, quo se habet denarius in genere numeri. Quemadmodum enim supra denarium non datur nouus numerus, sed fit vnitatis repetitio; non dissimili modo, licet extra Octauam inueniantur consonantiæ varijs constantes proportionibus, tamen ex sensu, & aurium iudicio nullam fere diuersitatem habere videntur ab illis quæ infra Octauam continentur consonantijs, verùm Octaua mira quadam ratione similitudinis ad primā redit, nona ad secundam, eodemq; modo dissonās, ita deinceps. Illud autem a multis quæsitum video, quamobrem solius consonantiæ diapason soni, vnum fere & eundem videantur habere sonum? Lu-*

Musicæ theoricę sect. 2. cap. 4.

douicus Folianus huius rei caussam dicit vnitatis prædominum in eius constitutione, quod in ceteris non contingit consonantijs. Diapason .n. in dupli habitudine reperitur, quare minus eius extremum ab vnitate, & maius a binario cōmensuratur, qui quidem binarius, cum sit numerorum minimus, & vnitati proximus, sapit & ipse quodammodo vnitatis naturam; adhuc extrema hæc per vnitatem ab inuicem differunt. cum ergo extrema, a quibus tanquam a suis caussis oritur diapason, vnitate potissimum innitantur, rationi consentaneum videtur, quòd soni eius inde prouenientes, vnum & eundem videantur resonare sonum, nam semper suarum caussarum naturam effectus imitantur. In modorum igitur Octonario &c. pag. 329. 2. *L. peccatum, & per peccatum mors, quę cum contra naturam ingressa esset, resurrectio secundum naturam successit. Nam protoplastus ante lapsum immortalis fuit, idest, potens semper viuendi & nunquam moriendi, sinon peccasset. Dicitur aut resurrectio, quòd plasma peccato perditum, per iustitiam instauratur. quamobrem humanus intellectus, cum sit immortalis & incorruptibilis, natus est iterum corpori restitui.* pag. 330. 15. *immortalitatem. A. Apud Cyprianum alia est Octaui huius diei theoria: Hoc*

Serm. de rōne circūcisionis. Gen. 17.

(signo circuncisionis) cum Octaua die iussum sit celebrari, & nomen circuncisiō aptari, intimatum est his qui digni sanctorum consortio censebantur, quòd eorum nomina scriberentur in cęlis, & ęternæ beatitudinis quam post huius vitæ septimanam, octaua consequitur, hæredes fierent & consortes, quicumq; vitæ innocentia, & cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent.

DE NVM. IX.

pag. 334. 2. *Babylonis. A. tempore Sedechiæ regis Iudæ. In hoc rursus facta desolatio templi & Hierusalem a Vespasiano, vt videre est apud Iosephum de bello Iudaico.* 2. in marg. *L. iiij. Reg. xxv. 6. nouenarius. A. Athenienses*

No-

Nonam diem mẽsis Metagitnioinis, quem Maium vocant eruditi, pluribus calamitatibus inuisum & detestabilem habuere, quo magnis infelicitatibus & infortunijs oppressi sunt. 31. *porrigitur. Eodem libro proceram staturam gigantum describens, qui contemtores deorum ausi fuerãt manibus rescindere cælum superisq; Iouem detrudere regnis, Nouenario vtitur numero.*

Nouem annorum cum essent, Nouem cubitorum erant
Latitudine, at longitndine erant Nouem Passuum.
Hi superis, pugnamq, grauem, bellumq; minati
Ossam Olympo promti erant ponere, & Ossę
Peleum excelsum, ut cælum peruium esset.

pag. 337.6. *A. At quando in manibus est Ouidius, illud neutiquam negligendũ quod lib. 4. Transform. de Elytie in Heliotropiũ versa cecinit his carminibus.*

Sub Ioue nocte dieq;
Sedit humo nuda nudis incomta capillis.
Perq; Nouem luces expers. vndeq; cibiq;
Rore mero, lacrymisq; suis ieiunia pauit.

Idem lib. quintodecimo eiusdem operis asserit in Affrica in lacu Triconico, vbi Pallas Sapientiæ dea primum uisa est, tale contingere prodigium. Si quis ibi Nouem vicibus se immerserit, extemplo in auem mirabiliter transformari, sumtisq; pennis euolitare.

Esse viros fama est in Hyperborea Pallene
Quis soleant leuibus velari corpora plumis:
Cum Tritoniacam Nouies subiere paludem.

Ad Nouenarij mæstitiam demonstrandam illud non omittendum quod de Phyllide fabulatur Hyginus dicens: Demophoon Thesei filius in Thraciam ad Phyllidem venisse dicitur, & ab ea esse amatus, qui cum in patriam redire vellet, fidem ei dedit se ad eam rediturum. Qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur Nouies ad littus cucurrisse, quod ex ea Enneados græce appellatur, & ob desiderium Demophoontis expirasse. Ad diuina. pag. 339. 11. *L. sed quia per peccatum Adæ, sub potestate diaboli dicimur esse constituti. ille enim ex hoc iure potestatem habuit in omnes existentes in originali, vel mortali peccato; vt si qui in eo decederent, eos in infernum detruderet. Neque sine &c.* pag. 340. 16. *deturbaße. A. vsque eo* Infernali mundo *addictus est Nouenarius, vt Gregor. super illud Matth. cap. viij. Eijcientur in tenebras &c. totidem damnatorum pœnas enumeret, dicens: In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebrę palpabiles, flagella cœdentium, horrida visio dęmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Nonnulli ex diuinis litteris hęc colligunt inferorum supplicia, nempe carcerem, mortem, iudicium, iram Dei, tenebras, indignationem, tribulationem, angustiam, fletum, & stridorem dentium. Totidem quoq; faciunt inferorum habitacula, Gehennam, portas mortis, vmbram mortis, puteum inte-*

ri-

ritus, lutum fecis, perditionem, foueam, infernum inferiorem, lacum in quo non est aqua. pag. 344. 27. enatare. A. Corpus enim cum vndique humore opple- ri contingat, atq; aquarum pondere degrauari, sursum eniti nequit, quandoqui- dem nihil aeris in se continet, omnisq; spiritus per aquę gurgitem excussus est, atq; euanuit, intra Noni verò diei spatium corpus diffluit, soluitur, ac tabescit, multumq; aeris pulmo concipit. pag. 345. 17. L. quippe quod in eo magnam mutationem subeant homines. nam vel calumnijs impeti solent, vel grauissimis morbis diuexari, vel periculis obijci, vel deniq; aliquod perpeti detrimentum, ac iacturam vel facultatum, vel valetudinis, vt qui &c. pag. 347. 21. L. Mar- tis ex humani corporis partibus pudēda sunt dedicata. Et 24. in marg. A Per- sius sat. 1. 31. in marg. A. lib. 4. pag. 348. 9. L. improbitatem, vt Apuleius acerbitatem morum per Scorpium notet, vbi illa: Nosti quendam barbarum nostræ ciuitatis Decurionem, quem Scorpionem, præ morum acritudine, vulgus appellat. De insidijs verò, quæ post aliquam felicitatem subsecutæ fuerint, Si- donius de fortuna loquens ait: Quæ virum, vt Scorpius, vltima sui parte percus- sit. Quin & Mathematici, vel Ambrosio teste, percussorem, & ad inuadendum ex insidijs promtum eum futurum dicunt, quem Scorpius nascentem exceperit. Diuina verò oracula Scorpij nomine quandoq; intelligunt desperationem, quod doceri potest verbis Christi apud Lucam cap. 11. dicentis: Si quis patrem pe- tierit ouum, nunquid porriget illi scorpium? Vbi D. Augustinus ad Probam: Ouum, inquit, est spes, quia ex ouo speratur pullus. Si quis ergo a Patre cælesti petierit ouum, hoc est, donum & gratiam spei, nunquid porriget illi scorpium, hoc est finalem desperationem? Aliquando etiam per scorpium indicant diabo- lum. pag. 349. 5. L. Marti vt res bellicosa habeatur hic numerus, quod ab Ho- mero significatum arbitror Iliad. H.

Leuin. Lemn. de Occul. nat. l. 2. c. 6.

de Asino aureo lib. 9.

Surrexere Nouem ad pugnam, sic Nestore fato.

Sed id magis colligitur in sacris oraculis ex Nouem regnis. 27. in marg. A. Georg. 4. & Aen. 6. pag. 350. 1. L. animarum sedes, quas Virgilius Nouem cir- culis complexus est. primus circulus, infantium animas continet. alter eos qui falsò damnati sunt mortis crimine. tertius qui vitam perosi, semet ipsis mortē consciuerunt. quartus, qui amore capti perierunt. quintus, viros fortes. sex- tus sontes scelestosq; homines complectitur. in septimo circulo animæ sunt bea- torum. in octauo purgantur animæ. nonus circulus purgatas animas recipit. Hic 20. celebrabant. A. Nicolaus Leonicenus in varijs ex Athenæo lib. 3. 64. Memi- nit etiam Aelianus sophista in varijs; & in Animalium historia post reliqua: Nouem (inquit) diebus lapsis, vnam forma insignem ex pelago Lybico spectari aiunt reuolantem, quæ non sit quemadmodum reliquæ gregales liuiæ columbę (sic habet Gillij translatio) sed rubra, qualem nobis Anacreon canit esse Vene- rem; cum eam quodam loco purpuream, & auro similem canit. Hanc cetera- rum greges sequuntur, & rursus Erycini reuersionis dies celebrāt. Scribit idē Aelianus quòd Formica 23. L. quam Petrus Diaconus mortē designare scri- bit.

Virg. Aen. 6.

bit. nam cuius nomini Imperatores eam apponebant, supplicio afficiebatur. Eandemquoq; in sepulcris poni solitã refert Isidorus, quod 27.*vt A. cum suorum numerum recenserent* 30.in marg. *A. lib.7. epigr.* pag. 351.32. *fuit A. Adhuc etiam hunc dierum numerum adhibuerunt Romani in supplicationibus ad deorum iram placandam, auxiliumque impetrandum in rebus aduersis ob certum euentum, de quo ritu scribit Liuius decadis primę lib. primo: Nunciatum Regi Patribusq; in monte Albano lapidibus pluisse. Romanis ab eodem prodigio Nouendiale sacrum publice susceptum. mansit autem solenne, vt quãdocunq; hoc prodigium nunciaretur, feriæ per Nouem dies agerentur. vt patet tum alibi, tum decadis tertiæ lib.* 1.3.5.6. *&* 9. *Rursus lib.* 1. *dec.* 4. *Animalium obscœni fœtus pluribus locis nunciabantur. In Sabinis incertus infans natus masculus an femina esset. alter sexdecim iam annorum item ambiguo sexu inuentus. iussi in mare extemplo portari: sicut proxime C. Claudio M. Liuio Coss. deportatus prodigij fœtus erat. nihilominus decemuiros adire libros de portento eo iusserunt. decem viri ex libris res diuinas easdem, quę proxime secundum id prodigium factæ essent, imperarũt. Carmen præterea ab ter Nouenis virginibus cani per vrbem iusserunt. carmen sicut patrum memoria Liuius, ita tum condidit P. Licinius Tegula. Hactenus verba Liuij. Nundinam* pag. 352.7. in marg. *A. Festus dict. Faba. & Nonius dict. Lemures.* 14. *L. scribit H. i on Armenus historia de Tartaris cap.* 3. *sic .n. ait: Cangius primus Can* pag. 354.30. *L. de hoc ritu loquitur Apuleius de Asino aureo lib.* 9. *dicens: Iamq; Nono die rite completis apud tumulum solennibus. Et poeta nobilis:* pag. 355.5. *cœnam illam A. ceu lessum plane tunc foret factum.*

DE NVM. X.

pag. 358.3. *rei. A. quemadmodum .n. dicatæ sunt aures memoriæ, frons pudori seu genio, digiti Mineruæ, genua misericordiæ (nam & supplicantes ad genua cadunt, eaq; tangunt), eodem mysterio dextera fidei consecrata.* pag. 358.17. *confirmantur A. Ceterum quod ad dexteram pertinet manum, illud notandum (vt alibi attigimus) morem adorantium esse, & hunc quidem vsitatissimum, vt manum dexteram ori admoueant in veneratione deorum, & cultu. Apuleius in Apologia in hunc sensum sic scribit: Si fanum aliquod prętereat, nefas etiam adorandi gratia manum labris admouere. Plinius lib.* 28. *In Adorando, inquit, dexteram ad osculum referimus. Idem lib.* 11. *refert religionem quandam esse in dextera, quæ, vt diximus, in fide porrigitur, & osculis auersa appetitur. & nunc quoq; solent Antistites, dextram auersam adeuntibus religiose osculandam porrigere.* pag. 360.5. *coarctarunt. A. vnam quidem formarum, habituum, & bonorum; alteram priuationum, malorum, & eorum quæ habent indefinitam, & indeterminatã naturam,* pag. 365.25. *L. transferendæ; sed vt sunt suis characteribus, veluti diuinis quibusdam notis religiose conseruãda, quod Magi etiam diuinorũ periti præceperunt in vnaquaq; lin-* gua

Seruius in Eclog. 6.

Gellius l. 10. c. 4.

gua. Vniuersam.n.Zoroastris sapientiam,quam Plato in Alcibiade diuinam ap pellat,& in Charmideanimorum corporisque curatricem, non alia re magis,q̃ nominibus constare dicunt. Quare in Cratylo pag.370.9. in marg. *A.Lib.6.* pag.372.23.*possumus A.dum in Timæo physica naturalique ratione de filio Dei verba faciens,inquit: Decussauit eũ in vniuerso, seu in Mundo eum X litteræ instar posuit,Decussare enim est ad decussis signum redigere,& res eo ordine collocare,vt inter se litteræ X speciem præbeant,& quattuor propositis,tertium secundo,& quartum primo respõdeat (S.Andreæ crucem vulgò uominãt.) Hoc autẽ a libris Moysis mutuatus protulit,in quibus scriptũ est, cum ex Aegypto Israelitæ exissent,essentq; in solitudine,eis bestias,quæ venenũ euomerẽt, occurrisse viperas, aspides,omniũq; serpentũ genera,quæ populũ interficerẽt.Moysenq; ipsum afflatu uiq; diuina æs sumsisse,ex eoq; figurã crucis fecisse, fixisseque in sancto Tabernaculo,tumque dixisse populo,Si figuram respexeritis, & credideritis, eius vi salui & incolumes eritis.quod cũ a populo perfectum esset, serpentes quidem periisse scribit,populum autem effugisse mortẽ.* 30.in marg. *A. Socrates lib. 5. cap. 17. Sozomen. lib.7. cap.15. Niceph.lib.21.cap.26.* pag.373.30. *essem. A. Liuius scribens de matre filium initiatura bacchanalibus, sic refert: Decem dierum castimonia opus esse. Decimo die cænatum deinde pure latũ in sacrariũ deducturã. Idem docet eũ qui initiari volebat per aliquot noctes secubuisse a feminæ complexu, religionis caussa. Hinc illud Propert.*

Num.21.

Cynthia iam noctes est operata Decem.

pag. 376. 2. *L. Adhuc & primo Reg. xvij. Dauid a patre suo cum ephi, trium scilicet modiorum mensura polentæ, cui mysterium sanctæ trinitatis inest,& Decem panibus, & Decem formellis casei ad requirendos fratres suos missus est: quia Christus cum decalogo legis, & mysterio trinitatis venturus erat ad membra sua visitanda, & genus humanum de potestate diaboli liberandum,& cap. xxv. Dauid 22.L. diebus.Decima die mensis agnus sumebatur electus de grege,ad significandum quòd sanctissimam Eucharistiam suscipere volens,Decem legis præcepta obseruare tenetur Luc.*

Aug. de Tpe.Ser. 197.

Exho.12.

DE NVM. XI.

pag.379.3.*notans. A. Adam*

Seth	*Cain*
Enos	*Henoch*
Caynan	*Irad*
Malaleel	*Mahuiael*
Iareth	*Mathusael*
Enoch	*Lamech ex*
Mathusalem	
Lamech	*Ada* — *Zela*
Nohe.	*Iabel Iubal* — *Tubalcaim Noema.*

be-

21. *benefacientem.* A.

Deterior omnis est coniunx viro suo;
Vel si celebrem habeat deterrimus.

Concinit Menandri pag. 380. 6. *matrum.* A. *Obiter illud in transcursu notauero bonos ac beatos spiritus nisi in specie viri in Mundo, & nunquam in specie muliebri apparuisse, quod sæpe malignos spiritus facere testatum reliquit Gulielmus Parisiensis.* pag. 381. 29. *L. iustus. Decem tribus, & rex Syriç conuenerunt in vnum ad regem Iuda funditus extirpandum. queadmodum fuerat prophetatum per Esaiam. sic enim intelligitur illud. cap. vij. positum: Requieuit Syria super Ephraim. Psalmo.* pag. 384. 5. *imperfecti. A. Quapropter quem Dauid, ex ea quæ Vriæ fuerat, per adulterium susceperat filium, eum neci dedidit Deus, vt filij adulterorum (veluti imperfectissimi) non essent vitales. Post istum verò progenitos haud sustulit, eò quòd hanc, post Vriæ cędem, vxorem domum duxisset.* 8. *inhabiles. A. Videas & Moysen sacrum veritatis interpretem iubentē, vt is, qui natus est ex meretrice, non ingrediatur Ecclesiā. significans eum, qui pro vno solo, qui est Deus, multos falso nomine Deos sibi adscribit; sicut is qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi patres, ob veri patris ignorationem.* 9. in marg. *A. Deut. xxiij. dist. lvi. si gens Anglorum.* 17. *L. est illud Horatij carminum lib. iiij. Ode quarta.*

Iustinus Martyr q. 78.
2. Reg. 12
Deut. 23

Fortes creantur fortibus
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenuerunt Aquilæ columbam.

Et Atticismus. 28. *L. detur. Muli. n. cognomento adulterino conceptu natum nemo non appellat, quod non tam seculi nostri mos est, quàm remotioris etiam ætatis. quandoquidem prisci ea de caussa Mulos Lunæ vehiculo adhibuerunt; quia veluti Mulus, non suo, sed alieno genere creatur; sic ea Solis, non suo fulgore lucet. Antiquitus autem inter portenta Eleis Muli fuerūt, vsque adeo, vt animal id intra fines ali religio esset, quemadmodum in prioribus Eliacis memoriç tradidit Pausanias. Iam verò cum claudi nomen plerique omnes & infelicem habeant, & in negocijs obeundis horrescant, vtpote contrarium efficaciç, scitè admodum Lacedæmonij.* 29. in marg. *A. Plutar. in vita Lysandri.* 32. *audiret. A. Hæc sunt Oraculi carmina a Romulo Amasæo in Latinum conuersa.*

Pomp. Festus.

Sparta caue, quamuis te maxima gloria tollat,
Heu tibi ne claudus recti cruris noceat rex:
Tunc inopinatos longum patiere labores,
Letiferiq. vndam miscentem cuncta duelli.

Pausan. i Laconic.

Quæ quidem in Agesilaum ab Apolline dicta contendebat Leotychides, quod altero ille pede claudicaret. At Agesilaus in Leotychiden retorquebat, quod non legitimus esset. pag. 385. 7. *ponderari. A. & mensurari.* 12. *L. spatium. sane quidem Aegyptij mensuram ex digito posito ideo significabant, quod tota*

metiendi ratio à digito principium capiat. mensura enim (vt apud Aristot.) a minimis ordiri debet; atqui digiti sunt omnium membrorum minimi. Veteres enim ab humanis membris mensuram inchoarunt. quo fit, vt certa exactaque digiti dimensio, quæ pari sit apud omnes mensur, nusquam reperiri possit, sed proportionis potius regulam, modumve quendam, quàm certum vllum mensuræ terminum ostendere videtur digitus, & quæ ab eo spithamæ mensura desumitur. quippe quod a digiti auricularis vngue ad extremum vsque pollicem occupamus, id spithamę dicitur, quam quidem. 13. in marg. A. Budeus lib. I. de Asse.

DE NVM. XII.

pag. 393. 21. ponit. A. Acanthis auis minima Duodenos simul parit pullos, Plinius. pag. 394. 6. constitutum. A. Neque tamen omittendus est Onager asinus ferus. hic enim (vt retulit Albertus magnus) decimoquinto die mensis Martij Duodecies rudit in nocte. & Duodecies in die æquinoctium indicans. pag. 397. 4. fidelium.. A. in bobus enim prædicatores Euangelij signari Paulus aperte testatus est, dicens: Qui bene presunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina. dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. &, Dignus est operarius mercede sua. 29. septimo. A. Apostolorum sacramentum habebant Duodecim gemmæ, cum suis sculpturis, quę in Aaronis sacerdotis tunica talari circum rationale, quod vocant, intexebantur. quibus insculpta fuerant Duodecim Patriarcharum nomina, notata Diuinis litteris naturarum Diuinarum monumenta; quia Apostoli, vt Gēmæ illuminaturi erant sacrā Ecclesiæ vestē, quā induit Christus Pōtifex Patris. Quin illud etiā quod traditū est Exhodi c. 39. Duodecim Tintinnabula ex eadem Pontificia veste talari suspensa esse, Duodecim Apostolorum a virtute æterni Sacerdotis Christi dependentium (quorum voce vniuersa terra, gloria, & gratia Dei, & Christi eius repleta est) symbolum, signumq; fuere. quamobrem & Dauid ait: In omnē terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Verum enimuero ad eundem modum designatus. pag. 398. 32. maluerunt. A. Hæc de Duodenario dixisse sit satis, si illud superaddatur, Duodecim, loquendi compendio, intelligi leges Duodecim tabularum, quæ versibus erant compositæ. Vnde Cicero lib. ij. de Oratore: Discebamus. n. pueri XII. vt carmen necessarium, quas iam nemo discit. & alibi apud eundem: Iam cætera in Duodecim, minuendi sunt sumtus, lamentationesq. funeris, translata de Solonis fere legibus.

De animalibus. lib. 22.
1. Tim. 5
Deut. 25
Matt. 10.
Luc. 10.
Exho. 28
Philo li. quis rerū diuin. hæres.
Hier. epistola. 58. ad Dam.
Tertull. lib. 4. in Marcio.
Iust. Martyr lib. de veritate christ. relig.
Psal. 18.

DE NVM. XIII.

pag. 399. 19. L. vsus est Homerus Gentilium Theologus, dum Martem belligerantium Deum canit Tredecim mensibus in vincula coniectum.

Et

Et Mars sustinuit cum Otus, fortisq; Ephialtes — Iliad. li. 5
Hunc nati rigido vinxerunt vinculo Aoli,
Mensibus his dolio Tredecim vinctus aheno est.

eundem numerum taxauit Theocritus. pag.400. 11. *huomazzo. A. eodem id pertinet, quod à Cicerone dictum est oratione pro A. Cecinna, vbi Cesenniã testem, non tam auctoritate, quàm corpore grauem dicit: nempe volens intelligi hominem ignauum fuisse, & qui non plus sapiat, quàm rana gyrina. Ad huius numeri infelicitatem illud etiam referri potest, quod apud Gallos Decimustertius mali, & infausti ominis habetur in conuiuarum, seu inuitandorum numero, ita vt vnum aliquem conuiuam eo anno moriturum esse superstitioso mentis errore nonnulli sibi persuadeant, vt testatur Petrus Menenius in Eunucho Terentij. Quamobrem si quando accidit, vt Tredecim ad vnam mensam accumbant, vnus illorum surgere, atque discedere mali illius ominis euitandi caussa cogitur. Vidi ego quoque, cum Venetijs essem, nonnullos qui ob id ad conuiuantes duodecim numquam accedebant, ne numerum dictum complerent. Hæc adnotare malui, quàm præterire, quæ si cui leuia, superstitiosaq; videntur, is putet idem me sentire, sed cui nihil leue placet, graues opinor sibi compedes optaret. Ab his igitur receptui &c.* 12. in marg. *A. G. Genebrar. chron. lib.* 1. 18. *dicentes. A. Quis dabit nobis carnes ad vescendum? venerunt.* 23. *L. consumsit. Interea ventus, arreptas trans mare coturnices in castra Israelitarum detulit, qui cum se coturnicum ingluuie intemperantius ingurgitasent, carnesq. essent inter dentes eorum nondum concisæ, & confectæ, tum furor Dei exarsit in populum, percussitq. eum plaga grauissima, & vocatus est locus Cibroth Hathaauah, seu Sepulchra concupiscentiæ, quia ibi sepelierunt populum, qui concupierat. Et quia.*

DE NVM. XIV.

pag.401. 18. in marg. *A. Virg. Georg. primo.* 23. *L. cur Synodus Nicena decretum fecit, vt festũ Paschatis non celebraretur Decimaquarta Luna, sed Dominico die, qui plenilunium, seu Decimãquartam Lunam primi mensis (quẽ terminum Paschalem vocant) proxime sequeretur, quòd non.*

DE NVM. XVI.

pag. 411. 28. *solebãt. A. Huius numeri perfectionem expreßit, & Seruius in libro commentariorum in Aeneid. Virg. vij. dicens morem Romanum fuisse, vt post pubertatem pueri armis exercerentur, vt anno Sextodecimo militarent. Nec omittendum, quòd pueri impuberes, & ingenui, quasi pueritiæ annos egreßi, posita toga puerili, siue purpura prætextata, aliud togæ genus, quæ & virilis, & pura, siue candida fuit dicta sumebant Sextodecimo ætatis anno, qui annus tyrocinij dicebatur, vt coniectura consequi possum ex Tran-*

quillo, qui sic in Augusto scribit: Quadrimus patrem amisit, duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio post virili toga sumta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est. Admonebantur autem pueri veste illa candida, vt puerilibus nugis, atque ineptijs valedicentes, vitæ, morumque candori, ac puritati studerent. Erudite. pag. 412. 8. *in marg. A. Horatius in Arte poet. 18. anno. A. illud non est visum silentio prætermittendum Iunonem ab Antiquis matrimoniorum præsidẽ appellatam, vt apud Virg. Aen. lib. 4.*

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Et Ouid. in Phyllidis Epist.

Iunonemq. thoris, quæ præsidet alma maritis.

Cum verò multis in locis magnâ religione coleretur hæc Dea, præcipue tamen apud Elios (vt lib. quinto testatum reliquit Pausanias) quinto quoq; anno matronę xvi. ludos instituebant, qui Iunonia dicebātur. In his cursus certamen Virginibus proponebatur, in classes ex ætate descriptis. primę enim currebāt impuberes puellę, tum grandiores, postremò natu maximæ. Matronæ xvi. ludis pręerant, totidem his ministrę attributæ erant. Idem lib. vi. refert in foro Eliorum Sexdecim fœminarum (tot. n. erant, & sic appellabantur) domus exstitisse, quæ Iunoni peplum contexebant. pag. 413. 12. *argumentum. A. Hoc autem magis peruium fiet, si mensulam Pythagorę descripserimus.*

1.	2	3	4	5	6	7	8	9	10
2	4.	6	8	10	12	14	16	18	20
3	6	9.	12	15	18	21	24	27	30
4	8	12	16.	20	24	28	32	36	40
5	10	15	20	25.	30	35	40	45	50
6	12	18	24	30	36.	42	48	54	60
7	14	21	28	35	42	49.	56	63	70
8	16	24	32	40	48	56	64.	72	80
9	18	27	36	45	54	63	72	81.	90
10	20	30	40	50	60	70	80	90	100.

Qui in hac numerorum dispositione inueniuntur angulares, hoc est, qui ab vnitate posita in primo angulo ad angulum directe oppositum, quo signatus est 100. *diametrum numeralem complent, quiq. in ea reperiuntur semita, qua ab vnitate ad* 100. *directa, & nusquam se deflectens fieret progreßio, & per quos transiret linea, quæ ab angulo vnitatis ad angulum centenarij contrapositum*

situm protraheretur, sunt tetragoni, puncto notati, quo ab alijs discernantur: circum ipsos verò, qui sunt, idest, circum angulares longilateri numeri sunt. Ex hac, inquam, proprietate Pythagoras ostendit quadratos virtutis propemodum esse æmulos, quod ab vnitate numerorum omnium fonte sumentes exordium, neque ad dextrum, neque ad sinistrum se se deflectunt, sed mediam viam rectitudinemq. diametralem tenentes, in vnitatem centenariam decumbunt, à qua rursum eadem via ascendendo, in primam indiuiduamq. vnitatem reuocantur. Quę quidem series via vitæ, & virtutis appellari solet. Vt.n. virtus omnis in mediocritate, ęqualitateq. consistit; sic quadrati æqualibus sunt contenti lateribus. Altera autem parte longiores vnum habent latus abundãtius; alterum verò cõtractius, non aliter quàm vitia in exsuperatione, defectioneue consistunt. Hinc vir bonus à Pithagoręis vocabatur tetragonus: quippe, qui à medio virtutis calle, quem vndique vitiorum circumstant anfractus, ne alba quidem linea discedit; quemadmodum neque tetragoni, quos vndique in hoc diagrãmate circũstant longilateri, a sua eaque media absunt semita. pag. 414. 18. *L. Sextumdecimum, agens annum (vt Suetonius tradit) reipublicę munera gerere aggressus est. In Genesi.* pag. 415. 29. *L. Hieronymus. Hęc sane plusquam satis videri possent ad numeri, quo de agimus, præstantiam demonstrandam, nisi quę ad eius laudem pertinent, duo adhuc alia nobis obuiam fierent. Aegyptijs siquidem sacerdotibus felicitatis symbolum fuit numerus Sextodecimus, idq. non leui de caussa. Sexdecim enim cubitis crescit amnis Nili ad felicitatem. Exstat Romę marmoreus Nili colossus, cuius gestus est, vt corpore reliquo decũbente, caput manu dextera sustineat; cubito ad basim appresso; manu altera aquã ex tribus vrnis, vna tantũ ansa coniunctis effundat; ad hæc pueri numero Sexdecim circumfusi, hac & illac per vniuersum corpus lusitantes. Profecto tres vrnę, tres significant caussas incrementi Nili. pueri Sexdecim, totidem cubitis fertilitatem pollicentes. si enim infra quindecim subsederit auctus, bona Aegypti pars non irrigatur, ac perinde redditur ad serendum inutilis; si supra Sexdecim attollatur, quanto altius inturgescit, tanto magis fames exspectatur, quia diutius aquis immorantibus, serendi præterit tempus, neque sata possunt ad frugem maturitatemve peruenire. Auctu demũ in Sexdecim cubitis consistente, omnia ex voto succedunt, seminibus late iactis, & opportuno tempore maturatis. Hunc denique numerum constat ex illorum esse classe, qui multitudinem excessumue significent. vt si quis prelocutus Ciceronem longo interuallo reliquos omnes post se relinquere, dicat, Opulentã quidem, & vberem esse Quintiliani dictionem, verum hanc Sexdecim pedibus superare, sumta nimirum metaphora a stadijs cursorum. Aristides in communi defensione quattuor Rhetorum, Eupolin comicum hęc de Pericle scripsisse refert: Eupolis quasi non iam comicus, sed ex optimis viris vnus esset, integrũ dedit Pericli, ac sincerum testimonium, dicens illum Oratores Sexdecim pedibus in dicẽdo superasse, atque in vnius illius labijs insedisse suadelam quandam. cetera verò omnia nugas prę hoc fuiße. Locus autem hic de Pericle est*

Pier. Valer. li. 46.

apud

apud Eupolin in Demis, cuius hęc est Latina sententia.

Hic inter homines plurimum vnus polluit
Dicendo, quoties præteribat, vti bonus
Agilisq; cursor, Sedecim spacio pedum
Liquebat a se cęteros iam Rhetores.
Sermone celer erat, celeritati aderat huic
Suadela quædam illius insidens labijs.

DE NVM. XVII.

pag. 416. 11. *Fastis. A. Diemquoq; Decimum septimum mensis Martij inter tristes numerabant, in quo cultores matris deorum plangere & lamentari incipiebant, vt annotauit Alexan. Neap. lib. iv. cap. xx. Genialium dissertationum.* 12. in marg. *A. Alex. lib.* 3. *cap.* 7. pag. 418. 13. *cap. xi. A. Eademquoq; mensis die post natum Christum anno vigesimotertio supra millesimum quingentesimum Neapoli tantæ fuere tempestates cum pluuijs & tonitruis, vt arces multæ, & pagi, atq; ingentes arbores corruerent, & loco amouerentur.* 25. *veneratus A. fuerat* pag. 419. 2. *Contremuere A. Anno* 1361. *cum Italiam horridißima frigora vexassent efflante perpetuo Septentrione, quem Boream nuncupamus, tandem die xvij. Ianuarij Galliæ Cisalpinę ac Taruisinę regiones niuium copia glacieq; riguerunt vsq; adeo vt Padus iumentis ac bobus oneratis plaustris & thrais Ferrarię peruius esset, multisq; diebus innauigabilis. Quin & Venetijs canales, stagna, & paludes circum quaq; quàm vnquam post hominum memoriam fuissent rigida effecta sunt, nec non germina magna ex parte præ nimio frigore sunt exusta.* 7. in marg. *A. Hist. tripart. lib.* 12. *cap.* 10. pag. 420. 1. in marg. *A. lib.* 4. *cap.* 22.

Cyp. Manen. hist. lib. 8.

DE NVM, XIIX.

pag. 423. 21. *mereretur. A. Hic igitur numerus liberationis a malo cũ corporis tum animæ potentifica Dei virtute nobis innuit beneficium. Addamus et illud Octauo supra denariũ numero significari trinitatis fidem cum operibus, vt Rupertus Abbas declarat cap.* 19. *libri tertij comment. in libros Regum eo loco: Finxit duas columnas æreas Decem & octo cubitorum altitudinis. vbi ait: Numerus iste ab omnibus adorantibus in templo Domini, fidem simul & opera certatim exigit. decem quippe præcepta sunt legis, octauo die Christus resurrexit, octauo inquam die quo & circumcidebatur infans, quæ circumcisio signaculum erat iustitiæ fidei, quam in Abraham Deus amicitia sua remunerauit. Item numerus iste altitudinis sub ternario, senarioq; continetur. ternarius trinitatis fidem, senarius, quo Deus opus Mundi explicuit, operationem significat. Vt ergo & recte credamus, & bonum ad omnes operemur, singulæ columnarum communibus exsurgunt numeris.*

3. Reg. 7.

DE NVM. XX.

pag.426.25. *dedisti A. Deniq; Vlyss. lib.22. describens* Scyllam & Charybdim *periculosos Siculi maris scopulos, hæc canit.*

Hic duo sunt scopuli, præacuto vertice cęlum
Hic adit, asiduè tegitur qui nubibus atris.
Nulla serena dies hic est, non tempore mesis;
Nec quando apricis liuent in collibus vuæ,
Nec si Viginti manibus, pedibusque vir vllus
Scandere nitatur, poterit: non inde redire.

Græci quibus, vt sępe diximus, litteræ numeros faciunt, Vicenalem notant elemento K, quod mali ominis nota fuit, vnde in prouerbio transijt, Duo Kap*pa hominem malum indicant (nam gemino Kappa scribitur* κακὸ*, quod malum significat) tria Kappa pessima sunt, pessimi scilicet hominis inditia. quo quidem ęnigmate trium gentium mores notati, nempe Cappadocum, Cilicum, & Cretensium. Est vetus & cunctis iactata parœmia vulgo, Cretensis Cretensem, scilicet, prouocat, quoties inquam improbus agit cum improbo, perfidus cum perfido. quod palam testatur Epimenidis versiculus, quem Paulus Apostolus aduocat, Cretenses semper mendaces, malæ bestię, ventres pigri. Infames fuerunt & Cilices immanitatis, & crudelitatis nomine, ob assiduas hospitum deprædationes, & piraticam quam semper exercebant, vsque adeo vt cũ omne internum mare latrocinio insedissent, purpureis sint velis vsi, auratis rudentibus, remis argento præditis. Antiquorum traditur mos, vt in capitis iudicio per* K, *seu* Θ *in vrnam coniectas litteras, signum mortis, & capitis supplicio afficiendum notarent; per* T, & A, *absolutionis; per* Λ, & N, *prolationis, & diem diffundi, cum parum sibi liquere de caussa significarent. Ne quid scitu dignum prætereamus quod ad Kappa pertineat, illud adiecero quod annotauit Valerius Probus lib. de litteris antiquis, nec tacuit Isidorus lib.* 1. *Ety mol. cap.* 22. *duplici* K K *vel* K C, *significari Calumniæ caussa. Quo fit vt huiusmodi nota calumniatorum frontem ignominiæ caussa inustam existimemus, qua significaretur accusatorem fuisse calumniatum. Pœnam siquidem calumniæ fuisse fronti inustam notam significat Plinius in Panegyrico dicens: Neq; vt antea exanguem illam, & ferream frontem nequicquam conuulnerandam prębeant punctis, & notas suas rideant, sed spectent parta damno præmia. Cicero litteram illam, quæ calumniatoribus affigebatur, dicit accusatoribus inimicam in oratione pro Sex. Roscio: Si ego, inquit, hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam & alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis. Ex his plane* pag. 428. 10. *Chanaan. A. Viginti seruos habebat Siba, ij. Reg. ix.* 30. in marg. *A. Theodoretus com. in cap 4. Ezech.* pag. 429.6. *L quantitatem. Certe illud manifestum est Septuaginta interpretes existimasse siclum sanctuarij, & vulgarem pares fuisse pondere, & vtrumq; duarum*

Tit. 1.
A Sabel. L. 8. c. 7.
Alexan. Neap. li. 3. c. 5.
Turneb. aduer. li. 8. c. 22.

drachmarum pondus habuisse ; cum tamen ex autoritate Iosephi. D. Hierony-mi, & aliorũ constet siclum sanctuarij drachmas quattuor appendisse. Adeoq; Septuaginta interpretibus arrisit didrachmę vocabulum, vt si drachma esset nunciandum, didrachmæ dimidium potius, quàm drachmam vnam, aut sicli dimidium ponerent, cuius facti rõnẽ legas apud Hesychium Hierosol. libro eius septimo in cap. 27. Leuit. Viginti virorum &c. 11. L annos ad resipiscendum Deus hominibus dedit ; sed cum nihilo meliores euaderent, noluit Deus 14. L amputatis, anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato, cataclysmum illum terribilem induxit, & omnes aquarum inundatione submersit. 29. reliquissent. A. Quapropter id per admirationem Diuina scriptura designauit, dicens : Et mortuus est Aran ante Thare patrem suum in terra natiuitatis suæ. Gen. cap. xi. Nec pag. 431. 4. *Superẽtur. A Adde Viginti stipẽdia militẽ facere veteranum, & vacationẽ militiæ præstare. 29. sunt. A. D. Thomas ad illud Apoc. cap. ix. ex vulgata editione. Numerus equestris exercitus, vicies milies dena milia. Hic (inquit) agitur de numero equitum diaboli, & ponitur iste numerus propter mysterium. Equites enim huius exercitus sunt dæmones: equi sunt praui homines. quandoquidem equites faciunt hæreticos, quibus præsident, simulare se perfectos in obseruantia præceptorum, cum hæretici transgrediantur præcepta, per hoc ergo quod dicitur: Dena milia, ostenditur simulatio perfectionis in obseruantia decalogi. per millenarium enim perfectio, per decem verò decalogus præceptorum, at verò per numerum additum, scilicet, Vicies milies, ostẽditur defectus perfectionis, quia Vicenarius numerus eò quòd recedat a denario, sicut binarius ab vnitate, signat transgressionem decalogi, & omissionem perfectionis significatę per milies. Vel ita intellige cum Glo. per dena milia signari bonos, qui verè habent perfectionem obseruantiæ decem mandatorum: per Vigies, malos, quia plures sunt bonis mali, & quia vicenalis numerus sic se habet ad denarium, sicuti binarius ad vnitatem. vnde sicut binarius ab vnitate recedẽs, signat transgressionem; pari analogia numerus de quo agimus, recedens a denario, signat transgressiones decalogi. Hæc quidem hactenus de Vigenarij tristitia ex mente nostra dicta sint, si illud adnotauero, in crimine adulterij deprehẽsum posse per Viginti horas detineri. vt legitur. ff. de adul. capite.*

DE NVM. XXI.

pag. 435. 15. *diebus A. panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinũ non introierunt in os meum. Tres 22. &c. A. Porro princeps regni Persarum est intelligentia pręsidens. Angeli enim (qui cuiq; creaturæ a Deo prout diuinę prouidentię libet, pro custodibus dantur) defendunt creaturas sibi creditas contra alios Angelos datos alijs creaturis. & qui ex illis victor extiterit, statim creatura commissa victori superat creaturam creditam angelo victo. ad quod spectat conclusio illa cabalistica Io. Pici: Non ponitur rex terrę in terra, quin prius humilietur militia cęlestis in cęlo. quamobrem Angelus custos Persa-*

Archãg. de Burgo nouo dogm 46.

sarum per dies vnum & viginti restitit Gabrieli, ne populus Hebraicus a ser uitute Persarum subduceretur.

DE NVM. XXII.

pag.439.13. *Excedat. A. multiplicato enim numero circumferentiæ per septem, & diuiso per xxij. nascitur in quotiente diametri numerus; quemadmodum multiplicato numero diametri per xxij. & producto diuiso per vij. prouenit circumferentia. quo plane mysterio Hebraicum quoq;.*

DE NVM. XXIII.

pag.441.27. *initiati. A. seu consecrati fuerant Baali Peor, idest, idolo nudo, seu Priapo (de quo D. Hieronymus cap.4. & 9. Oseæ.)* 29. in marg. *A.* 1.*Cor.* 10.pag.442.19.in marg. *A. De numero litterarum consule Origenem Hom.2. in Num.*

DE NVM. XXIV.

pag.448.19. in marg. *A. Hostien. Rub. de Ferijs.* 20. *mancipauerimus. A. vel hinc ostendentes non esse cur amplius corporeum Solem, vt olim Gentes, colamus, quasi regem cœli, & dominum, atque moderatorem, postquam Sol inuisibilis coæternus Patri, per quem cœlum, & terra condita sunt, sitos in vmbra mortis homines illuminauit.*

DE NVM. XXV.

pag.449. 20. *existimantes. A. Hinc quidam principium anni assumunt a Vigesimaquinta die Decembris, autore D. Thoma.3.par.q.35.art.vlt. idq; ab Ecclesiis, cuius autoritas certissimam fidem habet, traditum est ex ipso Christianę religionis exordio, quod apud Hispanos, & in Romana Curia seruatur, vt notat Iohannes Lucidus lib. de vero die Passionis Christi, cap.3. licet vsus obtinuerit in plerisque regionibus, vt anni a Natiuitate assumant exordium a Kalen. Ianuarij. Sunt & qui a Vigesimaquinta die Martii annos dinumerēt, cuius moris meminit tex. in cap. In nomine Domini. dist.23. & Alphonsus rex Castellę in procemio Regiarum constitutionum, quod Septempartitum appellamus; sed id frequentius apud Venetos seruatur, quod dies Natalitius Venetiarum, teste Io. Baptista Egnatio, sit Vigesimus quintus Martii.* pag.450. 20. *temporis. A. Virgilii doctrina non paruam his autoritatem adiungit, dum ita super Verni temporis amœnitate canit Georg. lib.* 1.

Lib. 1. cap. 1

> Non alios prima crescentis origine Mundi
> Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
> Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat

Orbis, & hybernis parcebant Flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hausere, virumq;
Ferrea progenies duris caput extulit aruis;
Immissæq; feræ syluis, & sydera cælo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret, frigusq; caloremq;
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.

21. in marg. *A. Columella de Arboribus cap. v.* 22. *luminum. A. Quemadmodum enim reuolutio annorum alicuius ædificij, est reuersio Solis ad eundem locum in Zodiaco, in quo fuit in principio fundationis, quando scilicet ponebatur primus lapis; non dissimili modo reuolutio annorum Mundi est introitus Solis in signum Arietis.* pag. 452. 18. *L. producit. Vnde etiam omnia sterilia nasci dicuntur quinta Luna, veluti orcus, furiæ, gigantes.* 32. *L. ordinis. Obiter illud in transcursu notauero, ab ijs qui iam impatientes præsentium malorum, minantur semet in quoduis potius malum præcipitaturos, quàm vt perpetiantur, vsurpari solitum adagium, A quinque scopulis desilire in fluctus. Exstat Hesiodi lucubratiuncula pag.* 453. 2. in marg. *A. Galeottus Martius de doctr. prom. cap. xxxi.* 23. *exsuperans. A. Hieronymus Fracastorius lib. de diebus criticis, aliam affert quintæ Lunæ infelicitatem dum ait: Circa maris crementa, & decrementa, quos æstus vocant, maiores & ventos, & tempestates circa quintum Lunæ diem exsurgere nautis omnibus notum est. pag.* 454. 8. *L. sensuum, qui contagio quodam vitiantur, vnusq; alterius vitio libidineq; socium se præbet, vbi modum a natura præscriptum excedunt. sic visus noster, qui principem inter sensus locum tenet, lingua Aegyptia loquitur, quando mulieres ad concupiscendum aspicit, cædesq; & mortes hominum, vulneraq; & pugnas spectaculum sumtuosissimum sibi parare didicit. Gustus.* 29. *L. abducunt, quemadmodum olim & primos parentes. Menses quinq; quibus data est potestas locustis vt nocerent hominibus, significant quinq; sensus, per quos carnales excruciantur. Quinq; sunt ciuitates, quæ imbribus igneis cōflagrarunt, illud (ni fallor,)* pag. 455. 31. *admittentes. A. Altitudo maris ænei in quo lauabātur Sacerdotes templum ingressuri, quinque cubitorum fuisse describitur, vt videlicet hi quoq; accedere vel admitti debeāt ad baptismi lauacrum, quibus nulla vis vel ingenij vel scientiæ sublimitas inest, nulla præter quinq; sensus corporis est potentia, quales paruulos eadem die natos vix ipsis corporis sensibus functos Christiana fides baiulans ad matrem ecclesiam currit, & properat; nec eis hoc mare magnum accessibile esse nullatenus dubitat.* pag. 456. 10. *L porticus probaticæ piscinæ in quibus periclitantium turba languebat. Ipsi* 15. *conuiuium. A. Iuga siquidem boum sunt curiositas sensuum, quæ non absq; magno labore acquiritur, vaga inuestigando, atq; in eis delectando. sicut enim iugum premit ceruicem; consimiliquoque modo sensus rationem; singuli autem sensus iugum suum imponunt.* pag. 457. 7. *euangelium. A. In veteri testamento, quod fuit hircorum & vitulorum sanguine dedicatum, premit*

Apoc. 9. Obertinº de Casali. Gen. 19. Paul. orosius L. 1. cap. 5. 3. Reg. 7: Ruptus abbas cō. in libros Reg. L. 3. cap. 22.

te-

tebantur temporalia: in nouo autem testamento, quod ex Christi sanguine consecratum, promittuntur æterna. tunc perscriptum erat de homicidio: nunc vero ne cędere quidem ac verberare quęquam vlla de caussa licet. tunc mali facinoris finis saltem in iudicium veniebat: verùm modò id etiam quod ad finem mouet. Hoc confirmant 19. *L. adfirmantis. quò magis enim accedit finis Mundi, eò crescunt.*

De Celebr. miss. cũ marte ver. ceterum.

DE NVM. XXVII.

pag. 459. 13. *L. Quemadmodum autem Fortunæ sedem pingere volubilem veteres instituerunt: pari ratione sapientiam in quadrato statuebant, vt hanc firmam, & inconcussam indicarent. cumq; apud antiquos Mercurius sapientiæ deus haberetur, ideo Athenienses* pag. 460. 19. *vitietur. A. adeo vt digna Cedro dicamus quæ promerentur immortalitatẽ,* pag. 463. 27. *cubis. A. Apud Celium in antiquis lectionibus illud est obseruatum: Pythagoram, inquit, memoriæ proditur, eiusq; hæresin sequutos cubicis rationibus præcepta voluminibus esse complexos, constituisseq; cubum ducẽtorum sedecim versuum, eosq; non plures tribus in vna conscriptione esse oportere putauisse. Hanc autem similitudinem ex eo sumsisse, quod is versuum numerus (vti cubus) in quemcũq; sensuum insederit, immotam efficiat ibi memoriæ stabilitatẽ.* pag. 464. 3. *tonus A. Vnum adhuc de hoc numero cubo considerandum, quemlibet geometricum cubum habere puncta siue solidos angulos octo, quattuor scilicet ad quadratum superius, quattuor ad inferius; lineas vero ac latera gestare duodecim, quattuor in superiori quadrato, quattuor in inferiore, & quattuor in medijs; superficiebus autem sex ambi superiore, inferiore, dextra, sinistra, antica, postrema, ipsum denique corpus vnum. Vniuersi igitur cubi numerus est xxvij. Quo fit vt geometrici cubi numerus & mensura sit arithmeticus cubus. Quòd si hanc numerorum dispositionem expenderis, illas inuenies harmonicas proportiones quas numero xxxv. descripsimus.*

Lib. 18. cap. 17.

Latera	*Anguli*	*Superficies*
12	8	6
Sesquialtera		*Sesquitertia*

dupla

DE NVM. XXVIII.

pag. 469. 3. *singulares. A. Hinc veterum memorabilis scientia, paucorum numerum pro bonis ponere, multos contra appellare malos. Terent. in Eunucho. Si quisquam est, qui placere se studeat bonis, quàm plurimis. Lucan. Saty. lib. 13. Vnus modo de multis, qui ingenio sit. Affranius in Suspecta: Noli ex*

stultitia multarum credere esse animum meum. Actius in Epinausimache: Probis probatum potius, quàm multis forem. 20. in marg. *A. in Trinummo.* 32. *receptus. A. quemadmodum enim in Chio Dianæ facies de sublimi vertice spectabatur, quæ intrantibus tristis, & seuera; excuntibus hilaris, & iucunda videbatur: ita virtus in primo suo ingressu subacerba; in extremo suauis redditur, & iucunda. Nam virtus non Dianæ iam, sed Dei veluti quoddam est speculum, ad quem nemo potest nisi per ardua & difficilia aspirare. Angustam autem.*

DE NVM. XXX.

Cap. 7.

pag. 474. 4. *L. numerasti Plinius nat. Hist. lib. xxxiv. scribit Iani bifrontis simulacrum a Numa Rege dicatum, ad demonstrandam anni dimensionem, digitis ita figuratum, vt manu dextera trecentorum, & sinistra quinquaginta quinque numerum teneret. Ad hanc digitis subducendi rationem allusit Orontes Artaxerxis regis gener, qui cum ab irato Rege reiectus, & condemnatus esset, Quemadmodum, inquit, computandorum digiti nunc decem millia, nunc vnum significare possunt: eodem modo & Regum amici, nunc quiduis pollent, nunc quam minimum. Patet.* 10. *L. Hieronymus tum in euangelicæ tractatu sententiæ, tum lib.* 1. *in Iouinianum huius disciplinæ adiumentum assumere non dubitauit, xxx. Lx. C. tribus his numeris, tres in Euangelio expressos ordines, nempe coniugatorum, viduarum, & virginum, hac numerorũ per digitos intus descriptione, scripto relinquens. Vt enim virginum corona, quæ centenario numero significatur, ex circulo, quo in dextera unguis indicis in medijs artubus pollicis figitur. et viduitas, viduarũq; afflictio exprimitur ex indicis supra pollicẽ læuæ depreßionẽ: non dissimili mysterio Trigesimum numeri calculum ideo matrimonio addicunt, quod in eo numero leui contactu pollicis indicisq; vngues veluti exosculantes se coniungantur. hæc enim* 17. *L. vigentis ætas Trigesimus est annus, quod sane tempus Genean Græci idest vocant, quia orbis ętatis in eo sit spatio. Orbem autem vocant ætatis, dum natura humana ad sementem reuertitur, quod ex Zenonis, & Heracliti sententia annorum Triginta periodum conficit. Quibus assentire videtur Hesiodicum illud libri secundi eius operis, quod inscribitur Opera, & dies:*

Plutar. in Apophteg. regũ

Matth. 13 Mar. 4.

Aetate matura vxorem domum ducito,
Neq; multo maiorem natu Triginta annis,
Neq; multo minorem. Istę enim tempestiuæ sunt nuptiæ.

Licurgus cum & ipse certum tempus præscripsisset, quo puellæ nubere, iuuenes ducere deberent, interrogatus quamobrem id statuendum putasset: Vt, inquit, soboles ex adultis perfectæ ætatis parentibus nata, valida sit, & vegeta. Ex coitu siquidem præpropero non solum lędi corpora gignentium, verum etiã prolem nasci imbecillam. Tum qui ante tempus dant operam liberis, carere apud illos autoritate, quam ætas conciliat; rursus qui vergente iam ætate, nec

Plutar. in Laconicis.

nec frui liberis suis, nec eos posse ad perfectam institutionem perducere morte senioque preuenti. Licurgo concinit .pag. 476. 9. *duceret. A. Suetonius de Oct. Augusto: Iudices a Tricesimo ætatis anno allegit, idest, quinquennio maturius quàm solebant. Alexan. Neapol. lib. iv. cap. xi Genialium dissertationũ: Apud Bethynos, inquit, minorem annis Triginta in Senatum ascribere nequaquam licebat.* pag. 478. 18. *L. ingressuri, decem cubitorum fuit a labio vsque ad labium, & circuitus eius Triginta cubitorum. (hęc enim est geometricæ disciplinæ speculatio naturalis, vt cuiuslibet circularis amplitudinis diametrum triplicatum, totam fere perficiat eiusdem mensuram circuli, quod alibi pag.* 182. & 439. *demõstrauimus.) His quidẽ numeris fides subintelligitur, quã necesse est confiteatur quisquis lauandus accedit. Vnitas enim in secundo limite est* 10. *vti ternarius est* 30. *nos autem hac fide ante omnia opus habemus, quę catholica est, vt vnitatem in trinitate, & trinitatem in vnitate confiteamur, qua in confeßione baptizati sumus in Christo Iesu. Igitur decem cubiti latitudinis in triginta cubitorum circuitu, fides vel confeßio est, sine qua nullus, aut nihil est baptismus. Vnum quippe Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate baptizandus (vt iam dictum est) necessariò confitetur. Nec ab hoc mysterio alienum, quòd vas illud æneum fuerit trium millium batorum capax, quia corde creditur.* pag. 482. 22. *hactenus ille. A. Pythagoræi latinis litteris Tricenarium numerum afferunt littera M. quam cum Virgilius lacrymis commiserationique mouendę aptißimam iudicasset, duas aut plures voces ab eodem elemento incipiendas continuauit, (Metacismum vocat Martianus lib. 5.) vt in his*

Rom. 10.

Nascim. in Virg. lib. 2.

Quid iaM Misero Mihi deniq; restat? — Æn. 2.
Miseros Morsu depascitur artus.
Diuerso interea Miscentur Moenia luctu,
Ipse Manu MorteM inueniam: Miserebitur hostis.
Mortemq. Miserrimus opto.
Quin Morere, vt Merita es, ferroq; auerte doloreM. — Æn. 4.
Me liceat casuM Miserari insontis amici — 5.
Multis cuM Millibus ibat
Ad tumuluM, Magna Medius comitante caterua.
Me fata Mea, & scelus exitiale Lacenæ — 6.
His Mersere Malis.

Alijs exemplis ne longum faciam supersedeo. friuola hęc fortaßis cuipiam, & nimis leuia esse videbũtur, sed curiositas nihil recusat. pag. 483. 20. *Theodosij. A.. quem retulit Gratianus. xiij. q. ij. c. quia alij.*

DE NVM. XXXII.

pag. 487. 8. *videantur. A. Nec illud habendum insuper, quod ad hunc numerum spectat, Veteres olim, quoniam quattuor essent Cęli regiones, ac limites*

tes

tes, totidem constituisse discrimina Ventorum. nostram verò ætatem nautarũ nauigatione edoctam, ob vastum ac spaciosum Oceani ambitum, marisq; mediterranei longißimos tractus, Duos & triginta ventos distinguere, singulis quadrantibus octo ventos applicantes, quos in pendula pyxidis tabula, magnetis vi perpetuò ad omnes Mundi plagas directa, continenter intuentur, atque intempesta nocte etiam, cœloq; nubilo, ac caliginoso, illius vsu ac commoditate cursum dirigunt, portusq; destinatos assequuntur.

DE NVM. XXXIV.

pag.488.20.in marg. *A. Hieron. in cap. ix. Dan. 25. L. natum quadragesimo secundo Imperij Aug. Cæsaris anno (initio sumto ab eo anno, quo C. Iulius Cæsar est cæsus, quo tamen Augustus nec solus, nec pacatum obtinuit imperium) testes idonei sunt Euseb. hist. Eccl. lib. 1. cap. 2. 10. & 22. & lib. 8. de præparatione. cap. 2. Niceph. lib. 1. cap. 29. Origenes lib. 2. in Iob. Beda lib. de nat. rerum, cap. 47. & Epiphanius.* pag. 489. 7. *L. super se. Cæterum quod Christus anno ętatis suę Trigesimoquarto inchoato sese pro peccatorum nostrorum expiatione Deo Patri victimam obtulerit, ex Euangelistis vel facile colligitur, quoniam per Iudæam, Galilæam, & Samariam, cælestem illam, & salutiferam doctrinam spargendo, quinquies Pascha à baptismo ad mortem intercessit: primum idest, de quo nihil habetur scriptum in Euangelio, inter Baptismum, & Nuptias. secundum quod Ioannes statim post nuptias commemorat, cap. 2. vbi Christus ementes, & vendentes de templo primùm eiecit. tertium de quo fit mentio Iohan. cap. 5. cum sanauit paralyticum. quartum cuius idem Euangelista meminit cap. 6. dicens: Erat autem proximum Pascha &c. quintum in quo passus est Christus, de quo Iohan. cap. 12. & 13. nam quod tertium illud, de quo dubitari potest, festum Paschę fuerit, non modo Rupertus, sed Ireneus etiam testantur, ac re vera nomen Festi simpliciter pro Pascha solet in Euangelijs accipi, vt ibi: Non in die Festo. Item: Eme ea, quę opus sunt nobis ad diem festum. Quamobrem hac ratione ad Tiberij principatus decimum octauum annum perueniemus. Approbantur. 19. L. Beda aduocat Apocal. respexisse crediderim ad cap. xi. vbi legitur: Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. & cap. sequenti. Mulier. 29. ille. A. Hanc expositionem sequuti sunt D. Thom. comm. in Apoc. Franciscus Ribera lib. 1. de Templo. cap. 19. necnon & alij primæ classis Doctores. Notandum tamen, quod hic dierum numerus non complet per integrum tres semis annos, immo deficiunt dies xxi. vt notat Glo. quemadmodum & Christus non compleuit dimidium annum post tres annos, quibus prædicauerat; sed pro dimidio anno tantum temporis computatur, quantum intercedit ab Epiphania ad Pascha.* pag. 490. 6. *futurę. A. Nec omittendum, quod Christus Dominus noster sexto die mundum sua passione redemit. ex qua pendet omnis triumphus, omnis item perfectio. At quod Dominus octauo die resurrexit gloriosus, omni*

Matt. 26.
Iohan. 13

cor-

corporea & passibili exutus affectione, hucusque magnificata eius magnificentia super cœlos, prout exprimit Psalmus octauus, liquido exprimit futuram illam perfectionem nulli imperfectioni immersam, æternam beatorū requiem. Nec aliud est dies octauus Dominicę resurrectionis, quàm post senarium completi, & perfecti in hoc Mundo laboris, atq; humana perfectione impleta, post item septimum requietionis in tumulo, ad octauum diem resurrectionis, & secundę perfectionis symbolum. Ita septenarius inter senarium, & octonarium vtramque perfectionem medius. ita granum frumenti cadens in terram emori oportet, vt nouam induat perfectionem, & fructus suscipiat incrementum. adeo caro & sanguis regnum hęreditare nequaquam possunt. Est itaque septenarius inter vtrumque non ab re medius. Et quid mirum? cum senario habito mox occurrit impar primus, in quem ductus quaternarius xxviij. producit, qui secundus est perfectus. septenarius igitur quies, & resolutio terrenæ molis, quaternario designatę, donat secundam & æternam perfectionem. Conspicis ergo per hos duos perfectos numeros duplicem approbari perfectionem. Atque hoc est, quod exprimit Christus nomine Mariæ, & Marthæ, quarum prima, actiua est fœlicitas; secunda, contemplatiua, verum quę præsentis seculi absolute nō sit, sed futuri. Nec esse absque mysterio crediderim, quod duorum perfectorū primus sit senarius, quoniam actiua, & huius vitę perfectio, alteri est pręuia, vt per quam aliam assequimur. Sunt adhuc quædam de numero XXXII. non iniucunda, quę commemoremus. si.n. licet audire &c.

Iohan. 12

Luc. 10

DE NVM. XXXV.

pag. 492. 2. L. Habet numerus Tricenarius quinarius nonnulla suę nobilitatis indicia. conflatur enim ex duobus primis cubis. VIII. & XXVII. quorum hic impar, & masculus: ille par est, & fœmina. Quemadmodum autem his numeris animæ Mundi compositionem factam fuisse noster Plato asseuerabat; cōsimili modo humani partus septem mensium ratio sub asciti numeri XXXV. multiplicatione procedere perhibetur. Vt.n. ex Varrone annotauit Censorinus, Pythagoras duo censebat esse genera partus, alterum septimestrem, qui decimo post ducentesimum die exeat ab vtero: alterum nouimestrem, qui veniat in lucem die 270. at priorem Trigintaquinque dierum numero cōformari, quadragintaquinque posteriorem. Eos vero numeros, qui in vnoquoque partu aliquid ferunt mutationis, dum aut semen in sanguinem, aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram conuertitur, inter se collatos, vniuersas harmoniæ species complecti. Nam quod ex semine conceptum est, si partus futurus sit septimestris, sex primis diebus humor est lacteus, deinde proximis octo sanguineus, tertio gradu nouem dies accedunt iam carnem facientes, tum deinceps sequentibus duodecim diebus fit corpus iam formatum. sex autem, octo, nouem, duodecim coniuncti, producunt XXXV. quem si multiplicauerit senarius huius ordinis primus, procreabit CCX. qui dierum numerus mensem septimum claudit.

dit. Vsque adeo est naturà fecundus hic numerus, vt primam partus humani perfectionem, quasi arbiter quidam maturitatis, absoluat. Est etiam hic numerus maxime harmonicus, omnes harmonias diatessaron, diapente, diapason, vniuersas item proportiones, scilicet, arithmeticam, geometricam, & insuper harmonicam in se complectens. Nam

DE NVM. XXXVI.

pag.498.4. *peccati. A. prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secundę mortis est caussa. & secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna. Christus verò quia.*

DE NVM. XXXIIX.

pag.499. *I. Omni Mathematica dignitate destitutus numerus XXXVIII. in diuinis scripturis semper infeliciter positus legitur. quandoque. n. peccata, & quæ illa consequuntur, pœnas designat. quemadmodum de Zacharia, qui fecit malum coram Domino, nec recessit à peccatis Hieroboã patris sui idololatræ, dictum est, super Israel regnasse anno xxxviij. Azarię Regis Iuda. & de Achab filio Amri regnante super Israel anno Trigesimo octauo Asa Regis Iuda, legitur, quòd non solum ambulauit in peccatis Hieroboam, verumetiam seruiuit idolo Baal, faciens mala super omnes qui fuerunt ante eum. Cum verò reuersis exploratoribus à terra Chanaan, murmurassent Hebræi contra Moysen, & Aaron, culpa prȩuaricationis exigente, Trigintaocto annis per desertum vagari, & passim cadere meruerunt. Castra. n. vel mansiones xlij. per quas de Aegypto migrantes, vsque Iordanem habuere, trium tantummodo curriculis annorum congruunt, primi scilicet, secundi, & quadragesimi. primus annus mansiones duodecim, secundus vnam & viginti complectitur, venientes in desertum Pharan, quod est Cades, vltimi nouem. Tempus igitur quo ambulauerunt de Cades Barnea vsque ad torrentem Zaret, Triginta octo annorum fuit, donec consumeretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Dominus. Idem quoque numerus humanæ vitæ miseriam, vanitatem, & breuitatem nobis ostendit, quod Propheta Dauid psalmo etiam Trigesimo octauo designare visus est. Vbi enim vulgata editio habet: Ecce mensurabiles posuisti dies meos, alius vertit, Ecce mensura pugillorum terminasti dies meos, & æuum meum tanquam nihilum coram te; veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Augustinus tractans illud Iacobi: Quęnam est vita nostra? Vita (inquit) hęc vita dubia, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aer morbidat, escæ inflant, ieiunia macerant, tristitię consumunt, infirmitas frangit, & quę sequuntur. Eò referri potest Paralyticus, quem Euangelica hist. octo & Triginta annos in infirmitate ad Piscinã sedisse refert. Quo quidem numero impfectam & languidam charitatem erga*

4.Re.15. 3.Re.16. Deute.2. Iohan.5.

Deum,

Deum, & homines significari idem Augustinus his verbis probat, quia binario &c. pag. 500. 8. sint. A. Hic enim Physica, quoniam omnes omnium naturarum caussæ in Deo creatore sunt: Hic Ethica, quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quàm cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus, & proximus: Hic Logica, quoniam veritas, lumenq. animæ rationalis non nisi Deus est: Hic laudabilis reipubublicæ salus, neque .n. conditur, & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento, & vinculo fidei, firmæq; concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est; atque in illo inuicem sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligant, cui quo animo diligant occultare nequaquam possunt. pag. 501. 6. habebat. A. Hęc de numero xxxiix. dixisse sufficiant. At verò quoniam dum illius mysteria dilucidat Augustinus, in binarium incidit, quem dilectioni addixit, ideo illud superaddere non inutile fuerit, Binarium à nonnullis dici amicitiæ symbolum. Est .n. primus par, & numerus par diuidenti facilè cedit, ita vt quattuor in bis duo sine labore abeant. nihil etenim impedit; at imparem numerum nullus profecto secabit in partes æquales. In numero pari pax est, & concordia, partes .n. pares iustitiam imitantes, concorditer agunt; in numero impari, quia vnus intercidit linearem longitudinem (vt ait Boetius) non potest esse concors diuisio. nam quattuor in bis duo, linea interposita, in partes æquales secat, duo in singulas vnitates; in tribus autem lineam termini fugat vnitas intercidens. Hinc aiunt amicitiam inter tres numquam esse posse. tertius .n. sese opponit ne ea, quam vis amicitiæ expostulat, consummata animorum coniunctio fiat. Quapropter initio repetito ex ipsa antiquitate, tot à priscis temporibus sæculorum decursum, testem & consiliarium rei huius adhibentes, cònsiderantesq; de veris amicis quæ fama sit ad nos propagata, inueniemus binos semper amicos memorię perhibitos, Achillem & Patroclum; Thesеum & Pirithoum; Orestem & Piladem; Epaminondam & Pelopidam; Pythiam denique & Damonem, quorum amicitiam cum cognouisset Dionysius tyrannus, irrisus est, dum se tertium inter eos amicum annumerari postulasset. dicitur .n. amicus alter ipse, quod nihil significat, quàm binarium esse amicitiæ mensuram.

DE NVM. XL.

pag. 501. 14. in marg. A. Lact. Firm. de opific. Dei lib. 1. cap. 12. pag. 504 15 L. tantum priorum pedum suctu se sustentans, quod libenter ab ea fieri tradit Aelianus, cum se prępinguem senserit, ac pleniore corpore grauatam, quò pinguedine concocta, fiat agilior. serpens. pag. 507. 12. L. Quadraginta diebus post resurrectionem suam Dominus cum Discipulis fuit, vt primum Act. Apostolicorum caput meminit, quatenus nos sua membra pius Magister edoceat, vt per capitis nostri vestigia gradientes, & mortui mundo, & velut peregrini hospitemur in sæculo. mystice quoque hic dierum numerus. quo Discipulis

Damianus Eps epist. 10.

seipsum viuum ostendit Dominus, cou resurgentem Christo. pag. 508. 4. *deprecādi. A. sed illud prius absoluamus p Quadraginta dies Cathecumenos instrui solitos. quod & Cyrillus Hierosol. omnis quoque testatur antiquitas, nec tacuit Hieronymus epistola ad Pammachium, cuius hęc sunt verba: Consuetudo apud nos istiusmodi est, vt his qui baptizandi sunt per Quadraginta dies publice tradamus sanctam & adorandam Trinitatem. hac Hieronymus. 21. L. impetrari. Tempore Nohe antequam diluuio genus humanum disperderet Deus, indulsit resipiscenti mundo pro pœnitentia agenda, tempus centum viginti annorum, vti sextum Genes. caput attestatur. quod sane tempus ter Quadragenarium numerum integre ac æque complectitur. Quadraginta &c.* pag. 510. 24. *L. dicentem vrbem eorum post dies Quadraginta cum vniuersa multitudine interituram esse. ieiunium animantium simul omnium, hominum videlicet, & irrationalium indixerunt; atque vt omnes in saccis essent, & cum vehementi eiulatu, veráque animorum pœnitentia, iniquitati omni nuncium remitterent, mandatum proposuerunt, persuasione illa concepta, misericordem esse Deum, humanumq. & benignum in eos, qui à prauitate deficiunt. Quamobrem Dominus misertus est super malitiam quam locutus fuerat, vt faceret eis, & nō fecit.*

De cons. dist. 4. ne qd absit.

Prudent.

Mollitus his & talibus, breuem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
Prosper sinistrum, prona nam clementia!
Haud difficulter supplicem mortalium
Soluit reatum, fitq. fautrix flentium.

Quadraginta annis non habitata &c.

DE NVM. XLII.

pag. 515. 8. *L. significatiuus. Quandoquidem in Britannia insula triduo cruenta pluuia aerem, terram irrigasse semel, & mox per Quadraginta duos menses eā caruisse pluuijs eius insulæ annales prodidere. Diebus etiā Heliæ Thesbitis ꝑpter peccata Achab, & populi Israel, clausum fuit cœlum annis tribus, & mensibus sex, vt legitur 3. Reg. 17. & Luc. c. 4. qđ perinde est ac si dixisset, mēsibus Quadragintaduobus. Onia Pontificatum gerente Antiochus Epiphanes Hierosolymam cepit, prędam multam egit, temploq; Dei spoliato, Idolum quoq; Templo imposuit, religionem omnem cum victimis & ceremonijs sustulit ad menses Quadragintaduos. tanto enim tempore persecutionem eam durasse legenti primum & quartum cap. libri Machab. manifestum est. Deniq; ver. 17.*

Ioseph. antiquit li. 12. c. 6.

DE NVM. XLV.

pag. 517. 8. *L. vt plurimū autem mares præsertim formari volunt Quadragintaquinq; diebus, vbi nono mense lucis huius auspicia sunt accepturi, atque hos superuiuere. quòd si formatio transisset ad quinquagesimū. quod accidit in feminis, quarū natura magis flaccida, decimo mensē nasci, eiusmodiq; difficilē vitā agere. Atq; hāc. &c.* 15. *conceptionem. A. Hæc sunt Hippocratis verba lib. de*

natura

natura fœtus: Si marem (inquit) trigeſimo die perfici contingat, motum accipit lx. menſeq. ſexto in lucem prodit. quòd ſi quinto & trigeſimo die formā acceperit, motu potitur lxx. menſe ſeptimo naſcens: ſi verò die Quadrageſimoquinto legitimam formam adeptus fuerit, nonageſimo die mouetur, ac nono menſe natiuitatem conſequitur. Ex quo dierum menſiumq; decurſu ac ſerie liquidò apparet formationis diem duplicatum motus diem conſtituere; motionis verò triplicatum naſcendi tempus cōmonſtrare. Verbi cauſſa vbi xlv. formam perficit, is duplicatus, diem motus nonageſimum conſtituit, qui rurſus triplicatus, bis centum ſeptuaginta dies ſeu nouem menſes Græcos, hoc eſt vulgares conficit, cuiq. menſi. 30. dierum numerū aſſignando. pari modo de reliquis ratiocinandum. Inter oēs igitur pariendi fines, qui maxime videntur, iuxta id quod deprehenditur experimēto, naturales ſunt menſes nouē. Quare &c. 25. L. Muſis, quibus omnia recta ſtudia ſunt dedicata, hunc numerum adſcribunt, quem arbitrantur eſſe perfectum, & ad amplificationem pertinere. Itaque Horatius de poematis non præcipitanda editione leges ſtatuens.

Nonum *(inquit)* prematur in annum.

Ideſt, donec fuerit maturum, & omnibus ſuis partibus abſolutum, ac perfectū. Et Virgilius Aen. lib. 1. de Timauo.

Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis

It mare prçruptum. *i. per multa ora. Item lib. 5. Aen. cum Poeta ob nouę vrbis conditionem, dicit omnem gentem nouem perpetuos dies epulatam, multos dies haud dubie innuit.* pag. 519. 6. *L. eſt in aliqua eius particula quem propriè vocant locum conceptionis. Sunt autem hæ particulæ in vnoquoq; ſigno tricenæ. Sol. 31. aſpectus. A. eius enim linea nullius polygoni efficit latus.* pag. 522. 4. in marg. *A. Varro lib. Rerum humanarum. 5. feciſſe. A. quod etiā hodie apud Gallos, Germanosq; pleriſq; in locis eſt in vſu. 6. ſequentes. A. cuius rei indicio ſunt ſacra publica, & auſpicia etiam magiſtratuum, quorum ſi quid ante medium noctis eſt actum; diei qui prçteriјt, adſcribitur; ſi quid autem poſt mediam noctem, & ante lucem factum eſt, eo die geſtum dicetur, qui eum ſequitur. 9. decimum kal. A. Gell. lib. xv. c. xxviij. ſcribit M. Tullium natū eſſe A. D. iij. ideſt, ante diem tertium nonas Ian. At conſtat eum natum eſſe tertio non. Ian. ſic enim ipſe lib. 7. ad Att. Tertio nonas natali meo. & Philip. vlt. 12. liquet. A. quam orationem cum Cicero in Senatu haberet kalen. Ianuarij: Recordamini, inquit, qui dies nudius tertiusdecimus fuerit: quantus conſenſus veſtrum, quanta virtus. Dies. n. tertiuſdecimus à Kalen. Ianuarij retro numerū agendo, eſt dies quo dicitur. xiij. kal. Ianuarij. qui eſt xx. Decemb. Fuit quidem creber apud antiquos hic loquendi mos. Nam. 23. augeatur. A. quod veteres quidam his etiam carminibus complexi ſunt.*

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine trini,
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Et aliter. Iniectum ſemen, ſex primis certe diebus
Eſt quaſi lac: reliquiſq. nouē fit ſāguis; at inde

Consolidat duodena dies: bis nona deinceps
Effigiat: tempusq. sequens producit ad ortum.

pag. 526. 15. L. *in diuinis scripturis mysticas habet significationes præsens numerus. Domus saltus Libani Quadragintaquinque columnis sustentabatur, quia Patrum, ex quibus Christus secundum carnem, ab Abraham vsque ad Christum generationes Quadragintaquinque numerantur. Ciuitas enim Hierosolyma mystice sancta est Ecclesia, & Templum illud manufactum, templum Domini corporis significat. quamobrem hæc domus saltus Libani, domum generationis eiusdem Iesu Christi filij Dauid filij Abraham figurat, Ruperti ad hoc accedente testimonio, ita dicentis: Quid domus huius columnę Quadragintaquinque, nisi totidem significant generationes ab Abraham vsq; ad Christum? Nam secundum Euang. non plus quidem, quàm quadraginta duæ sunt; sed secundum fidem historiæ, Quadragintaquinque sunt. tres quippe Euangelium certi gratia mysterij prætermisit, dicendo, Ioram genuit Oziam. Ioram quippe non genuit Oziam, sed Ochoziam, qui Ochozias genuit Ioam, de quo natus est Amasias, qui genuit Oziam. videlicet quia Euangelistæ propositum erat tres tessaradecades in diuerso temporum statu ponere; & Ioram generi se miscuerat impijssimæ Iezabelis, idcirco vsque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctę Natiuitatis ordine poneretur. Hactenus Ruper. ex Hieronymo. Hoc etiam numero designari possunt, qui corpus* 18. L. *se fore vt parceret Sodomitis. Quod verò Abraham ab hoc numero perueniens ad X. insertas effudit numerorum diminutiones XL. XXX. & XX. illud præclarum diuinitus prouisum animaduertit idem Rupertus, his numeris omnem consonantiarum vim fuisse conclusam. quandoquidem Quadragintaquinque ad quadraginta comparati Epogdoum, idest sesquioctauam proportionem reddunt, quam uocant Tonum. quadraginta ad triginta collati Epitritum, idest, sesquitertiam efficiunt, in consonantia Diatessaron. triginta ad viginti, Hemiolion, idest, sesquialteram, quam dicimus Diapente. viginti ad decem collati, dupli sunt, quam maximam consonantiam Diapason nuncupant. triginta cum decem, triplarem. quadraginta cum decem, quadruplarem efficiunt proportionem, quarum altera Diapason diapente, altera reddit Bisdiapason. Quid igitur hi numeri nisi tanti intercessoris veram indicant dignitatem, nempe quod ita dumtaxat Dominus peccatoribus parcere cupit, vt proficiat ad nominis ipsius laudem & honorem? Cantabilem namque misericordiam decet illum facere, quę non discrepet à iudicij veritate, testante Psalmographo, & dicente: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Atqui de hoc satis.*

Com. in Reg. li. 3. c. 7.

Matth. 1.

Gen. 18.

Lib. de scientia.

Psal. 100.

DE NVM. XLVI.

pag. 527, 23. in marg. *A. Coloss. ij.* 29. in marg. *A. Psal. xiix.* 30. *L. processit ad similitudinem humani generis habitasse monstratur, idest, à die octauo Kalen. Aprilium, vsq; in diem octauum Kalen. Ianuarij.* pag. 531. 3. in marg. *A.*

A. Greg. Moral. lib. xiix. cap. xxxv. Damascenus lib. de fide orthodoxa. August. lib. de Fide ad Petrum.

DE NVM. L.

pag. 532. 6. *remissionis. A. Et si corde puro dicatur, delicta dissoluit, chirographũ nostrę obligationis euacuat, & nos à debitis delictorum præstante Domino reddit immunes.* pag. 538. 11. in marg. *A. ij. Pet. iij. 24. mixturus. A. Sophocles itidem apud Iustinum Martyrem de exustione, & iudicio extremo, hæc canit:*

Venient enim illa seculorum tempora
Cum soluet imbres ignis æther aureus.
Cremabit ergo flamma vi grassans sua,
Et hic, & illic summa, & infima omnia.
Sic vniuersitate cuncta perdita
Vndis carebit omnis alueus suis,
Sedes requiret terra. nec posthac aues
Gestabit aer igne vastatus leues.

Iustin. de Monar. Dei.

32. *L. Circuncisio carnalis, & noster Baptismus, qui circuncidit à peccatis, & in nomen Dei nos obsignat. eorum.* pag. 539. 3. *Christus. A. pro nobis & mundo vniuerso sacrificatus.* 14. *L. essentia, quia Spiritussanctus est ignis, quo pios inflammat, vritq; amore diuinitatis, atque illorum mentes salutari viuidaque doctrina imbuit: aduersarios verò, & qui nulla ducuntur erga Deum reuerentia, nullo metu consumit, atque vt ignis arida nutrimenta, ac fomitem in nihilũ redigit. Quamobrem suadet Paulus reuerenter, ac religiose Deum colendum, quo illi simus accepti. Est enim Deus noster, inquit, ignis cõsumẽs. Præter &c.* 26. *remittetur. A. non propter malitiam peccati, quasi superet misericordiã Dei, sed propter qualitatem adiunctam, videlicet perseuerantiam ad mortem vsque.* pag. 540. 7. *tardat. A. Non oportet aliquem tempus prestolari in sua ipsius correctione, quòd nemo sit crastini certus. Multi enim multa consultantes, crastinum non tenuerunt. Ipsa quidem res est, quæ multos occidit, cum dicunt, cras cras: & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. cras, cras, corui vox est. crastinum diẽ quis tibi promisit? Si semper hodiernum diem prętериens, crastinum obserues, malignus ille te huiusmodi paullatim dilationibus furtim surripiet, sicut eius mos est, Mihi des tempus præsens, Deo futurum; mihi voluptatem, illi res nullius vsus, & vtilitatis; mihi iuuentam, illi senectam. O quantum penes te est periculum. Castitas in senectute, non castitas est, sed luxuriantis libidinis impotentia. quoad tibi suppeditat, peccato impera. hoc enim ipsum virtus est. cum enim impotentia efficit vt peccare desinas, infirmitatis ea est gratia. Laudamus autem eos qui delectu boni sunt, non illos quos necessitas quæpiã distinet.*

Deut. 4 Heb. 12.

Basilius August.

Grego. Naz.

Boni confu- lat [pius] le- ctor hos pæ nitentiales canonça.

Non fit sponte bonus, cui non est promta potestas
Velle aliud, flexosq. animi conuertere sensus.

Quo-

Quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetq. ingloria virtus.

DE NVM. LX.

pag.541. 32. *sequutus est. A. De quibus ita Proclus in Sphera: Sed nec interualla circulorum in toto Orbe à seinuicem stata sunt, verùm pro Spherarũ descriptione ad hunc modum dispensari solent. Diuiso in Sexaginta partes meridiano quouis circulo, Septentrionalis circulus à polo Sexagesimarum partiũ quisque interuallo notatur. Aequator ab vtroque tropico Sexagesimis quaternis distat. Hæc ille. qua de re videat qui velit etiam Hyginum lib.1.poet. Astronom.cap. vlt.* pag.542.12. *Crocodili. A. Sexaginta vertebras habent in spina, quàm totidem neruis alligatam esse refert Aelianus.* pag.543.2. *L. Mortalis, verùm ipse immensus respicit omnes. cui concinit Philemon Comicus apud Iustinum Mart. lib. de Monar.*

Qualis Deus, mihi dicito, censendus est?
Qui cuncta cernit ipse, sed non cernitur.

pag.545.8. *Vniuersitatem ac perfectionem notare videtur numerus Sexagesimus. Cum n. à senario primo perfecto multiplicatur denarius primus numerorum limes, vniuersitatisq; significatiuus, Sexagesima perfectionis oritur numeratio. Cum igitur ex senario, & denario surgat Sexagenarius perfectionis, & vniuersitatis significationem habebit. Ex veris, inquit Dialecticus, nil nisi verum. bona arbor (dicit summa veritas) bonos fructus facit. perfecti numeri nõ nisi perfectum facere possunt numerum. In Sexagenario igitur sicut in senario, & denario perfectis numeris perfectionem intelligere debemus.* 21. *exsistere. A. M. Varro, vt est apud Non. Marcell. scripsit Sexagenarios a negocijs pub. liberos, atque ociosos esse debere. ideoq; in prouerbium, vt quidam putant, res deducta est, vt diceretur, Sexagenarios de ponte deijci oportere, idest, quòd in creandis Magistratibus suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. Inde depontanos eleganti vocabulo Senes appellatos legimus, ab ista nempe pontis deiectione, hoc est ferẽdi per pontes suffragij ademptione. In ponte quidẽ suffragia ferri solita significat autor Reth. ad Heren. lib. 1. Cœpio, inquit, vi illũ cõtra S.C. intercedentibus collegis, aduersus Remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deijcit, impedimento est, quo secius feratur lex. Non tempero mihi quin parte ista efferatam inseram consuetudinem. Sunt qui putant post Vrbem Romam à Gallis liberatam, ob cibatus inopiam, Sexagenarios in Tyberim de ponte eijci cœptos. Ad quem morem allusit Cic. in oratione pro Sex. Roscio, dicens hominem quendam, contra morem maiorum, minorẽ annis lx. à Capitone de ponte in Tyberim præcipitatum. In Ceoquoq; insula recepti moris fuit, sicuti prodit Strabo, Menandriq; suffragio comprobatur, vt Sexagenarij bene poti, ac coronati, re diuina confecta, cicutã hauriãt, ne reliqui cibarijs deficerent. Sexagesimum quidem humanæ &c.*

DE NVM. LXXII.

pag.548.24.in marg.*A.Pſal.89.*pag.550.32.*tradidit.A.vt habetur Iudic. cap.9. Neque tamen me fugit huic numero duo deeße,ipſum.ſ.Abimelech,& Ioathan natu minimum,qui fuga ſalutem ſibi quæſiuit; ſed quoniam Septuaginta vulgò dicebantur,numerus mutatus non eſt; quemadmodum Ianſenius in Concord.Euang.cap.146. cenſet Apoſtolorum collegium, poſt Iudę diſceßũ, dictum eſſe Collegium vndecim,atq; ideo quamuis Thomas abſens erat, dictũ eſſe à Luca: Et inueneruut congregatos vndecim.& Paulus 1.Cor.15.ait: Poſt hoc apparuit vndecim. ꝓ quo in Græco eſt duodecim.*pag.551.1.in marg.*A. Iudic.c.xij.12.gubernarent.A.qui quidem Senatus, ſeu ſuprema Iudicũ decuria durauit in populo Iudaico annis mille quingentis,vſq; ad Herodem,qui anno regni ſui penult.hoc iudicium penitus ſuſtulit.27. L.ſuis oretenus traderẽt, tum & illi alijs. Quare ea doctrina Cabala fuit dicta à Cabal hebraica voce,qđ recipere ſignificat.Hebræos autem Græci tamquã ſimiæ imitati, fabularũ inuolucris Cybelen (parum immutato nomine) deorum matrem finxerunt; myſticas ſacrorum ceremonias,quia initiatis duntaxat cõmunicare fas erat,introduxerunt,vt arcano ſilentio autoritatem ſacris parerent. Ceterum poſtquam Iudæi a captiuitate.* pag.536.16.*L.Aſſyria. A.quemadmodum igitur in conſtructione Turris Babel vna lingua in Septuaginta duas eſt confuſa: conſimili modo Chriſtus Sol iuſtitię,cum hierarchicam Eccleſiæ ſuæ politiam conſtitueret, vltra duodecim Apoſtolorum numerum delegit duos & Septuaginta Diſcipulos,quos miſit in oẽm ciuitatem,& locum,quo erat ipſe venturus, vt horũ miniſterio Septuaginta duas nationes,totidemq; linguas,ad vnam fidẽ, vnã euangelicam legem,vnumq; baptiſma ſub vno Deo,& vno Paſtore vndiq; colligeret. Et ſicut duodecim Apoſtolos formam Eꝑorum præmonſtrare nemo qui neſciat: pari modo & hos lxxij. Diſcipulos formam presbyterorum.i.ſecundi ordinis ſacerdotum geſſiſſe conſpicuum eſt.* pag.577.10.in marg.*A.Petrus Galat,lib.ij.cap.17.in Synagoga. A.Haſce præclaras numeri lxxij. pręrogatiuas Antonius Poſſeu.complectitur cap.v.lib.ij.Bibliotec.ſelect.cum ait: Confuſio Septuaginta duarum linguarum diuerſa genera in totũ Orbẽ diſſeminauit, qui ob eã cauſſam in lxxij. nationes diuiſus eſt per totidẽ duces.& viros principes ex filijs,& nepotibꝰ Nohe,qui lxxij.colonias ex Armenia Saga in varias Mundi partes deduxerũt,vt vniuerſam terrã denuo replerent, Quò pertinere poteſt etiam illud Moyſis: Quando diuidebat Altißimus gentes, quando ſeparabat filios Adam,conſtituit terminos populorum, ſecundum numerum filiorũ Iſrael, (vel vt interpretati ſunt Gręci, ſecundum numerũ filiorum Dei.) Conſtat.n.populum Iſraeliticũ,qui populus electus peculiũ Dei,Deiq; hęreditas appellatur, primo ordine in duodecim ſemp diuiſum fuiſſe, ac poſtea in Septuagintaduos. In duodecim quidem Tribus,ac Polemarchos totidẽ, quorum vnuſquiſque ſex Præfectos alios ſibi ſubditos habebat,qui ſimul collecti lxxij,efficiunt. eundem prorſus numerũ,quo continebantur Iſraelitæ,quando ingreſſi ſunt Aegyptũ, vt*

ex

ex hoc loco manifestißime patet: Omnes animę domus Iahacob, quę ingressæ sũt Aegyptum fuere lxx. quibus addendi sunt duo filij Ioseph, quos Sephara filia sacerdotis Heliopoleos in eadem prouincia ei pepererat. Nam quẽadmodum totus illius gentis politicus ordo à maximo illo Legislatore, qui ad supremi montis contemplationem ascendebat, oreq. ad os cum Deo loquebatur, tamquã homo aliquis cum socio suo, descriptus, & distinctus fuit. sic etiam ad formã & ideam tam mundi archetypi, quàm cœli spectabilis, cuius exemplum ostensum ei fuerat in monte, suis omnibus numeris constans, effectus est, & absolutus. Archetypi quidem mundi, in quo sacrosanctæ, ac semper adorandæ Trinitatis imperio, ac legibus subsunt nouem Angelorum Hierarchię, ac Septuaginta duo præcipui custodes Septuaginta duarum nationum, qui vniuersum Orbem terrarum inhabitant, vt ex Daniele probatur, vbi mentionem facit Angeli Persarum, & ex Apoc. per Angelos Ecclesiarum Asiæ tutores, prout & inter Hebræos antiquiores Simeon BenIochai in Zohare clarissime ac luculenter explicat. Cœli autem spectabilis, in quo sub duodecim signis Zodiaci, Septuagintaduæ distinguuntur partes, quæ à Grecis dodecatemoria vocantur, & quarum vnicuique signa sex in mathematicis tribuuntur. Hinc duodecim lapides preciosi in Pontificali veste Aaronis, quibus insculptæ erant duodecim Tribuum nomina. Hinc septuaginta seniores siue magnę Synagogę viri, qui à Grecis Synedri dicuntur, quippe cum duobus filijs Aaron Septuaginta duo capita conficiunt. Hactenus Posseuini verba reddidimus.

DE NVM. LXXVII.

pag. 558.27. A. in marg. glo. 31. quęst. 1. quomodo, versi. septuagies septies. pag 560.8. in marg. A. Ruper. lib. ij. cap. xli. in Leuit. 29. eandem interpretationem sequutus Theodoretus quęst, 44. in Gen. scribit Lamech non occidisse duos homines, nec Cain, sed alium quempiam ętate adolescentem; ob id tamen homicidij pœnam euasisse, quòd crimen suum vehementer doluit, & maiori supplicio, quàm ipsius Cain dignum se iudicauit. Pœnam, inquit, euasit, propter peccati confessionem, & contra se ferens sententiam, euitauit sententiam diuinam. pag. 562. 2. L. significat omnem peccatorum veniam, & condonationem à Spiritus sancti gratia proficisci, cuius &c.

DE NVM. XXC.

9. L. Quando enim Moyses legislator, & Aaron sacerdos locuti sunt ad Pharaonem, Moyses ętatis erat Octoginta annorum, Aaron verò octogintatrium. quia lex, quando ad salutem Gentibus per sanctos Doctores oblata est, circuncunctisionem spiritualem docuit, & ipsi perfecte mundari studebant, sicq. fidem Sanctæ Trinitatis prædicabant. Notat. 15. L, Gen. cap. xli. & l. Hanc ogdoadis perfectam sacramentis cœlestibus virtutem, dignum est in psalmo eo,

Exho. 7

Hilarius in psal.

qui

qui in octauo numero dispositus est, intueri, cui pro torcularibus titulus adiectus est, vasculis in nouos fructus preparatis, & ad feruentis musti liquorem continendum innouatis. Euangelij siquidem gloria coruscante, gentiũ torcularia nouo musto exuberabant, dilatato in diem octauum Mosaicæ legis sabbato. In tribus autem numeris hæc torcularium superscriptio reperitur. nam præter octauum, quem modo diximus, & octogesimus, & octogesimus tertius psalmus hũc habent titulum, vt in numeris perfectis perfectæ huius beatitudinis ordo consisteret; ita tamen vt simplicem ogdoadem, & ogdoadis decadem, sacramentum Triadis concluderet. Octogenarij quidem numeri mysteriũ dilucidare dignatus est Dominus &c. ver. 21. pag. 564. 29. *phariseos. A. Apud Iurisperitos totidem inueniuntur & suppliciorum genera, mulcta, carcer, quæstio, talio, exsilium, seruitus, infamia, & mors.* pag. 565. 31. *L. maledictioni. Octoginta concubinæ in Canticis, hereticos notant, his verbis testãte Primasio: Sicut a senarij numeri perfectione sexagenarius bonorum nobis specimẽ præfigurat; vnde scriptum legimus, Sexaginta sunt reginæ: ita Octogenarius in malo nonnunquam poni solet. surgit. n. a quaternario propter quattuor perturbationes, quibus immanè sæpe vita vexatur, metum, cupiditatem, dolorem, & gaudium; quæ propter sexum geminum duplicata, octo faciunt. Hic numerus per denarium similiter surgens, octogenarium conficit, in quo Heretici designati, idcirco & illic sequitur: Octoginta sunt concubinæ, tanquam non legitimè sociatæ coniugio, sed potius fraudulento. quod omnibus proprie hæreticis congruit, qui sic temporaliter fidei sacramenta, Christi nomine palliati, pertractant, vt sicut concubinæ non semper in domo mansuræ, sic & isti momentancũ vel commodum, vel principatum, vel humanæ laudis plausum de Christi nomine habere desiderent; nec laboris est inter merita reginarum, & concubinarum recta ratione discernere, cum ipsis quoque nominibus reginarum eluceat dignitas, & concubinarum deformitas pareat. Hactenus ille. Possunt etiamnum concubine designare animas.*

Cant. 6.

DE NVM. XXCI.

pag. 567. in marg. *A. Censorinus de die natali cap. quarto.* 2. *L. ex annis climactericis Genethliaci alios alijs difficiliores esse dixerunt. nonnulli. n. omniũ difficillimum climactera prodiderunt, anno scilicet vnde quinquagesimo.* 24. *pertulisse. A. quàm vltra non pertulisse.*

DE NVM, XXCVI.

pag. 568. *L. Senarius post octogenarium significat generationem vite carnalis. Abraham enim sex & octoginta annorum fuisse legitur, quando genuit Hismaelem. Gen. xvi. quia nondum peruenerat ad spiritualis vitæ perfectionem; cum verò in hanc lucem editus est Isaac, pater centenarius est. Porro Octoginta sex annorum quantitas (vt Ruperti verbis vtamur) duobus dispo-*

Ruper. in Gen. li. 5. c. 27.

Ruper. in Gen. li. 5 cap. 27. Gal. 4.

nitur terminis. est.n. in deceno limite octonarius: in singulari, senarius. Econtra centum annorum quantitas simpla est, & tertia vnitas, eademq. tetragona. Quid hoc aliud, quàm quod ait Apostolus: Qui de ancilla, secũdum carnẽ natus est: qui autem de libera, per repromissionem? Nam ex conueniente naturaliter viri et feminæ carne, vel sanguine natus est Hismael, quia videlicet natura fert vt de viro, quamuis sene, iuuencula concipiatur, qualis erat Agar. Econtra vt anus, qualis erat Sarai, de viro sene concipiat, natura ferre non solet. Quamobrem nascitur Hismael sub numero composito. Senarius quidem perfectus numerus in singulari limite quodam modo est Abram perfectorum vir operũ, sed parui, & frigidi sanguinis: Octonarius autem, qui femina dicitur, in deceno limite, quodam modo est Agar infirmior quidem, quia femina, sed fœcundior viro, quia iuuencula. Sub his igitur numerorum calculis recte naturalis secundũ carnem generatio Hismaelis inuenitur: at verò nascente Isaac, cuius generatione vnica Dei gratia operata est, paternæ ætatis numerus plenus, & sub vnitate centena contentus est. Vnitas namque apud Pythagoreos neq; mas, neq; femina dicitur, & proinde recte sub cẽtena vnitate paternorum annorũ Isaac nascitur, cuius generationem neque viri, neque feminę natura, sed sola diuinæ promissionis veritas operatur.

DE NVM. XC.

pag. 570. 21. L. autoribus Festo, & Petro Diacono, diem nefastum notabat in fastis. Sunt. 26. L. dicti. ex quo & festiue Lucianus ait apophradi similem posse dici hominem periurum, nullam Numinis rationem habentem, corpore non integrum, conflatum ex imposturis & mendacijs, nullis non adobrutum flagitijs, ac tãquam occursaculum abominandum, atq; auerruncandum.

DE NVM. XCVI.

pag. 571. 8. A. Quamquã de numero Nonagesimo sexto nihil traditũ reperias in diuinis litteris, a pictoribus tamen, & statuarijs magnopere commendatus habetur numerus. Cum enim tres in humanis corporibus staturę considerentur, rotunda, scilicet, quadrata, teres, illa vna primas tenet quæ Sex & nonaginta digitorum numerum ęquat, quippe quòd quattuor cubitorum altitudinem ęquet. quattuor autem supra viginti digitos cubito adscribi manifestum est. A quattuor igitur cubitis quadratum corpus denominatum, quod laudatissimę staturę sit. vnde Tranquillus tradit Vespasianum fuisse statura quadrata. Infra horum digitorum numerum, quos forte ab vniuscuiusq; corporis proportione accipimus, quò quis magis contrahi, ac propemodum desidere videtur, eò magis ad rotundam speciem accedit; & corpus illud potest appellari rotundum, quod digitis aliquot est quadrato breuius; vel cuius altitudo extremos brachiorum quam maxime perrectorum digitos haud exęquat. Teres verò cuius proceritas supra Sex & nonaginta digitos ascendit, altiorue sit eo mensuræ modo, quem vti dictũ est, exporrecta brachia designant. Staturam hanc alij oblongam, alij gracilem ap-

pel-

pellauere; rotundam verò obesam dixere. Cornelius Celsus Medicinæ lib. septimo, corpus illud quadratũ dicit quod est staturę mediæ: Corpus, inquit, habilissimũ quadratũ est, neq; gracile, neq; obesum. Nam lunga statura vt in iuuentute decora est, sic maturiore conficitur senectute. solere .n. homines huiusmodi supramodum mox incuruari tam philosophorũ rationes, quã historiarũ exempla ostendunt. estq; corpus gracile infirmum: vt obesum, hebes. Neq; tamen inficiabor proceriores statuas illis erigi solitas, qui vel victoria aliqua, vel pręclaris alijs facinoribus supra reliquorũ mortalium gloriã euecti sunt, veluti quam sibi Aegypti rex Sesostres erigi curauit, statua supra quattuor cubitorum magnitudinem, vt ita mortales reliquos superasse gestarũ rerum gloria testaretur. Quemadmodum & Diagoræ Rhodio statuã decretã fuisse legimus digitis supra quaterna cubita quinq;. & Damageto eius filio paterna vno minorem, ceteris scilicet maiorẽ digitis quattuor. Quæ de mensura adducta sunt, nos excitant vt etiã depondere aliquid a Iureconsultis mutuemur. Licet .n. in Cæsarum constitutionibus, ita taxatus fuisset aureus, vt septuaginta duo aurei libram conficerent; qui tamen nunc in vsu est aureus, adeò minoris est ęstimationis, vt Nonaginta sex ex eis libra contineat. Vnde aliqui existimarunt, quamuis si constitutum sit donationem vltra quingentos, nisi insinuata sit, nequaquam valere; eam tamen in qua sexcenti sexaginta sex nostrates aurei erogati sint, validam esse. & ita Iasoni visum est. l. ij. §. ex his, in fi. de verb. obl. Quo efficitur, vt aureus pendat drachmam, & Nonaginta sex aurei libram constituant, cum libra Romana constet vncijs duodecim, quarum quælibet continet drachmas octo, quæ per duodenarium multiplicatæ, Nonaginta sex conficiunt. Tametsi Gul. Bud. vir quidem hac in re, vt in plerisq; alijs diligentissimus lib. 2. & 3. de Asse, nullo sane autore fretus, dixerit Romanam libram habere vltra duodecim vncias semunciam, & sic duodecim vncias, & quattuor drachmas. illius siquidem opinionem multis probatissimis testimonijs, & autoritatibus refellit Georg. Agric. lib. 4. & 5. de mensuris & ponderibus.

l. quoties C. de suscep. lib. 10. Alciat. đ verb. sig. l. 232 l. sãcim°. C. đ don.

DE NVM. XCIIX.

Octauus supra nonagenarium cum binario deficiat a centenario denarij numeri quadrato, significat aliquid deesse ad perfectam alicuius maturitatẽ. Hũc ętatis annum agebat sacerdos Heli, quando supremum clausit diem, qui quidẽ perfectę maturitatis exstitisset, si sacramentum geminum in Redemtoris nostri incarnatione cognouisset, veram scilicet diuinitatem in humanitate eius, & veram humanitatem in diuinitate. At verò, quia multa de lege veteri, plurima de mandatis cœlestibus rectè intellexit, sed non omnia necessaria, ideò Nonaginta & octo annorum erat, quando excesßit ex humanis.

1. Reg. 4. Greg. pp

DE NVM. XCIX.

21. *L. pœnitentia. Vel forte ouis vna, homo intelligendus est; & sub homine vno, vniuersitas sentienda; sed in vnius Adæ errore omnium genus aberrauit.*

Hilar. in Matth. can. 18.

Ergo Nonaginta nouem errantes, multitudo angelorum cœlestium opinanda est, quibus in cœlo est lętitia, & cura salutis humanæ. Igitur quærens hominem Christus est; & Nonaginta nouem relicti, cœlestis glorię multitudo est, cui cum maximo gaudio, errans homo in Domini corpore est relatus. Ab hac expositione nequaquam dissentit Greg. Magnus cum ait. Quia. &c.

DE NVM. C.

pag. 572. 7. describit. A. Sed antiqui. pag. 574. 10. prouectæ. A. prędictam Esaiæ prophetiam dilucidans Hieronymus hunc in modum scribit: In tali vrbe, scilicet superna Hierusalem, diuersę ætates non erunt, infans & senex, paruus & magnus, qui non impleat dies suos; sed quasi filij resurrectionis omnes peruenient in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; vt nec desint alicui annorum spacia, nec supersint, & alio necdum solidas habente vires, alius desinat esse quod fuerit, & decrepita ætate marcescat, perueniētq. omnes ad Centenarium annorum numerum. Deinde quibusdam interpositis de huius numeri laudibus, subdit: In illo igitur tempore, quando ætas fuerit vna cunctorum, & sanctus, & peccator erunt simili resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore, sed sanctus ad præmia, peccator ad supplicia pertrahetur, & in eo peccator maledictus erit, quòd incorrupto corpore pœnas patietur æternas. Illud quoque. pag. 577. 7. L. Pater. quod enim infinitæ est naturæ, & extra omnia, maiusq. omnibus, nullam potest recipere differentiam situs, aut positionis; sed dextera Patris, p̄cipua eius bona sunt, beatitudo, clementia, bonitas, munificentia, ac tantorum bonorum super sanctas, & beatas, angelicas, & humanas mentes effusio; quorum Dominus Christus est administrator, & dispensator. de qua re illud dictum est Psal. xv. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem mihi. Sic B. Stephanus cum esset plenus Spiritusancto, intuens in cœlum, legitur vidisse IESV stantem a dextris virtutis Dei. quod plus est, quàm sedere, aut stare a dextra Dei. Optimum rei est virtus eius; præcipuum hominis est virtus ipsius; in virtute honestas, & decorum; in virtute felicitas, & beatitudo. Virtus bonum; summa virtus, summum bonum. Dicitur ergo Christus sedere, aut stare a dextris virtutis Dei, quia eò exaltatus est vt primas habeat in summo, in optimo, in felicissimo Dei, & totius gloriæ eius. Nil aliud igitur est Christum sedere a dextris Dei, quàm in cœlos ascendere, cœlos penetrare, super omnes cœlos euadere, omnia implere, omnipotentiam Dei assumere, adeoq. æqualem cum Deo honorem, & maiestatem occupare, atque possidere. Ad hanc felicitatem spectat quod apud Matth. dicit Christus bonos &c. pag. 580. 22. frui. A. Neque tamen omittendus hoc loco Beda, qui dati numeri mysticas significationes breui sic constringit: Constat Centenarius, qui in computo digitorum a læua transit in dexteram, sæpe in Scripturis cœlibem significare vitam, quia sicut dextera læuæ, ita cœlestis præfertur præsenti vitæ. Aedificationem Arcæ Nohe Cētesimo anno compleuit. quia Ecclesiam in hac vita ædificat Dominus, in futuro perficiet. Abrahæ

In Esaia c. 65.

Act. 7.

Frã. Son. demonst. sel. Christia. tr. 5. cap. 8.

Gen. 5. 7.

hę Centenario nascitur Isaac filius promissionis. quia benedictio hæreditatis, quę in semine eius omnibus familijs terræ promittitur, in futura, & cœlesti patria reddetur. Centum annos peregrinatur ipse in terra promissionis. quia qui filij Abrahę per fidem efficimur, in spe supernæ hæreditatis debemus in p̄senti peregrinari. Seminauit Isaac in Geraris, quod interpretatur incolatus, & inuenit in ipso anno Centuplum. quia quicunque promissionis filij in hac vita peregrinantes bona operamur, mox egressi de corpore in cœlesti vita recipimur. Centum cubitos habet latus Tabernaculi in longum. quia omnes, qui ad Ecclesiæ membra pertinent, necesse est pro ęterna in cœlis vita laborem pœnitentiæ, & continentiæ temporalis assumant. hactenus Beda. His. &c.

Gen. 21

Gen. 26.

Exho. 27

DE NVM. CXX.

pag. 586. 31. in marg. A. Hieronym. in Daniel. cap. 9. pag. 587. 24. L. hic ob sua scelera inuisitur. Non. n. vt quidam æstimant, Deus peccatores punit iratus; sed si sic expedit loqui, magna ira est a Deo tormenta non perpeti. quandoquidem qui punitur, etiam si ab ea, q̄ vocatur Dei ira corripitur, ad hoc tamē punitur vt emendetur. ad quod confirmandum satis erit ex Osea testimonium, apud quem iratus Dominus de quibusdam dicit: Non visitabo filias eorum cū fuerint fornicatæ; nec sponsas earum cum adulterauerint; in Psalmo autem octogesimo octauo, populo Christiano misericordiam nuncians: Si, inquit, dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis nō ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga &c. pag. 588. 8. permittendum. A. nam vt morbus leuatur medicina, eaq. neglecta ingrauescit: ita improbitas, nisi expiatur supplicio, serpit longius, deteriorq. redditur. Prǫterea quicunque calamitates ipsimet perferunt, non solùm in se, verumetiam in alios insignem vtilitatem transfundunt; vsque adeo vt solis exemplis ad perfectum Dei timorem multis addant calcaria. Dauid. n. vt ad exempla deueniamus, eò diligentius diuinis legibus, atque voluntati se submittebat, quò diutius à circumstantibus malis infestabatur. Alij Dauidis exemplo terrefacti, timendi Deum materiam arripuerunt. Quot putas hominem illum Num. xv. lapibus obrutum, suo exitio à colligendis in sabbato lignis deflexisse? Quot Nabuchodonosor suo malo nullam in Deum blasphemiam torquere docuit? Quantam multitudinem Holofernis, Iezabelis, & filiorum Heli interitu à tantis vitijs cauisse sibi arbitraris? Plena sunt huiuscemodi paradigmatum scripturarum volumina; vnde velut in speculo, similium peccatorum pœnas contemplantes, iracundiam Dei non aspernari discimus. 15. augeremus. A.

Orig. hemil. 2. in Hierem. c. 4.

mille per annos
Aut prope, maiores cum viuere consueuissent,
Ne peruersi hominum mores crescentibus annis
Augmentum acciperent, vitijs & terminus esset
Maxima vita hominum lustra ad duodena redacta est.
Nam Deus auerso tam multa ob crimina mundo

Cl. Mar. Victor.

Con-

Confestim infensus voces erumpit in istas:
Nequaquam post hæc humana in gente manebit
Spiritus ille meus, vitam nec proferet vltra,
Viuere bissenos decies contenta per annos
Vita nocens hominum, longæ ne tempora vitæ
Criminis augendi caussam præstare valerent.

24. in marg. *A. Philo Iud. lib. Quis rerum diuin. hęres.* pag. 589.4. *L. decem. Suggeruntur ad hoc ex veteribus memorijs exempla plura, documentum vnũ insigne in primis prterisse nequeo. Fuit Athila Hunnorum rex, qui crudelitate insignis, anno incarnati Verbi quadringentesimo quadragesimo septimo, decessit, cum annos ætatis suę centum vigintiquattuor impleuisset. tamdiu fortasse Dei numine seruatus, vt corruptos Imperij mores, posteaquam leniter non corrigebãtur, Athilæ sæuitia mulctaret. Versa vice Abrahã patriarchã, cui bonam*

Bap. Ful. li. 8. c. 14.

DE NVM. CXXIIX.

pag. 589. 16. *A. Est numerus CXXVIII. pariter par, quem militum numero Aelianus adiudicauit, ad acies commodius permutandum. itaque phalangis numerus à tacticis exoptatur XVIM. CCCLXXXIV. quadratus ipsius numeri CXXIIX. Milites .n. apud Gręcos in phalange numerabantur, cuius quidem numerum voluerunt aptissimum ad mutandas aciei figuras, & hanc ob caussam cum scirent in scientia numerorum excogitatos numeros, qui vsque ad vnitatis distributionem in suam medietatem diuidi possent, propterea maior pars eorum, qui de ratione instruendi aciem scripserunt,* 16384. *militibus peditum grauis armaturæ phalangem esse debere statuerunt.*

DE NVM. CL.

pag. 590. 13. *Deum. A. De huius numeri sacramento hæc habet Hilarius præfat. in Psal. Tribus quinquagesimis Psalmorum liber continetur, & hoc ex ratione, & numero beatę illius nostrę exspectationis exsistit. Namq; qui & primæ quinquagesimæ, & secundæ deinde quinquagesimæ psalmum, & tertię rursum quinquagesimæ, in qua finis est libri consummationem diligenter aduertat, prouidentiam dispositorum in hunc ordinem psalmorum cum dispensatione salutis nostræ intelliget conuenire. Cum .n. primus gradus sit ad salutem in nouum hominem post peccatorum remissionem renasci, sitq; post pœnitentię confessionẽ regnum illud Domini in sanctæ illius ciuitatis, & cœlestis Ierusalem tempora reseruatum, & postea consummata in nos cœlesti gloria in Dei patris regnum p regnum Filij proficiamus, in quo debitas Deo laudes vniuersitas spirituum prædicabit; facilè intelligimus in singulis psalmorum virtutibus sub quinquagenario numero collocatis, sacramentum dispensationis huius quinquagenarię contineri. hucusque Hilarij verba. Est eiusdem numeri, de quo agimus, aliud.*

pag. 591. 28. *annorum. A. Fuere, qui non idem vbiq; obseruandum putarent.*

sed

sed variè per diuersas regiones, prout in singulis sit cœli ad circulum finitorē inclinatio, quod vocatur clima. hinc

DE NVM. CC.

pag. 593. 21. in marg. *A. 1. Cor. 15. Act. 9.* pag. 598. 6. *L. argenti sustulit Achan ex deuoca Hierechuntis præda, qua re demum cognita lapidibus obrutus est. 28. L, sacrificare. Nam & Sacerdotes Aegyptiorum Isidi, qui numinis vice colebatur, sacra fecisse capitibus derasis traditum est. hinc Satyrographus caluos hos Sacerdotes appellat hoc carmine.*

Cum grege linigero circundatus & grege caluo. *& Martialis.*
Linigeri fugiunt calui sistrataq; turba.

Quin & Lampridius de Imperatore Commodo scribens, sic ait: Sacra Isidis coluit, vt & caput raderet. Herodotus: Deorum, inquit, sacerdotes in Aegypto derasi sunt. Idem refert solitos eos totum corpus alternis diebus deradere, ne quid sordis, cum sacra facerent, intercideret. purum. n. 28. in marg. *A. Plut. de Iside, & Osiride.* pag. 599. 5. in marg. *A. Plutar. in Lysandri vita. 9. venustiorem. A. speciosissima sane spectatur cæsaries, reuerenda in senibus, veneranda in sacerdotibus, in mulieribus comta, dulcis in pueris, decora in adolescentibus, in bellatoribus terribilis. Quamobrem Iulius Cæsar circa corporis curam morosior, caluitij deformitatem iniquissimè ferebat, obtrectatorum sæpe iocis obnoxiam expertus; ideoq. & deficientem capillum reuocare à vertice assueuerat, & ex omnibus decretis sibi à Senatu, populoq. honoribus, non aliud aut recepit, aut vsurpauit libentius, quàm ius laureę coronę perpetuò gestandę. Ceterum. 14.* in marg. *A. 1. Cor. xi. 21. fiant. A. Cum igitur comatos in nequitiæ, turpitudinisq. notam tam Gręci, quàm Latini semper acceperint, hoc prospiciens Pythagoras optimè iudicauit Dei ministros, non modò vitijs, verùm etiam vitiorum suspicione carere volentes, detonso esse capillo. 24.* in marg. *L. dist. xxiij. c. prohibete & c. non liceat. il ij. 29. vita. A. Hieronymus, quod & in decretis canonicis. xxij. q. 1. scriptum legas, rasionem capitis signare autumat temporalium dominium depositionem; capillos verò, qui remanent, designare aliqua sacerdotibus esse retinenda ad sustentationem, vt qui euangeliū annuntiant, de euangelio viuant.* pag. 600. 1. in marg. *A. Ioan. Beleth. cap. 39. Rat. diuin. off. 32. sordes. A. illud si libet superaddas, coronā virginib. vita functis imponi solitam, tamquam vitæ certamine perfunctis. nisi illud magis consonum videatur, capitis coronam ex Romanæ Ecclesiæ institutione, regnum, prę ferre, quod in Christo exspectatur. Vnum denique de hoc numero monēdum videtur, Ducenta cum significare voluissent Magi, impudici digiti dexteræ manus summitatem inter nodos indicis & pollicis arctè figebant, atque eodem gestu, digitoq. quo in dextera Ducentesimum, in sinistra vicenalem numerum significabant. huiusmodi digitorum gesticulatianc prędictorum numerorum infamiam, immunditiamq. subnotantes.*

DE NVM. CCC.

Gen.45 D. Hier. 1.Cor.2.

pag.603.8.*Tercentos*..*A*.*Tercenti argentei dantur Beniamin,quos à Christo accipit,qui Trinitatem,vel Christi crucem pdicat.Vnde Paulus ait: Non iudicaui me aliquid scire inter vos,nisi Christum IESV, & hunc crucifixum.* pag.604.12.*sicut serpentes*.*A*. *Dignum verò quod parte hac minime transiliamus,Sacerdotes Aegyptios,qui per institutas ab eis notas & figuras sensus effingebant,si quem memorem significabant,vulpem auritis, & arrectis auribus,quòd summi sit auditus,& insignis memoriæ effinxisse. pari ratione,si voluissent hominem discursu mentis,& ratiocinatione vtentem indicare,vulpem fecisse,quę aurem ad terram apprimeret,quòd ea paludosam aliquam regionē peragratura,si de soli firmitate dubitat,aure admota terrę contatur,an strepitum sentiat exploratura,quem vbi percepit,non esse soli firmitudinem coniectat,sed infirmū & voraginosum locū,ideoq. non progreditur. Videtur autem inde vti rōcinatione,vt obseruauit & Plutar.lib.de soler.aīalium,perinde ac si quod strepit,moueri cognoscat,qđ mouetur infirmum esse,quod verò infirmum, inaccessibile. Neque nos minime fugit.* pag.605.27. in marg.*A*. *Ezech.9.* pag.606.3.in marg.*A*:*in Talmud tract. Senedrim.cap.secundo.* 24. *hæc ille.* *A*.*Præterea sicut omnium elementorum finis est Tau, quod ex antiquorum relatione signum significat: sic omnium librorum Veteris testamenti, qui totidem numero, quot alphabeti litteræ sunt, Crux Christi finis est.Ipse.n.finis est legis ad iustitiam, & omnia illa librorum signa, Dominicæ incarnationis,& nostræ redemtionis sunt sacramenta, & signa, per quę hoc vnum annuntiatur, in quo omnia referuntur signa. Tau (inquit Hieron.) extrema est vigintiduarum litterarum apud Hebræos,& perfectam in uiris gemētibus,& dolentibus scientiam monstrat. Hebręi verò autumant, quia apud eos lex Thorath dicitur,& in principio nominis sui scribitur hæc littera, eos hoc accipere signaculum,qui legis præcepta compleuerunt.* pag.607.14. in marg.*A*.*Petrus Diaconus de notis litterarum.* pag.608,8.*L*. *qui cum Lothum fratris filium a quin que Regulis,qui Sodomam,& Gomorram expugnarant, & optimam prædam cœperant,captiuum abduci audiuisset, ipse Trecentis vernis secum raptis aggressus,nepotem felici successu liberauit, & ingentem hostium multitudinem in fugam conuertit.* 11.*L*.*possum. Cum.n.Xerses regum omnium,qui Medis,& Persis imperarūt,animi elatione,& operum magnificentia lōgè pstantissimus, in Græciam cum infinito prope hominum numero irrueret,Leonidas cum Trecentorum militum cohorte, ad Termopylas occurrit, castra eius inuasit,factoq. repente in barbaros impetu, multis confixus telis in Xerxem contendit, eiusq; caput diademate vi spoliauit; nec visurus ille quidem Gręciam, nedum Athenas incensurus fuerat,nisi per proditorem Ephialtem Trachinium hoīem Hydarnis copiæ per Oetę montis tramites circumductę,a tergo Gręcos oppressissent. Non omittendi Troilus, & Paulus Molariani fratres Rom. qui (vt refert Blondus lib. vigesimoprimo) cum equitibus Trecentis facta eruptione,*

Alex. ab Alexan. l.2.c.19.

hostiũ stationes turbauerunt, illęsiq. receperunt sese, pluribus secum pertractis hostium captiuis. pag.609.1.*L. mirabile quod quarto de bello Gallico lib. scriptum reliquit Cęsar, Trecentos. s. Legionarios sex millium Morinorum impetum sustinuisse, atque amplius horis quattuor fortißime pugnasse, & paucis vulneribus acceptis, complures Morinorum trucidasse. Sed illud magis mirũ, & quod vix impetret fidem, ab equitibus Triginta Gallis Maurorum equitum duo millia loco expulsos, ac fugatos fuisse, vt in bello Africano Hircius. Ad Trecentesimi numeri virtutem respexisse visus est Mutius, qui obsidente Romam Porsena, facta a Senatu potestate, in castra ad inimicos processit, scribaq. occiso, quem Regem esse putabat, comprehensus, impositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est, dicens tales Trecentos esse coniuratos in mortem ipsius Regis. ex quo territus Porsena, coactus est, omisso bello, pacis conditiones ferre. Nec a recta via aberrabimus, si Poetarum omnium.* 9. *adiuuares. A. Sunt denique Trecentesimi numeri vires potentißimæ etiam ad debellandas spirituales nequitias, obtinendaq; diuina suffragia. quod Paulum Lybicum minime fugit, de quo hæc narrat Sozomenus: Sub imperio Valentis fuit Paulus de Lybia in Scyti, non pauciores quingentis monachos habens. nihil autem operabatur, sed orationi solummodo deditus, Trecentas singulis diebus orationes reddebat. et ne numero forte delinqueret, Trecentos lapides ponebat, & singulis orationibus lapidem mittebat in sinũ. expensis verò lapidibus, orationes cognoscebat esse completas.*

Hist. trip li. 8. c. 1.

DE NVM. CCCXIIX.

pag.609.29.*varijs A vitijs* pag.611.6 *significant. A Plato de Legib. lib. vltimo: Itaq; cum hoc in loco res fuerint, quid faciendũ censes hospes? Iuxta quod vulgo dicitur, amici visum est nobis par esse, vti rem in publicum & in commune conferamus, velimusq; de vniuersa repub. supremum subire discrimen, nihilq; non facere, ita vt vel Ter sex, vel tres talos iaciamus.*

DE NVM. CCCL.

pag.612.3.*L. cap. xi. corpora sanctorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi & Dominus eorum crucifixus est. & videbunt corpora eorum per tres dies, & dimidium. tandiu enim potestati Antichristi permißi sunt sancti Adhuc 7 intelligantur, A cui tempori respondent apud Sibillam* λυκαβαντας *idest, anni trecenti quinquaginta vnus, quæ Romã, siue Rom: imperiũ ita alloquitur.*

Lustra decem, atq; vnam & tercentum implebis aristas,
Cum tibi tam miserę venient crudelia fata.

DE NVM, CCCLXV.

pag. 614. *il* 1.5. *L Sed C. Iulius Cæsar cũ Remp. in suam redegisset potestatem, nouam emendationem instituens, neglecto menstruæ Lunę cursu, periodico*

motu Solis anni metas constituit dierum C C C. sexaginta quinque, quibu vt iustus & vertens annus conficeretur, nec æquinoctia & solstitia ab his diebus, quibus semel adhæsissent, recederent in præcedentia, superaddidit quadrantem &c. 17. vers. 31. peractis. A. ne statæ eorum ceremoniæ confunderentur. pag. 615. 10. tẽpore A. experientia mathematicaq; ratione pag. 614. il 2. 21. procedatur. A. Illud silentio hic præterire non debeo, quòd huius anni Iuliani ratio, & si non sane eruditissima, tamen præ ceteris aliarum gentiũ annis, propriam hanc habet commoditatem, quòd cum æquinoctia & solstitia, vt nuper diximus, quotannis propemodum statis diebus recurrant, solus ex ciuilibus aptißimus est ad numerandam Mundi durationem, & vt res gestæ singulorum hominum & ætatum annis suis recte attribuantur. At vero Aegyptij æquabilem annum nempe dierum 365. sine vllo intercalari amplexi sunt, quem etiam Vulturis simulachro significabant, quoniam hæc ales Trecentos illos ac sexaginta quinq; dies, quibus annuum conficitur tempus, ita distribuit, vt centum quidem ac vicenis diebus prægnans maneat, totidem pullos enutriat, reliquis vero centum & viginti diebus sui curam gerat, neq; vterum ferens, neq; alendis addicta liberis; sed se ipsam dumtaxat ad aliam parans conceptionem; quinq; autem illos qui supersunt anni dies in uenti compreßionem & coitum insumit. Cum.n. amore concipiendi exarserit, vuluam ad Boream ventũ aperiens, ab eo velut comprimitur per dies quinq;, quibus nec cibum nec potum omnino capit, fœtus procreationi intenta. Ad huiusmodi partitionem Aegyptij annum suum accommodabant, per tres tantum qualitates illum dimetientes, Ver quippe, Aestatem, & Hyemem, quæ singula tempora centum viginti diebus constare voluerunt, ac vti Theopompus ait, Hymem Saturnum, Aestatem Venerem, Ver autem Proserpinam appellabant. quinq; insuper dies addiderunt, quos vocabant intercalares, vt eorum summa fieret Trecentorum sexaginta quinq; dierum. quam sane æquabilem anni rationem Aegyptij ab egressu populi Israel inierunt. nam ante illam calamitatem, sanctorum patrum exẽplo, ipsi quoq; vsi videntur anno Lunari, quẽ iam inde vsq; ab initio Mundi Ecclesia semper obseruauit. Porro ita pertinaciter hanc anni formam sequuti sunt Aegyptij, vt cum sæpe a Romanis Imperatoribus defecissent, tãdem a Diocletiano coacti sint præter patrium morem, tot seculorum vsu confirmatum, vti die intercalari, & menses suos aptare Romanis mensibus, vt palã hoc etiam argumento se profiterentur subiectos Romano imperio. Aegyptios sequuti sunt Persæ, eaq; de caussa igni illi suo, quem sacrum & æternum vocabant, totidẽ Sacerdotes iuuenes instituti, qui canentes, ignem quaqua gestaretur, sequerentur. Hinc Q. Curtius describens agmen Darij Persarum regis cũ Alexandro M. congressuri: Erant, inquit, in eo Trecenti sexaginta quinq; iuuenes punicis amiculis velati, qui Magos sequebantur, totidem anni diebus numero pares, quippe Persis annus in totidem dies descriptus est. tantum ille. Quemadmodũ autem hic tam æquabilis annus conuenientissimus fuit obseruationibus cælestiũ motuum, quibus primùm Chaldæi, postea horũ inuitati exemplo Aegyptij summo

mo studio incubuerunt: ita nec æquinoctia, nec solstitia stabilia esse potuerunt; sed propter defectum quadrantis diei progressa sunt in consequentia. Neq; tacendum circulum solarem in vsu fuisse apud Hebræos & Græcos, diuersa tamen mensium obseruatione, siquidem duodecim lunationes apud eos simul additis vndecim diebus, conficiunt annum solarem: qua de caussa ipsi moti tertio quoq; anno tredecim menses adscribũt, aut octauo quoquo anno tres menses intercalant. vt notant Suidas. & Africanus apud Eusebium lib. viij. Demonstr: Euãg. cap. ij. & Damascenus de Fide orthodoxa lib. ij. cap. vij. Hinc colligunt Cabalistæ Enoch fuisse translatum anno ætatis suæ Trecentesimo sexagesimo quinto, quot sunt dies anni solaris, vt eius in rebus cælestibus peritia indicaretur. nam & Eusebius libro nono præpar. Euang. cap. iiij. ex Eupolemi libro de Iudæis, ipsum testatur fuisse inuentorem Astronomiæ, & a Græcis Atlantem nominatũ. Accedit & Origenis astipulatio, apud quẽ hom. xxviij. in Numer. libri Enoch plurali numero citantur, quibus comprehensa fuise ait secreta de nominibus nõ solùm plagarum cæli, sed etiam omnium stellarum. Ne rem seriam inanibus, & ridiculis fabulis infarciam, non commemorabo Basilidis deliramenta, qui Trecentos sexaginta quinq; cælos, per successionem & similitudinem ab inuicem factos pronunciauit, & horum ostensionem esse numerum dierum anni, atq; singulis illorum certa principia, & virtutes, & angelos assignans, ac illis nomina adfingens.

Plato in Temeo. & de Legib. li. 8. in princ.

Gen. 5.

DE NVM. CD.

pag. 615. il 2. 4. L numerus significat euersionem muri, 6. anguli. A Notat peccatum Ephron vendentis Abrahæ sepulcrum Quadringentis siclis. Ideo postea remota est littera Vau de eius nomine, nempe ad eius imperfectionem demonstrandam. Hieronymus, & habetur xiij. q. ij. Postquam precio victus est Ephron, vt sepulcrum venderet, & acciperet argentũ, licet cogente Abraham, Vau littera, quæ apud illos pro O legitur, ablata de eius nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran, significante Scriptura non eum fuisse consummatæ perfectæq; virtutis, qui potuit vendere memoriam mortuorum. hactenus fuerunt verba D. Hieronymi.

Gen. 23

Gen. 25.

DE NVM. CDXXX.

pag. 619. il 1. 2. sed CCCL. A. Scio quidem Iosephum lib. secundo cap. 5. scribere Israelitas consumsisse in Aegypto annos quadringentos; sed illud ipse labefactat sequenti capite sexto, dum ab Abraham ad exitum de Aegypto annos quadringentos triginta percenset.

DE NVM. cIↄ XXC.

Octogesimus post quadringentesimum totum tempus veteris legis, & sta-

tũ Synagogæ complectitur. Anno siquidem Octogesimo supra quadringentesimum egreßionis Israel ex Aegypto ab Hebræis & Gentilibus, accersitis scilicet a rege Solomone Tyrijs, & Sidonijs, & Giblijs artificibus, fundatum est templũ, quod figura fuit Ecclesiæ ex Gẽtibus congregandæ. Quemadmodum Synagogę figura fuerat Tabernaculum, quod principe Mose legislatore factum est, dum tempus veniebat faciendi templum, & vt aduenit, cessauit honor Tabernaculi, templumque ab omnibus visebatur; sicut lex vetus data fuit donec veniret noua; & Synagoga stabat donec tempus succederet ædificandæ Ecclesiæ, & statim abrogata veteri lege, desiuit in honore esse Synagoga, & omnes Gentes confluere cæperunt ad Eccclesiam.

DE NVM. CD.XC.

Glo. 31. q. 1. quomodo.

pag. *ead.* 20. *constrictus (A. dum enim venationem exerceret, iudicio pueri, qui eum oculis caligantem ducebat, sagittam dirigens, Cain occidit. quem ferã esse existimabat. quo comperto, etiam adolescentem, qui eum ducebat, morti tradidit.) proinde.*

DE NVM. IↃ.

pag. 620. 26. **in marg.** *A. Origen. in Num. hom. v. 27. L caput; illos verò qui in castris remanserant, quinquagesimum* **pag.** 621. 2. *L fuisse notam. Romanis. n. in subsellijs sedentibus ternæ tabulæ dabantur, quarum vna A, littera notatę, absolutionem; altera C. condemnationem; tertiæ quibus N. L. inscriptę erant, comperendinationem, per quam non liquere significabant. De quibus hęc scribit Asconius 8. liquere. A. Ab huiusmodi iudiciorum more dictum est illud a Cicerone in oratione pro Milone, cum de Pompeio loqueretur, qui illi quæstioni iudicioq; pręfuerat: Vidit, inquit, in confessione facti, iuris tamẽ defensionem suscipi posse. quod nisi vidisset poße absolui eum qui fateretur, cum videret nos fateri, neq; quæri vnquam iußisset, nec vos hanc tam salutarem in iudicando litteram, quàm illam tristem dedissetis.*

DE NVM. DC.

pag. 622. 4. *L ostendere sexta die creatum fuisse Adam.* **pag.** 623. 3. *L. sex mille annis dicitur posse concludi ex prophetia Helia 7. L vtebantur cũ pręgrandem numerum explicare volebant. Gregorius 24. progrediar. A. Magnas quidem hoc annorum numero contigisse mutationes, pręter ceteros autores retulit Gulielmus Aluernus Episcopus Parisien. parte secunda primæ partis de Vniuerso cap. vij. qui hac de re pręclare locutus, fecit vt eius verba hoc loco inscribenda poneremus. ille autem sic inquit: Seculum dicitur spacium quod est inter quascumq; duas magnas mutationes, ex his mutationibus, quæ sæpe fiunt in mundo isto terreno. Magnas autem mutationes istas intelligo mutationes regnorum, sectarum, legum, renouationes etiam, quemadmodum renouatio*

gene-

generis humani per diluuiũ, quod fuisse dicitur anno Sexcentesimo vitę Nohe. Fuerunt autem aliqui, qui considerantes totum tempus ab initio Mundi, inuenerunt mutationes magnas factas in eo a Sexcẽtis in Sexcentos annos ferè. Et intelligo mutationes magnas exortus regnorum magnorum, & destructionẽ ipsorum, aut in toto, aut in magna parte. Similiter & legum magnarum, atq; sectarum constitutiones, & destructiones. Sicut manifestum est de regno Hebræorum, & lege, quando exterminata sunt a principe, et exercitu Romanorũ. Deinde Sexcentesimo ferè anno exorta est lex Maometis, & regnum eius, & destructa lex Christianorum, & regnum in Arabia, Perside, Media, Syria, Aethiopia, & Aegypto, & Hispaniarum, quę sunt vltra mare, & quæ sunt citra mare, parte maxima. similiter Aquitania, & Galliarum parte. Postmodum autem inualescente regno Franciæ, destructum est regnum Saracenorum, & secta eorum exterminata vsq; ad fines Hispalis, quæ vulgo Siuilia vocatur, & percusũ est grauiter regnum illud, & secta etiam in capite suo, scilicet in vrbe Maroquensi, & finibus eius. Per idem verò tempus, quo secta Saracenorum orta est, imperium Romanum penè destructum est, partim per gentes sectæ Saracenorũ, partim per barbaras nationes multas. Simul mutatio facta est in regno seu imperio Græcorum, quod Constantinopolitanum vocatur. Et istæ omnes mutationes vltimo Sexcentenario, in cuius fine sumus, factæ sunt. In pręcedenti verò eum Sexcẽtenario, & ferè quadraginta annis ante, exorta est lex Christianorũ, & regnum ipsorum. Vtrum autem ista se habeat veritas per omnes Sexcentenarios annorum, qui fluxerũt ab initio Mundi, scire potes ex chronicis. Hucusq; verba Gulielmi.

DE NVM. DCLXVI.

pag. 633. 2. *L vixit. tres namque plagæ improbo illi inflictæ sunt, prima quando &c.*

DE NVM. DCC.

pag. 633. 28. *L Romanis anno postquam condita fuerat Septingentesimo. Orientis &c.*

DE NVM. DCCC.

pag. 636. 22. *L qui scilicet ęternę morti addicuntur. ij. Reg. xxiij.* & 1. *Machab. iij.* pag. 637. 14. *L Gręcorum excercitui, dum cũ Troianis congredi recusat*, 17. in mar. *A. et. lib. v.* pag. 638. 28. *L. Ego sum rerum omnium summa. omnia a me proficiscuntur, velut a fonte, & ad eundem omnia referuntur, tanquam ad felicitatis portum. Nam Gręcis* magnum postrema est litterarum. Immensam*

DE NVM. ↀ XCV.

pag. 641. 23. *loquatur. A. Triennio Mœcenatem Melisium refert Plinius lib. xxiix. naturalis hist. silentium sibi imparauisse a conuulsione reddito sanguine.* 24. *I* Σιωπηλότερος 26. *L. habebant vt priusquam quęstionibus, & altercationibus implicarentur, triennio tacerent, audire, & meminisse contenti; nec a temeraria procacitate; sed a sobrio, & attento silentio sapientiam auspicarentur, quod quidem,*

DE NVM. ↀ CC.

pag. 642 6. *L constituti, instar sunt illius terræ optimę centesimum fructum autori suo reddentis.* De 16. *tacebunt. A. Illud commemorare non iniucundũ fuerit, ter hunc, quo de agimus, numerum in tribus maximis imperijs, æquo propemodum temporis sui curriculo, insignes admodum rerum mutationes adduxisse. primam quidem qua caput imperij & gentium domina Roma imperantibus Cæsareis Constantijs, in prędam & direptionem fuit exposita, ingruentibus in Italiam Hunnis, Vandalisq;, & Gothis, qui præter id quod vrbem post homines natos potentissimã, omnibus opibus spoliarunt, & in ciues omnes occidione, aut misera captiuitate sæuitum, Imperialia etiam ornamenta, & insignia duce Genserico, secum in Africam transtulerunt, scribente id Iustiniano C. de offi. præ. pręt. Africæ. Mille enim ducenti, & octo circiter anni ab ea cõdita ad vsq; Gensericum numerantur, vt Paulus Diaconus in his, quæ addidit Eutropio, nec non Paulus Orosius recensent. Vt verum tandem sit quod M. Varro lib. xviij. Antiquit. apud Censorinum scriptum reliquit, Vectium se Romę in augurio non ignobilem, & ingenio cuiuis doctori in disceptando parem, audiuisse dicentem. Quoniam viginti & centum annos incolumis præteriisset populus Rom. ad M. & CC. peruenturum, Si modo inquit, verum foret, quod de Romuli augurio in historijs annalibusq; Romanis traditur in condenda vrbe, deq; duodecim vulturibus, quas poeta Ennius corpora sancta appellat. Annorum enim centena per singulas vultures significantur, quod eas ad centum vsq; annos viuere compertum sit apud antiquiores. quibus astipulatur D. Ambrosius. Octauiano etiam primo Consulatu augurium captante, duodecim se vultures, vt Romulo ostenderunt, atq; iam ex eo tempore, anno quippe vigesimo ad monarchiam aspirabat, quę longa annorum serie ad nos vsq; permanauit, si nõ imperij uiribus, saltem titulotenus; & licet aliquando interrupta, in eundem tamen titulum postmodum restituta, pro vt temporum vicissitudines permisere. Quorum quidem temporum historias si perpenderimus, ad annos circiter M. CC. ab Augusto inueniemus Pontificum, totiusq; Senatus decretis magnũ id Imperij nomen abolitum, perq; annos multos adulterinam fuisse Imperatoris nuncupationem. Quanquam ne tam venerabili titulo defraudaremur, ali-*

Censor. de die natal. c. 5.

quot

quot post annis sanctissimo Gregorij quinti Pont. Max. decreto, noua quadam ratione ansa præbita est, vt illa Maiestas per Electores certos conseruaretur. Cuiusmodi suffragiorum ratione post Othonem Othonis secundi filium, primus omnium Henricus est Imperator declaratus. Tertia imperij mutatio fuit Constantinopolitana a Fl. Constantino ad eum Constantinũ, qui anno Christi 1448. oppressus a Maomete secundo, Amuratis filio, Turcarum Imperatore septimo, vitam & Imperium finiuit. qui etiam eiusdem nominis matrem habuit cum Imperij conditore. Nam inter duos hos Byzantij principes anni mille centum supra vnum & nonaginta decurrerant. Nec obstat quod superius attigimus a Valente scilicet mathematico, inspecto vrbis horoscopo, prędictum fuisse Imperium Constantinopolitanum annos non amplius DCXCVI. duraturum, quia post illam annorum summã, qualescumq; fuerint Principes, siue viri, siue feminæ, a Maximi tamen Constantini institutis pendere videbantur; sub Turca verò longe alia imperij forma, longe aliæ leges, longe alij ritus superinducti. In hac igitur MCC. annorum supputatione, tres constat euenisse Imperij mutationes, primam a Romulo ad Gensericum; alteram ab Octauiano Aug. ad Fridericum primum, qui primus in Romanum Pontificem, antipapam creauit, postremam a M. Constantino ad Othomanum. Nec illud omiserim conferre quę Gulielmus Parisien. annotauit de numero DC. cum hic per binarium ductus, veniat in MCC.

DE NVM. CIↃ CIↃ CIↃ.

pag. 647. 17. *L Millenarius ter repetitus, potentissimus habetur in Sacrosanctis scripturis, plurimum in bello conferens ad assequendas victorias. Est quippe quædam in numeris cognatio, dum quilibet suam seruat natiuam significationem. Quemadmodum .n. Triginta Gallos bello Cæsaris Africo, duo millia Maurorum in fugam coniecisse, & Abraham patriarcham cum Trecentis vernis Assyrios adortum, ex ipsis centum millia occidisse, Gedeonem quoq; Trecentis viris non minorem exercitum inuasisse, de eoq; cæsis centum milibus victoriam peperisse narrauimus. non dissimili ratione cum socij Iudę Machabæi exercitum inimicorum videntes, dixissent: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem? respondit Iudas: Facile est concludi multos in manus paucorum; & non est differentia in conspectu Dei liberare in multis, aut in paucis; quia nõ est in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. pugna certauit, ergo et Tribus milibus virorũ pene inermium, Gorgię exercitum quinq; millium peditum, & mille equitum, nec minus armis, quam viris munitum, ad Amaum fudit, fugauitq;. Iterum in Bethoron non plusquam Tria millia bellatorum secum habens, cum validissimo Nicanoris exercitu feliciter conflixit. Ea siquidẽ pugna aduersariorum castra euersa, Nicanor interfectus, reliqui fugientes a per-*

1. Mac. 3.

1 Mach. 4

1 Mach. 7

1 Mach. 5 — *sequentibus casi. Simon pater Iudæ iturus in Galilæã, assumtis Tribus pugnatorũ* 1 Mac. 11 — *millibus, cõtra alienigenas ꝑlio decertat & victoria potitur. Tria millia virorum misit Ionathas Demetrio Antiochiam in auxilium contra Antiochenos tentantes Demetrium morti tradere, & occisa vna die de Antiochenis centum millia. Timoleon Corinthus Tribus millibus militum fretus ad Crimissum am-* Sabellicus lib. 6. cap. 7. — *nem, cum septuaginta millibus Carthaginensium non solùm acie conflixit, sed ita etiam prælio vno hostem afflixit, vt pars multo maxima Carthaginensis sit* 1 Mach 9 — *nobilitatis ibi loci desiderata. Iudas commissurus prælium contra Bachiden & Alchimum, delegit Terna pugnatorum millia. at ipsi cum ingentem vidissent multitudinem hostium (erat.n. peditum numerus viginti millium, equitum verò duum millium) subtraxerunt se, prçter octingentos, qui & ipsi desperantes, in bello ceciderunt. Tria millia virorum elegit & Ionathas; sed duobus milli-* 1 Mac. 12. — *bus relictis in Galilęa, ipse cum ceteris ingressus Ptolemaidam, occiditur. Tria millia pugnatorum de Israel misit Iosue contra viros vrbis Hay; sed statim ter-* Ios. 7. — *ga vertentes, grauiter afflicti sunt. nec.n. poterant stare contra hostes occasione prçuaricationis Achan, qui in castris Iosue ex deuota Hierichũtis prçda pa-* Ios. 8. — *ludamentum sustulerat. post expiationem autem peccati, ad præceptum Domi-* Iudic. 15. — *ni capta fuit ciuitas, & subuersa. Tria millia virorum de Iuda vinctum Samsonem tradunt in manus Philistinorum. In hac exemplorum caterua recensere non piget rem sane memorabilem, quæ habetur lib. xij. hist. tripart. cap. iiij. Quędam insula vltra Rhenum fluuium est Burgundionum. isti vitam quietam agunt, & pene omnes fabri lignorum sunt, ex qua mercede pascuntur, quorũ regionem Hunni crebra inuasione vastabant, & plurimos occidebant. At illi licet anxietate constricti, ad nullum se tamen hominẽ contulerunt, sed alicui Deo se committere cogitabant. Tum audientes quòd Romanorum Deus fortiter adiuuat se timentes, omnes communi consilio ad credulitatem Christi confugiunt. Venientesq; in vnam ciuitatem Galliarum, rogabant, vt ab Episcopo Christianorum baptisma mererentur. At ille eos septem diebus imbuens fide, baptizatos octauo die abire pręcepit. qui sumta fiducia contra tyrannos alacriter festinabãt, & spe sua frustrati nõ sunt. Nam cũ rex Hunnorũ nomine Suptarus per noctẽ fuisset ciborũ nimia voracitate corruptus, Burgundiones gentem inimicã sine duce reperientes, & pauci plurimis resistentes, facta congressione vicerunt. Nam cum essent istorum Tria milia, circa decem milia peremerunt. Saul tria millia.*

DE NVM. CIↃ IↃↃ.

pag. 649. 11. *eorum A. & Psalmo supra centesimum vicesimo sexto: Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. per sagittas enim Eucherius Apostolos significari tradit, qui Orbem terræ volatu pernicissimo peragrantes, doctrina sua mortalium, qui nondum Deum nouerant, corda penetrauerunt; filij verò excussorum, quia de prius excussis telis, hoc est, prophetis, Apostoli*

geniti sunt. Neq; fortasse errabimus 25. in marg. A. Val. Max. lib. II. cap. VII.

DE NVM. Ꝺↄↄ. cꝹↄ.

pag. 653. 30. *I sex primi parentes in generatione Adam, vnde genus humanum propagatū est, scilicet, Adam* pag. 654. 4. in marg. *A August. in Ciuit. Dei lib. V. cap. XIX. 9. æternam A: Seculum siue ætas priscorum, ab Adam vsque ad Heliam, iuxta septenarium numerum sic habet, Adam, Mathusalem, Sem, Iacob, Amram, Ahias Silonites, Helias Thesbites ex vita hac, morte non gustata, ad immortalitatem translatus.* pag. 655. 4. in marg. *A Gaspar Vespergensis 10.2012. A Alexāder Sculteтus Prutenus, qui Annales omnium fere principum, & potentatum ab Orbe condito vsq; ad annum Domini 1541 confecit, ab initio Mundi vsq; ad natum Christū annos numerat 3959.* pag. 657. 7. *A*

DE NVM. Ꝺↄↄ. cꝹↄ. Ꝺↄ.

Germanus Constantinopolitanus Episcopus prædictis sex mille annis ætatis Mūdi quingentos ex auctoritate illustrium Græciæ patrum adiecit. Is. n. cum in lib. quem de Theoria Ecclesiasticarum rerum, inscripsit, caussam inquireret, cur Pontifex, populo benedicens, digitos attollat, ad supputationē numeri Sex millesimi & quingentesimi accomodatos, sic loquitur: Quod Pontifex obsignet populum, id subindicat, futurum aduentum Christi anno Sexies millesimo quingentesimo fore, ex supputatione digitorum, significāte Sexies millesimum quingentesimum. Id & Hippolytus e Roma, & sanctus Cyrillus dicunt in libris suis de Antichristo, itemque Chrysostomus. Videat qui velit etiam Theodorum Gramminæum in Esaiam fol. 14. & F Sixtum lib. Biblioth. sanctæ pag. 658. *lin. 1. A*

DE NVM. ccIↄↄ.

Decem millium numerus in Sacris eloquijs mysticè positus legitur. quandoq; .n. eius nuncupatione decalogi mandata significata. Quamobrē Iudicum cap. 4. cum mortuo Aioth peccassent filij Israel, traditiq; fuissent Iabin regi Chanaan, tandem post annos viginti, cum eos sceleris pœnituisset, clamassentq; ad Dominum, Delbora prophetante, Barach tantummodo cum Decem millibus armatorum, Sisaram regij exercitus ducem, cum nongentis falcatis curribus, & ingenti militum copia in prælium descendentem fudit fugauitq;. In Decem millibus decalogus vtiq; numerus habetur, quo si pœnitens se munierit, vitiorum multitudinem contra insurgentem vel facile superabit. Interdum etiam hic numerus numerosam, &c.

DE NVM. ccIↄↄ. cIↄ. cIↄ.

pag. 661. 14. *Denarij A. Cui plura hoc de numero nosse cordi est, is adeat Origenem hom. xxv. in Num. & Ficinum libro x. de Rep. Platon.*

pag.663. 9. *L septimo Apocalypseos capite. quo sane numero D.Thomas intelligit omnes electos existentes sub tempore gratię vsq; ad finem Mundi, tã ex Iudæis, quàm ex Gentibus. neq; hunc numerum positum censet ratione numeri, sed ratione mysterij. Non enim, inquit, signatur quot sint electi, sed quales esse debeant, & quę sint necessaria iustis, scilicet perfectio in diligendo, quæ signatur per millenarium, qui est numerus perfectus, quia ad eum terminatur plenus cursus numerorum. Item perfectio in operando, quæ per centum, quia numerus est completus, vsq; ad ipsum .n. decurrit numerus, licet millenarius sit perfectior. Item labor in sustinendo, scilicet pœnalia & difficilia, vt in statu poenitentiæ, quę per quadragenarium signatur, qui numerus est pœnitentium. partes .n. aliquotæ quadragenarij faciunt quinquaginta, qui est numerus remissionis, quia pœnitentia ducit ad remißionem peccatorum. Item doctrina in regulando, quæ continetur in quattuor Euangelijs, vnde signatur per quaternarium. Omnia enim prædicta fieri debent secundum regulam, quæ ex quattuor Euangelijs habetur. Vel aliter. Numerus Cẽtum quadraginta quattuor milliũ, colligitur ex duodecim milibus per duodenarium in se ductis. millenarius signat perfectionem. duodenarius, qui colligitur ex tribus quater sumtis, signat fidem Trinitatis per quattuor partes Orbis. per alium verò duodenarium, per quem fit reuolutio duodenarij, intelligi potest doctrina Apostolorum secundũ quam debent homines regulari in perfectione vitæ & in ipsa fide. Hæc ille. Huius sacri numeri rationem aßignans Glossa in septimo eiusdem libri capite: Ter, inquit, duodecim, habemus eos, qui fide Trinitatis in quattuor Mundi partibus sunt signati. & vt hos perfectos ostendamus, duodecim per quattuor multiplicamus, & fiunt quadraginta octo. vt verò ad Trinitatem hæc perfectio referatur, quadraginta octo per tria multiplicamus, & sic fiunt centum quadraginta quattuor. Rupertus verò loco nuper aduocato, aliam affert prȩfati numeri speculationem, dicens, Duodenarius &c.* pag.664. 13. *inuocante. A Diuinæ siquidem vocationis electio primum in tribus patriarchis, Abraham, Isaac, & Iabacob, ad numeri ternarij mysterium, singularis & collecta, in monade stetit, priusquã a triplici vno, in capita duodenarium tribuum, subsignati etiã numeri ratione (nempe sub filiali quater triadis propagatione & prosapia) sese effundens, immensȩ deinceps generationis venturæ primordia, & initia spargeret* 21. *Rupertus A Hic itidem numerus, quẽ tractamus, positus legitur Apocal. cap. xiv, vbi dilectus Deo discipulus, in spiritu vidit illum sanctorum numerum stantem cum agno super montem Sion. quam prophetiam declarans D. Thomas: Cum agno (inquit) stabant centum quadraginta quattuor milia, idest, virgines in integritate plena desudantes, in pœnitentia feruentes, ad documenta euãgelica perfecti in perseuerantia. per centum .n. signatur integritas perfectæ virginitatis, quia fructus centesimus est perfectio status virginum. numerus .n. centenarius quia terminat numeros, & est numerus completus, signa*

per-

perfectionem, & virginitatis statum. numerus autem quadragenarius significat feruidam pœnitentiam. licet autem Virgines sanctam virginitatem seruēt. attamen propter aliqua venialia pœnitentiam agunt. per quaternarium signatur euangelica doctrina, quam attente obseruant. per millenarium, qui est numerus completissimus, signatur perfectio perseuerantiæ, quæ omnia prædicta perficit. Hucusq; verba D. Thomæ. Non habendus insuper Beda, qui huius numeri mysterium aperiens, hæc scribit: Numerus Centum quadraginta quattuor pag. 665.18. *L præstantiam. cum enim sit millenarij cubus tum maxime ingentem copiam, numerosissimamq; multitudinem, ac propemodum infinitam designat, tum rei, &c.*

De Maioribus numeris.

pag. 666.20. *Psal. CV. A Triginta quinq; hostiū millia occisa a Iuda Machabæo, dum cum exercitu suo contra Nicanorem ducem Antiochi Epiphanis, & Eupatoris patriā religionem fortiter defendit. 11. Mach. xv. Abia rex Iuda, & exercitus eius occiderunt vna die de exercitu Hieroboam idololatrę quinquaginta millia virorū. ij. Paral xiij Asa rege Iuda pugnāte, decies centena milia Aethiopum, Domino cædente, perierunt. ij. Paral. xiv. Centum viginti millia virorum bellatorum de Iuda occidit rex Israel Phacee, eò quòd dereliquissent Dominum ij. Paral. xxviij. Quinquaginta millia.*

De Multitudine.

pag. 667.17. *L diuisionem, imperfectionem, seditionemq; dicit, quamobrē filius Solomonis dictus est Roboam, quod interpretatur a multitudine populi, præsignans sub eo futuram seditionem in regno. Itaq; multitudo vtpote quæ ab vnitate recedit, & habet confusionem sine ordine numerali, in malam partem plerumq; sumi solet. Vt.n. ait Origenes Adamantius, principium malorum omnium est multitudo. Exho. cap. xix. Multitudo plurima, malorum indicat sectatores &c. 23. ver. 28. me A Psal. xxxij. Multitudo fortitudinis gigantis, est fortis virtus diaboli. Esa. cap. xiij. Multitudo in montibus, sunt dæmones & hæretici cum superbia. Humanę siquidem salutis, veræq; pietatis hostis diabolus omnia molimina contra familiam Christi versans, cum eam externis persecutionibus oppugnasset, non destitit eandem malignis quibusdam viris seductoribus repertis, intestinis bellis quatere, vt fraudulenti homines simulato tantùm nomine christianæ religionis induto, si quos fidelium persuasionis suę fraudibus deciperent, mortiferis errorum laqueis implicatos, perderent, de quibus dicit Dominus apud Hieremiam: Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Pastores.n. intelligit Propheta multos, quales esse in populo christiano beatus Iacobus nolebat, cū scriberet: Nolite plures magistri* 3. Reg. Cap. 12. Cap. 3.

 ficri

fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. Magistri siquidem plures tunc fiunt cum diuersa, atq; inter se aduersa sentiunt: cũ vero id ipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius magistri sententia minime recedunt. in catholica.n.ecclesia vnus prædicatur pastor, quia per adhęrentes ac subiectos vni multos, vnitas fidei conseruatur: illi verò multi sunt, quia distracti atq; diuisi. Hanc multitudinem deplorabat Dominus per Esaiam dicens: Hierusalem humiliata &c. pag. 668. 19. *ambulabant. A Eodem sensu Propheta regius Psal. septuagesimo: Quasi prodigium factus sum multis, hoc est, imprudentibus, insipientibus, & ignobilibus. Psalmo rursus sexagesimo octauo ostensurus multitudinem impiorum: Multiplicati sunt, inquit, super capillos capitis mei qui oderunt gratis. quem locum exponens Hilarius hæc scribit: Numerus odientium vltra capillos capitis est multiplex, siue ob impiorum copiosam multitudinem, siue quia indigni sint Dei cura. Iam Apostolorum capillos, cum tanta eorum Deo cura esset, scimus esse numeratos; siue quia infidelium numerus vltra numerum sit fidelium. Nam decus capitis in capillis est, & ecclesiæ, quæ est corpus Christi, in Apostolorum, & omnium fidelium decore omnis ornatus est. hęc ille. Eodem mysterio de Synagoga scriptum &c.* pag. 669. 15. *multas. & A Psal. quinquagesimo primo, de diuite insolente, Iusti timentes & ridentes dicunt, Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum; sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum. Rursus Psal. LV. Multi* 27. *tentationum. A quo significato Dauid Psalmo xvij. canit se de aquis multis eductum: Assumsit (inquit) me Dominus de aquis multis; eripuit me de inimicis meis fortißimis.* pag. 670. 15. *& reliqua. A Item Ios. cap. 3. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerunt bella Chananęorum, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. dimisitq; eos vt in ipsis experiretur Israelem vtrum audirent mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Mosis, an non. Itaq; filij Israel habitauerunt in medio Chananęi &c.* 18. *L mel le, nihil aliud quàm futuri seculi delicias beatitudinemq; designat, quòd ex cibis, quibus hic vtimur, nihil ijs suauius neq; dulcius inueniatur, tum quia sine labore comparantur, & nulla indigent præparatione. nam bona illa alsq. vlla solicitudine, sine dolore, studio nullo, apparatu nullo, conditurę nullius egentia, tanquam effuso copię cornu suggeruntur. Et sicuti terra illa plebem* pag. 671. 17. *L accingamur. Vsque adeo inoleuit opinio Pythagoręorum asserentiũ vniuersa numero constare, vt cum consummatæ perfectionis aliquid factum putaretur, Numero constare dicerent; vnde & Occasionem, quam deam Ausonius Gallus lepidissime describit, Numeri nomine veteres intellexerunt. Hinc illud est Actij poetę: Numero te expurgasti. & illud: Ne istum Numerum amittas subito oblatum. hinc etiam, In numerum aliquem peruenire dicuntur, qui in aliquo precio haberi incipiunt. Et in aliquo numero esse asserimus, qui sunt alicuius existimationis. Cicero Valerio: Ibi malis esse, vbi aliquo numero sis, quàm istic vbi solus sapere videare. pari ratione quem &c. vers.* 20. pag. 672. 12. *L came-*

Cap. 57.

Matt. 10. Luc. 12.

In Onomao. In Antigona.

cameli. Diuus Hieronimus illustrans locum illum Esa. cap.2. Repleta est terra eius (scilicet Iudeę) equis,& innumerabiles quadrigæ: Non est (inquit) dignũ numero, quod contra Dei imperium possidetur. hinc & in Psalmis dicitur: Fallax equus ad salutem. & in Exhodo: Equum & ascensorem proiecit in mare. In Ecclesiaste &c. 24. L numerus. Mare quidem Aegyptijs hieroglyphicum est perniciei. Id enim cum primis proprium est maris significatum, vt perditionis inditium sit, ob ipsam quippe profunditatem, vt pote quę idonea admodum sit ad suffocandum. Ceterum Theologis (teste Cassiodoro) mare presentem mũdum significat, vbi Dæmonum malitia, velut quibusdam fluctibus, voluntas animarum instabilis commouetur. Reptilia verò ista pag.674. 15. *sui. A Esa. cap.* 40. *Qui educit in numero militiam eorum, (scilicet cælorum) & ex nomine vocat omnes stellas. De quibus etiam Dauid dicit Psal. CXLVI. Deus numerat multitudinem stellarum, & omnibus appellationes suas tribuit. Quorum vtroq; cognitio quædam accurata significatur. Nam de hominum consuetudine nouisse dicimur eos maxime, quos nominatim compellamus. Itaq; Christus hoc significare volens: Oues (inquit) meas nominatim voco. Quod autem subdit Vates sublimius quiddam continet. Nam quæ eximia diuinaq; sunt, censentur apud Deum digna quæ numerentur, & nominatim vocentur; cum vilia & ignominiosa sacris in litteris neque numerentur, neq; nominentur. Nec aberrabit qui, siderum appellatione accipiat omnes quotquot in religiosa pietate claruerunt, iuxta dictum illud: Vos estis lux mundi, & tamquam luminaria lucetis in mundo. Audi Augustinum: Manifestum (inquit)* 25. *L. eos. Hactenus Aug. Psal.* 138. pag. 675. 1. *obstaculo A neq; pueri, tanquam contemtui expositi,* 12. *L ad salutem, si sciat quòd pars aliqua populi numerata est in deserto: pars vero innumerata relicta est?* pag.676. 17. *recensent. quem imitatus Virgilius Eclog.* 3. *Menalcam canentem inducit,*

Psal. 32. Exho. 15. Iohan. 10. Math. 5. 1 Teff. 5. Pphil. 2.

De grege non ausim quicquam deponere tecum,
Est mihi nanq; domi pater, est iniusta nouerca,
Bisq; die numerant pecus, alter & hoedos.

FINIS.